PLACITORVM ſummæ apud Gallos Curiæ Libri XII. multis, à prima editione, Placitis inſignibus aucti, & tribus commodiſs. indicibus illuſtrati.

PER IOHANNEM LVCIVM PARISIENSEM.

LVTETIAE,
Apud Carolum Stephanum Typographum Regium.
M. D. LVI.
Cum priuilegio Regis, & Curiæ decreto.



Α'ΝΕ'ΧΟΥ ΚΑΙ' Α'ΠΕ'ΧΟΥ.

De Placitorum commentariis excudendis, priuilegiíque irrogatione, libellus:

AMPLISSIMAE CVRIAE, IOHANNES LVCIVS, S. P. D.

VT veteres Iurisprudentiæ ſcriptores, poſt ſua ſenſa ſenſorúmque rationes, & citatas aliorum ſententias, etiam Imperatorum vel reſcripta vel decreta, ſi qua de rebus quæ tractabantur, extarent, veluti Colophonem impoſituri, laudare ſolebant: ita nunc quoque, PATRES CONSCRIPTI, nec Iuriſconſultus maiore conſtantia reſpondet, nec orator ſpem vincendi certiorem animo concipit, nec litigator iuris ſui confidẽtia magis ferocire videtur, quàm cùm veſtra præiudicia, veſtras autoritates, in eadem vel ſimili ſpecie, ſe proferre poſſe perſuaſum habet. Et is quidem à vobis hactenus iiſce præiudiciis ac autoritatibus ſeruatus eſt honos, vt ſi quid in commune conſulendum eſſet, aut publico vel priuato iudicio diſceptaretur, quod ad exemplum pertineret: ea, omni memoria repeterentur, & quem iuris huius callentiſſimum exiſtimarent, is à cæteris omnibus, velut Apollo quidam Pythius, cõſuleretur. Quod cùm ipſa re, tum etiam exemplarium huiuſmodi placitorum commentariis, aliis per Iohannem Brolium, aut alium (quiſquis ille fuerit, qui veſtras primùm formulas compoſuit) deinde per Iohannem Gallum iampridem editis, aliis poſtea per alios pro cuiuſque arbitrio, ſibi conſcriptis, mihi compertum eſſet: cœpi ego quoque rerum iudicatarum commentarios mihi conſcribere, eas vbique gentium non minore cura, ſtudio, diligentia conquirens, quàm quod arbitrarer non ipſi modò mihi, ſed & toti Reip. maximopere conducere. Quæ vulgari ſermone, nullóque, præterquam temporis, ordine regeſtæ, cùm in iuſti voluminis modum excreuiſſent: venit in mentem, ô ſi quis alius nobis Iulius Paulus naſceretur, qui vt ille ſummo compendio, ſumma grauitate, pari latinitate ac elegantia (quemadmodum ex eorum fragmentis fas eſt augurari) decretorum vel ſententiarum Imperialium in cognitionibus prolatarum libros compoſuit, ita & hæc grauiſſima CVRIARVM CVRIAE decreta, optimam noſtri iuris partem, ſuis hominibus conſcriberet, diſponeret ac concinnaret! Non equidem quòd non natum eſſe putem, hoc præſertim aureo literarum ſeculo: ſed quòd nemo adhuc apparuit, qui hoc, vel opere deſtinato præſtaret, vel (quod audiuerim) ſaltẽ aggrederetur. Dixerit aliquis, Et tu homuncio, id te præſtaturum confidis? Minimè veró. Neque enim ſum neſcius hoc me tam præſtare non poſſe, quàm nec digito cælum attingere. Quid ergo? Fecit in dies huius deſyderii creſcens igniculus, vt interea dum alicuius beneficio illud aliquando expleatur, horum decretorum nonnulla in aduerſariis delinearemus potius, quàm conſcriberemus: Paulum quidem, & alios eius claſſis autores proſequi atque imitari conati, ſed certè tantum quantum diuerſitas ingeniorũ maximi & minimi, & doctrinæ ac latinitatis & elegantiæ diſſimilitudo pateretur. Quod cùm critici quidam non ſolùm approbaſſent, verùm equo currenti (quod dicitur) calcar etiam addidiſſent: quoad rerum forenſium tractatio tulit, velut amœni cuiuſpiam diuerticuli cauſa, ita

paulatim persequuti sumus: vt, ex collectis aduersariis volumen aliquod, non integrum illud, enasceretur. Et hoc ipsum, qualecunque est, nunquam sanè dignum existimaui, quod ex autoris sui tenebris, quas ipse apertè atque ingenuè plus quàm Cimmerias esse confitetur, vnquam emergeret. Veruntamen quando aliter visum est multis, & amicis, & grauissimis ac doctissimis viris, & eorum aliqui vehementer id à me contendunt, iis tandem concedere in animum induxi: sed ita demum, si, quorũ sub signis totos iam annos triginta militauimus, & à quibus primùm hæc omnia militantes accepimus, vobis etiam placuerit. QVAMOBREM si quid hice nostri conatus, P.C. vobis probabuntur, & consultorum ac decretorum vestrorum, non quidem illustrãdorum (satis enim per se, quibus nota sunt, splendent) sed in communem nostrorum hominum vtilitatem euulgandorum gratia, prelo non vsquequaque indigni videbuntur, QVAESO, candidum addite calculum: & si additis, ne fraudi sit Typographo hanc prouinciam suscepisse, priuilegium, vt assolet, irrogatote.

DE LIBELLO CVRIAE PLACITVM.

CVM Iohannes Lucius, Caterinæ Augustæ à rebus procurandis primarius, libello complexus postulasset, vt illi per Curiam liceret, suos Curiæ ipsius Placitorum commentarios mandare typis, solita priuilegii cum irrogatione: XVI. Cal. April. M. D. LII, PLACVIT eius postulationem exaudiri, eique priuilegium irrogari, ne quis Typographus vel Bibliopola Curialis ditionis, præterquam cui ipse id licere voluerit, intra proximum sexennium huiusmodi cõmentarios excudat vel diuendat. Qui secus faxit, libros vel impressos, vel inter promercales habitos publicatum iri, & refractarium nec dicto audientem, pro Curiæ arbitrio fore mulctatum.

Placitum Camusius, vnus è quatuor Curiæ Amanuensibus subnotauit.

OPT. MAX. PRINCIPI, HENRICO II.
Galliarum Imp. P.F. Aug. Iohannes Lucius Parisiensis
S. P. D.

PLACITORVM *commentarios quantuloscunque nostros tibi, Princeps Opt. Max. nuncupamus, dedicamus ac consecramus, sed eo iure, vt nulli mortalium possimus meliore. Primùm quòd status Reip. qui ex te vno pēdet, iudicatis rebus maximè continetur: ex te (inquam) qui si eam, vt augustè cœpisti, perrexeris administrare, ne Augustus ipse quidem id cognominis te melius vnquam meruerit. Deinde quòd vestris Principum auspiciis atque autoritate, in communē omnium vtilitatem, non modò consulitur, ac de rebus controuersis vltimùm iudicatur: verumetiam consulta, placita, decreta in publicum襯 proditura, vestris concepta verbis, vestris consignantur iconibus, & vestro demum imperio ac potestate iis stare, eáque facere omnes compellimur: vt, si quis ea dixerit esse vestra, bis à vero per omnia non abesse videatur. Et inter hæc tibi consecrata, sunt planè Regia quædā, atque illud in primis, quod factum est, dum tu summa in Curia tua cum Proceribus primùm sederes, & magno omniū applausu, ius dicere auspicarere. Postremò quòd posteaquam tibi Regi designato & Britanniæ duci, quinquennium cognitoriam operam impēdissem, vnius Iohannis Bertrandi, tibi tum à consiliis primarii, nunc verò Galliarum tuarum designati, & iam functione Cancellarii, præstantiss. viri testimonio ac commēdatione, stipendiis attributis, me in tuum aulici ministerii breuiarium retulisti. Pòst deindè rerū potitus, Caterinæ Augustæ tuæ me dedisti: cuius, atque etiam Sanctandræani, Tribuni militum strenuiss. patrociniis, & Illustriss. Principis, Caroli, Cardinalis Lotharingi suffragio, aliquid præterea me sperare iussisti: quod postea nō modò chirographo tuo, verumetiā semel atque iterum fide data, breui fore cōfirmasti. Quæ omnia si quis, velut in nouorū nominū fascem redacta, veteri ac naturali, qua tibi deuincti sumus, obligatione constrinxerit: profectò nihil habemus, nihil molimur, nihil efficere possumus, quod vni tibi non debeamus. Accipe igitur (quæso) Princeps omnium humaniss. imò verò tibi tuo iure vindica, quod nexu mancipióque tuū est: persuasum habens (quod mediusfidius tam verum est, quàm quod verissimum) quantùm ad autoris eruditionem pertinet, pusillum esse quidem, sed nihil votis ardentioribus, nihil animo tibi maiora cupiente, vnquam à quoquam fuisse nuncupatum. Vale Lutetiæ, Idib. Martiis,* M. D. LII.

IOHANNIS LVCII PARISIENSIS ad Lectorem, Præfatio.

SVPERIORE iuſtitio, cùm placita hactenus à me in aduerſaria cõiecta, huc atque illuc ſparſa colligens diſponerem, incertus adhuc mihi modò & muſis, an etiam tibi, Lector, cecinissem, ſplẽdidiſſimi atque ornatiſſ. viri Iohannis Truchii, alterius Allobrogicæ Curiæ Præſidis, ſumma mihi iamdudum amicitia coniunctiſſimi, literæ venerunt, quibus ille de ea re ita mecum expoſtulauit. Hoc vnum ,, (inquit) addam, multos eſſe doctos, qui ſummo deſyderio tenentur eius libri, ,, quem tu nimiùm diu in arca repoſitum habes. Certus eſſe potes, ſi eum emit- ,, tas, magnam ab innumeris hominibus te gratiam initurum : atque à me in ,, primis, qui etiam illud expecto, ſed vnus cæteris omnibus ardentius. Hactenus ille. Et quanquam ſummi viri autoritas ad opuſculi vulgationem per ſe ſatis eſſe videretur : non potui tamen non ipſe mecum reputare, quam nauim conſcendant, quámque aleam ſuſcipiant, qui aliquid ſunt edituri: propter naturalem hominum ad diſſentiendum facilitatem. Varias tradunt eſſe hominum formas, ſed vſqueadeò varias, vt ne vnam quidem numeris omnibus aliæ ſimilem inuenias : in quo ſit etiam, quòd ſummi illius opificis magnitudinem admireris. Sic quoque varia eſſe ingenia, varios mores, non omnibus eundem guſtum, ſuum cuique palatum: vt vix, aut ne vix quidem, vnum & alterum reperias, qui, ſi ſolius naturæ motu impellantur, prorſus idem ſentiant, ita omnes gentilitiæ labis illius ſerpigine deſtinemur. Ea ratione factum eſt, vt protinus ob oculos mihi verſarentur quatuor obloquentium, & totidem iis reſpondentium ſpecies. Prima, mihi viſus ſum audire dicentem, Eccui tandem vſui futura ſunt hæc placita, cùm non exemplis, ſed legibus iudicandum eſt? Alium, ſic illi reſpondentem, A' Iuſtiniano Imperatore id quidem Demoſtheni Præfecto Prætorio reſcriptũ eſt: verùm magni refert, quid exemplis eo loco ſignificetur. Hoc non diffiteor non modò de reſponſis à Principe vel Iudicibus ac Magiſtratibus ad relationes, ſuggeſtiones, conſultationes factis, eſſe dictum: ſed de ſententiis quoque ab ipſis Iudicibus ac Magiſtratibus, cauſa cognita, latis: non tamen de iis, quas Imperator cognoſcens pro tribunali dixiſſet. Nam & Vlpianus antea tradidit, & is ipſe Imperator eidem Demoſtheni reſcripſit, huiuſmodi ſententias eſſe leges, non illis modò cauſis, de quibus eſſent dictæ, verùm etiam omnibus aliis ſimilibus. Quinetiam è contrario dici poteſt, illiuſmodi reſponſa, ius fuiſſe, ſi ritè, hoc eſt, moribus & approbata conſuetudine (vt Imperatoris eiuſdem verbis vtar) conſultationes eſſent iudicatæ, & à veritatis legúmque ac iuſtitiæ veſtigiis non eſſet aberratum: alioqui bonam Codicis illius atque etiam Pandectarum, & Pontificii iuris partem fruſtrà membranas occupaturam. Quòd autem de Principis cognoſcentis ſentẽtia & traditum eſt & reſcriptum, interpretes eò produxerunt, vt quod in communi auditorio ſtatueretur, ius eſſet, & meritò id quidem. Cõſtat enim proſtrata, poſt Auguſtum, Romani Senatus autoritate, cùm de ea, non quidem ad priſtinũ columen, ſed quadantenus erigenda cogitaretur, inductum fuiſſe primùm, vt reorum iudicatio eius eſſet. Et Neronem, inter alia, hoc quoque ſtatuiſſe, vt omnes appellationes à iudicibus ad Senatum fierent : & qui prouocarent, eiuſdem pecuniæ periculum facerẽt, cuius ii, qui Imperatorem appellaſſent: quod antea vacuum

ſolutúmque pœna fuerat. Poſtea Domitianum, vt à Senatu iudices peterentur, conſtituiſſe. Deinde Marcum Antonium Philoſophum multis cognitionibus ad ſe pertinentibus, Senatum iudicem dediſſe. Probum, actorum ſuorum æternitati conſecrandorum rationem, Senatus decretis ſummiſiſſe. Recentiores Imperatores, ipſum etiam Iuſtinianum, in iis ita maiores imitatum eſſe, vt in Pandectas illud Vlpiani retulerit, non ambigi Senatum ius facere poſſe: & quod de appellationibus modò diximus, à Theodoſiano Codice repetitum, ſuo ipſe inſeruerit. Et apud nos omni memoria ea ſic obſeruata fuerunt, vt hactenus res ab ampliſſ. Curia, Principis auſpiciis iudicatæ, conſultæ, conſtitutæ, & autoritate & exemplo & præiudicio, Senatuſconſultorum inſtar habuerint: & (vt Budæus noſter ait) tantum opinio præiudicata maieſtatis eius valuerit, vt nullus ſanæ mentis non ſatis eſſe putauerit dicere, Curia ipſa ita cenſuit, vt olim Pythagorici, de ſui Pythagoræ dogmatis, dicere ſolebāt. Quibus argumentis veriſimile eſt eos fuiſſe adductos, qui veteres & nouas ac nouiſſimas nobis ediderūt, quas Rotæ deciſiones appellāt. Hinc etiam ſummæ huius Curiæ noſtræ, ac Toloſanæ, Gratianopolitanæ & Burdegalenſis Placitorū fluxiſſe commentarios, quos primùm Iohannes Brolius, aliúſve tacito nomine, deinde Iohannes Gallus, Guido Papa & Nicolaus Boerius cōſcripſerunt. Hinc aliorum alios: quibus, vel eo maximè palàm eſt, illud, non exemplis, ſed legibus iudicandum, non idē fuiſſe, quod nunc à nōnullis vſurpari ſolet. De altera obloquentium ſpecie, venit in mētem, vnum aliquem, dum hæc meditaremur, eorū ſpecimen aliquod, & teſſeram veluti præcidaneam deſyderaſſe. Quam cùm nactus eſſet, vt nos, & alia, quàm vernacula lingua, & breuiter ſcribere animaduertit, dixit, quod adhuc fortaſſe dicturus eſt, Si Latinè (inquit) agendū eſt, modis omnibus eniti oportet, vt efficiatur. Ego verò, Lector, libēter agnoſco, bene Latinè loqui conatū me potius fuiſſe, quàm loquutum. Magnum hoc & arduū eſt, vt tu melius noſti: & in magnis (vt dicitur) voluiſſe ſat eſt. Verùm ſi ſatis ille notus eſt mihi, nō de ſermonis puritate loquebatur: quam certè quidē, vt ego non pollicebar, ita etiam noui me præſtare non poſſe. Sed eas res forſan ita tractari volebat, vt non antè ad placitū deueniretur, quàm ſpecie propoſita, omnes omnium litigatorū rationes adducerētur, & in vtranque (quod aiūt) partem fuſiſſimè diſſereretur: quorū alterum, integra litium inſtrumēta: alterum, iuris ac legum & multiplicis interpretū nomenclaturæ funditatorē, qualis ego non eſſem, deſyderaret. Cui me doctior aliquis, in hunc ferè modū, mihi viſus eſt reſpondere, Lōgè ante Lucium, eóſque qui adducti ſunt, alii ſentētias ius faciētes, in cōmētarios retulerūt, quos magis ſequēdos eſſe puto. Scripſit Iulius Paulus, quem legum verticem alterū appellāt, Imperialium ſententiarū in cognitionibus prolatarū, ſex libros: ſentētiarū iterum, quinque ad Vitellium: quatuor, ad Neratium: atque etiam Decretorum tres. Scæuola, Papinianus, Mœtianus, Vlpianus, Marcianus, Calliſtratus, ſua ſcripta huiuſmodi ſententiis illuſtrarūt ac confirmarunt. Quin & Triphoninus, de iure reſpondens, citauit Petronii, Prætoris magni, ſententiam. Quarum ſententiarum, ac decretorum multa in libris Pandectarum habemus, tanta breuitate, elegātiáque complexa, vt ne vſpiam maiore quicquam: in quibus tamen ſpeciem, intētionem, depulſionem, iudicatū, eiúſque rationem inuenias, præterea nihil. Quæ omnia, Lector, tametſi tu vera eſſe noſti, & in numerato habes, tamen ſi per tuam humanitatem

,, mihi licet,hoc libẽter adducam.Cùm(inquit Paulus)vſuræ pretii fundi,ab eo,
,, qui à fiſco emerat peterentur, & emptor negaret traditam ſibi poſſeſſionem:
,, Imperator decreuit,iniquum eſſe vſuras exigi ab eo,qui fructus non percepiſ-
,, ſet.Et in Iuſtiniani Codice extat, quam huic adſcribi (puto) non grauaberis,
ſententia diui Seueri, data in perſona Marci Priſci, Idib. Ian. Pompeiano &
,, Auito COSS. Prius(inquit)de poſſeſſione pronuntiare,& ita crimen violentiæ
,, excutere præſes prouinciæ debuit:quod cùm non fecerit,iuſtè ab eo prouoca-
,, tum eſt,Quam,in eo genere,ſcribendi rationem,ſi,non dicam imitari,ſed ali-
quo interuallo ſequi datum eſſet, planè nobis in cælo eſſe videremur. Tertia
ſpecie ſubibat,qui ſic ampullas(vt inquit ille)& ſeſquipedalia verba proiiceret.
Latinos Placitorum commentarios edere,haudquaquam eſt procuratoris:cui
præter officii vilitatem, ſit etiam familiare, indoctum eſſe atque illiteratum.
Ad quem modeſtior alius, Me non latet, ad reſcriptum Impp. quod poſitum
eſt xxxiiii.cap.tit.de Decurionibus,lib.x.Cod.ad verbum vtilitatem,à gloſſula-
rio,neſcio quo,adnotatum fuiſſe,aliàs legi,vilitatem. Ex qua varia atque adeò
incerta lectione,hoc ille indiſtinctè collegit,ac in vniuerſum pro axiomate tra
didit.Sed,me Deus,nemo eſt vel mediocriter in iure verſatus, qui neſciat, pro-
curatorum duo eſſe genera:alterum,iudiciorum: alterum,negotiorum. Iudi-
ciorum(inquam)alios,inferiorum:alios,ſuperiorum:nemo,vel minimùm La-
tinè doctus,niſi planè bardus & ſtupidus,qui de negotiorũ, non de iudiciorum
,, procuratoribus reſcriptum eſſe neget. Sic enim habet, Si quis procurationem
,, facultatum ſuarum Curiali crediderit eſſe mãdandam, totius dignitatis exce-
,, ptione depulſa,grauiſſima pœna plectetur:Ille verò qui immemor libertatis &
,, generis,infamiſſimam ſuſcipiens vtilitatem, exiſtimationem ſuam ſeruili ob-
ſecundatione damnauerit,tradatur exilio.Et gladio ſuo,hoc eſt,alio reſcripto,
quod illemet gloſſularius adducit, confoditur, cuius quidem verba ſunt hæc:
Curialis neque procurator,neque conductor alienarum rerum,nec fideiuſſor,
aut mandator conductoris exiſtat.Quod & Andreas Alciatus,noſtra ætate iu-
ris interpres Græcè iuxta ac Latinè doctiſſimus,ſenſit, cùm de vilibus perſonis
eleganter tractaret. Illi enim,vel ex priore reſcripto,huiuſmodi procuratores
fuiſſe conſtat,quos vulgò factores appellamus. Cæterùm poſtulandi verbum,
quod eſt deſyderiũ ſuum, vel amici,in iure,apud eum qui iuriſdictioni præeſt,
exponere,vel alterius deſyderio cõtradicere,non de aduocatis modò, ſed etiam
de procuratoribus dicimus,neque id quidem iniuria: hoc enim vterque ordo
facit,ſed alter altero(fateor)amplius,honoratius,nobilius: quãquam & hic ſi-
ne altero,non ſatis poteſt, cùm ille(vt aiunt)litium dominus ſit. Quòd autem
ad literas attinet, non negauerim cognitorii ordinis iſtius homines, vt pluri-
mùm ἀμούσους καὶ ἀπαιδεύτους ὄντας τυγχάνειν.Sed ſi quis eſt ingenio non vſquequaque
infœlici, literis iam inde ab infantia deditus, quem pii ac fortaſſe plus æquo
ſoliciti parentis immatura prouidentia,aliúdve aliquod fatum,ad fori pulue-
rem,muſis forſan iratis & reclamantibus,tranſtulerit: quarum tamen ſemper
ille meminerit,eáſque,quoad eius per loci negotia licuit,coluerit:quid aliquid
vel Latinè non edat, earum maximè rerum, in quibus, multos annos ſit ipſe
verſatus? Et cognitoris,inter cætera,non eſt,obſeruare, atque etiam, ſi datum
eſt,edere,quibus de rebus quid iudicetur,ſiue ipſe eas,ſiue alius tractet? ecquis
eum,qui obſeruarit,neget,quid agat,quídve acturus ſit longè perſpicacius,vti-

lius,tutiúſque cogniturum?neminem literæ dedecent,neminem linguæ,neminem diſciplinæ:vbicunque poſitæ fuerint,lucent:& quancunque Spartam quiſque nactus fuerit,eam ſeipſis non dedignãtur exornari. Poſtrema ſpecie,vel de media noſtri iſtius ordinis turba , mihi conſurgens apparebat,qui diceret, Recténe de Lucio iactabatur, eum non niſi literis incumbere, & quam profeſſus eſſet, cognitoriam aſpernari? En Iuriſconſultum agit, in Cauſidici ſpeciem ſe comparat,rerum iudicatarum commentarios edit:qui ſi tanto ſtudio cognitoriam ſuam,quanto literas, amplexatus fuiſſet, Deus bone,rem familiarẽ quàm feciſſet ampliorẽ! Ad quem alius,qui intus & in cute me noſſe, nec odiſſe mihi videbatur. Tantúmne eſt abs re tua otii tibi,aliena vt cures, eáque nihil quæ ad te attinent? Vt vnumquenque aliquò ſua fata vocant, eſt Lucius animo ad literas natura valde propenſo. Quibus fortaſſe cùm potius,pro ſua in eas facilitate,totus eſſet relinquendus:tamen humanioribus, ab ornatiſſimo viro, Petro Remonio,fœliciter tum docente, nunc verò ſummi Curiæ Rothomagicæ Curionis,ac Principi ab interioribus cõſiliis(cui hoc ipſe (vti par eſt) magna cum laude,accepto ferre ſolet)pro ſuo diſcentis modulo inſtructus, & literis ſeuerioribus,hoc eſt,iuris ciuilis ſtudiis incumbens: ab iis,poſtea dum licuit repetitis, ad forum iudiciale, Cognitoriæ capeſſendæ cauſa, iuuenis admodum pertractus eſt.Quam cùm adeptus eſſet,ſi eam(vt tu obtrectas)contempſiſſet,certè triginta perpetuos annos(vt etiamnunc facit)non exercuiſſet. Si quam autem interea literis operam dedit,ſic temperauit, vt iis Cognitoriam exornaret, & fori negotiis nihil vnquam detraheretur: quod fortaſſis alius te melius ſit æſtimaturus. Cæterùm quem ſe faciat,vt ſe componat,quid edat vel non edat, parum refert:tu,ſi vales,tantundem præſtato. Quæ omnia cùm exactè perpẽderemus, inuenimus(niſi planè fallimur) reſpondentium rationes ſuo pondere,aliorum obiectiones eleuare,& grauiſſimæ Truchii ſentẽtiæ fauere potius quàm aduerſari. His igitur aliíſque nonnullis,qui acceſſerunt,primæ notæ calculis freti,& de tua,Lector,beneuolentia, licet immeriti, tamen plurimùm confidentes,permittimus vela ventis, & noſtris quantuliſcunque Placitorum commentariolis in vaſtum pelagus hominum oram ſoluentibus bene precamur: non eam gratiam aucupãtes,quam olim Sextus Papyrius, qui curiatas Romuli, Regúmque ſequentium leges ſine ordine latas in vnum compoſuit:aut Cneus Flauius,Appii Claudii Scriba, Libertini filius, qui ſurreptum legis actionum ipſi Claudio librum,populo tradidit,munus vſqueadeò gratum, vt Tribunus plebis fieret & Senator & AEdilis curulis:nec eam quæ inſperata contigit Martiali Aruerno, noſtri ordinis homini non illaudato,qui vnum & quinquaginta Amorum placita,à ſe conficta, literis mãdauit, quæ longo pòſt tempore Benedictus Curtius, Symphorianus,Iuriſconſultus, doctiſſimis ſuis commentariis non indigna eſſe exiſtimauit: ſed hoc vnum à te contendentes, quod alter alteri debemus, vt ſi quid offendimus(quemadmodum in multis,pro noſtra imbecillitate,offendiſſe non dubitamus) tu pro tua humanitate condones, & Chriſtiana modeſtia vel emendes,vel me perlibenter emendaturum admoneas: certa ſpe concepta,ſi feceris,nos alia multa quæ habemus,tibi,vt primùm dabitur,exhibituros & fortaſſe gratiam cum fœnore repoſituros. Vale.

Index librorum, titulorum

ET CAPITVM.

Liber primus.

De re diuina & ædibus sacris, Tit. I.

De his qui ad sacras ædes confugiunt, Tit. II.

De reliquiis & veneratione sanctorum, Tit. III.

De Pontifice Maximo, eiúsque Legato, cardinalibus, & aliis à Maximo Pontificibus, déque nonnullis, & illius canonibus, & eorum omnium diplomatis, Tit. IIII.

De sacris Sodalitiis vel Canonicor. colleg. &c. Tit. V.

De sacris mendicantium familiis, Tit. VI.

Liber II.

De potestate ac iurisdictione Ecclesiastica, Tit. I.

Ecclesiasticam potestatem ac iurisdictionem, ipsas etiam personas Ecclesiast. certis in specieb. ciuili, &c. Tit. II.

De appellationib. quæ à Pontificib. eorúmq; Iuridicis, &c. Tit. III.

De variis circa sacra beneficia controuersiis, vt iudicatum fuerit, Tit. IIII.

De Decimis, Tit. V.

Liber

Index librorum, titulorum & capitum.

Liber III.

De Principe, Tit. I.

De Principis potestate circa Ecclesiæ ministeria, Tit. II.

De vectigalibus publicis, Tit. III.

De Augusta, vel de Regina, Tit. IIII.

De Patriciis, Tit. V.

De Magistro militum, Tit. VI.

De Cancellario & codicillaribus officinis, Tit. VII.

Index librorum, titulorum & capitum.

Liber IIII.

De Curia, Tit. I.

De Curia in publicum prodeunte, Tit. II.

De Quatuor Curiæ primis, Tit. III.

De Classium inquisitoriarum Ductoribus, Tit. IIII.

De Curiæ Conscriptis, Tit. V.

Index librorum, titulorum & capitum.

Index librorum, titulorum & capitum.

Index librorum, titulorum & capitum.

Index librorum, titulorum & capitum.

Index librorum, titulorum & capitum.

Liber IX.

Apud quem rei venditæ autoritates, siue cautiones esse debeant, Tit. I.

Index librorum, titulorum & capitum.

Liber X.

Liber XI.

De iudiciis, & vbi quis agere vel conueniri debeat, Tit. IIII.

De curatore in litem, Tit. V.

De exceptionibus & præscriptionibus & præiudiciis, Tit. VI.

De litigiosis, Tit. VII.

De testibus, Tit. VIII.

Index librorum, titulorum & capitum.

Liber XII.

Index librorum, titulorum & capitum.

Ab autore inter excudendum addita quædam, quæ sic suis reponentur locis.

Index librorum, titulorum & capitum.

Table Francoiſe des liures,

TILTRES, ET CHAPITRES DE CE preſent volume d'arreſtz de la Court.

Premier liure.

Des chapitres & leurs habituez, & des curez & margliers, Tilt. V.

Des ordres mendians, Tilt. VI.

Liure II.

De la puissance & iurisdiction de l'Eglise, Tilt. I.

Que la puissance & iurisdiction de l'Eglise, & les personnes mesmes, sont en certains cas, subiectz a la iurisdiction laye, Tilt. II.

Des appellations comme d'abus, que lon interiecte des prelatz & de leurs officiaulx, appariteurs & ministres, Tilt. III.

Des aides & impostz, Tilt. III.

De la Royne, Tilt. IIII.

Des Pairs de France, Tilt. V.

Du Conestable, Tilt. VI.

Du Chancellier & des Chancelleries, Tilt. VII.

Liure IIII.

De la Court de Parlement, Tilt. I.

De la Court quant elle marche, Tilt. II.

Des quatre Presidens de la Court, Tilt. III.

Des Presidens des enquestes, Tilt. IIII.

Des Conseillers de la Court, Tilt. V.

De l'ordre de seoir en la Court, Tilt. VI.

De ceulx a qui on faict l'honneur de seoir en la Court, combien qu'ilz ne soient Conseillers en icelle, Tilt. VII.

Des Conseillers, ou Commissaires des requestes du Palais, Tilt. VIII.

Des gens du Roy, Tilt. IX.

Des Grephiers & Notaires de la Court, Tilt. X.

Des Huissiers de la Court, Tilt. XI.

Du rolle de la Court, & des officiers d'icelle, Tilt. XII.

Liure V.

Des Aduocatz de la Court, Tilt. I.

Des Procureurs de la Court, Tilt. II.

De l'ordre des plaidoiries de la Court, Tilt. III.

Des arrestz de la Court, Tilt. IIII.

Des espices, Tilt. V.

De proposition d'erreur, Tilt. VI.

Liure VI.

Des Generaulx des aides, & de leur iurisdiction, Tilt. I.

Des Generaulx des monnoyes, & des orfeures, Tilt. II.

Du Preuost de Paris & de ses Lieutenans & Auditeurs, du Cheualier du guet, des Commissaires & examinateurs, & des Grephier & Seelleur, Tilt. III.

Liure VII.

De l'estat & condition des hommes, Tilt. I.

Des mineurs de xxv. ans, Tilt. II.

De la signifiance des parolles, Tilt. III.

Des fiefz & des seigneurs & vassaulx, Tilt. IIII.

Des rotures, Tilt. V.

Des peages autres que Royaulx, & des fermes, moisons & rentes, Tilt. VI.

Des vsages des boys, Tilt. VII.

Liure VIII.

De dot, Tilt. I.

Des donations, Tilt. II.

De la communaulté de biens d'entre le mary & la femme, Tilt. III.

Des successions subiectes a restitution, Tilt. IX.

Des successions ab intestat, Tilt. X.

De partage & diuision de succession, Tilt. XI.

Liure IX.

Par deuers qui doibuent estre les lettres & tiltres d'vne chose vendue, Tilt. I.

De retraict conuentionel, Tilt. II.

De retraict lignager, Tilt. III.

Des euictions, Tilt. IIII.

De bail en garde de choſe immeuble. Tilt. V.

De denuntiation de nouuel oeuure, Tilt. VI.

De complaincte en cas de ſaiſine & de nouuelleté. Tilt. VII.

Des iurisdictions, & ou lon se peut faire conuenir l'vn l'autre. Tilt. IIII.

De curateur en cause, Tilt. V.

Des fins de non proceder & de non receuoir, Tilt. VI.

Des choses litigieuses, Tilt. VII.

Des tesmoins, Tilt. VIII.

De la foy que peut adiouster aux instrumens, Tilt. IX.

Des appellations, Tilt. X.

De ne riens attenter ne innouer au preiudice d'vn appel. Tilt. XI.

Qu'il fault necessairemẽt appeller, si on se sent greué. Tilt. XII.

A scauoir si on est tenu plaider par deuant le iuge dont on est appellant, Tilt. XIII.

Des choses iugees, & de l'effect des iugemens. Tilt. XIIII.

Des plaideurs aheurtez, Tilt. XV.

Des fruictz, reparations, meliorations, & despens, Tilt. XVI.

Que les

Des criees & ventes publiques, Tilt. XVII.

De cession de biens, Tilt. XVIII.

Que alienations faictes pour frauder les creanciers, doibuent estre reuoquees, Tilt. XIX.

Liure XII.

De la iurisdiction criminelle, Tilt. I.

Additions faictes par l'auteur en

IMPRIMANT.

Placitorum

Placitorum ſummæ apud GALLOS CVRIAE

LIB. I.

De re diuina & ædibus ſacris,

TIT. I.

DISCEPTABATVR an ſacerdoti, quòd ſacro τῷ χαριστηρίῳ (quam voce, vt nonnullis videtur, ab Hebræis oblationem ſignificantibus mutuata, nēpe מִסְּה, vulgò Miſſam appellant) operam dediſſet, mercedē petere liceret: necnon eius rei, cuius eſſet iuriſdictio. ET PETERE licere placuit, ſed nō à profano, niſi apud profanum iudicem. Petere (inquam) non ipſius quidem Chariſterii nomine: eſſe quippe (ὡς αὐτὸς ἔφα, & nos confidimus) ſacroſancti corporis & ſanguinis Opt. Max. Ieſu Chriſti ſeruatoris conſecrationem, eiúſque Deo Patri oblationem pro peccatis & offenſionibus noſtris, quæ res nulla alia cōmutari compararíue poſſit: ſed operæ veluti locatæ pretium, quam nec ſacerdos gratis præſtare tenetur: quis enim vnquam ſuis ſtipendiis militat? Quanquam Chriſtianæ modeſtiæ & ſacerdotis dignitati longè conuenientius eſt, ſi aliunde habens vnde ſe exhibere queat, ea in re potius iniuriā patiatur, quàm litiget. Ex tēpore, lite à Boeuino & Barioto perorata, VI. Id. Iul. M. D. XXXI. Saçerdoti, ob rem diuinam à ſe factam, agere licere.

II.

XI. Cal. Feb. M. D. L. Regius actor ac publicus verba fecit ad Curiam, de iis, qui ad deambulationes, negotia, aliáque (prò pudor) ſilentio potius prætereunda, quàm apertius vel ſcripto vel oratione per- Ædib. ſacris, ad deambulationes & cōfabulationes abuti vetitū.

ſequenda, non ſine maximo religionis ac rei cùm publicæ, tum priuatæ diſpendio, ſacris ædibus abutebantur: poſtulans vt morbo in dies longè latéque graſſanti mederi placeret. De qua re ita Cõſcripti cenſuerũt. PLACERE vt Regis ac Curiæ verbis, omnibus ordinum omnium Curialis ditionis hominibus, huiuſmodi ædium ſacrarum, & ſacrorum ipſorum cõtemptu ac profanatione interdiceretur, decies vicenis aſſibus, qui primùm: carcere, qui ſecundum: exemplari animaduerſione, qui tertiùm ſecus quicquam admitteret, interminatis. Et ne quis in poſterum ignorationem prætexeret, placere iuberi & Põtificibus, & Regiis iuridicis, iuſtis ac legitimis, & ſubcognitoribus etiam Regiis, vt illi per ſuarum diœceſum Curiones, ſolennibus inter ſacra præconiis, hocce conſultum inuulgarent: iſti, in eos, qui dicto minimè audientes ac refractarios ſe præberent, animaduerterent: ii ea diligenter omnia curarent, ac Curiæ renuntiarent: & nihilominus cõſultum per vrbes compitatim pro more promulgari.

III.

Ædib' ſacris, ad deambulandũ & confabulãdum, abutẽtes, monitos, nec parentes, protinus ducẽdos.

CIVIVM ſalutem, ciuitatum incolumitatem, vitam hominum quietam & beatam, ſcimus quidem penè omnes ſine legibus eſſe non poſſe. Et tantùm abeſt nos legum inopia laborare, vt præter tot antiquas, tot recèns editas, tam multas, tam frequenter ſanciamus (pace omnium dixerim) vt nonnullæ dum prodeunt, vix, aut ne vix quidem ſatis maturuerint. Fuítque, nec ita pridem, magiſtratus, qui, vel ſummo in Rempub. ſtudio, vel ſui ipſius amore, ac nominis in hominum opinione conſecrandi cupiditate, tanto legum ferendarum deſyderio teneretur, vt ſiquando per valetudinem, ſui copiam non faceret (honor ſit auribus) eum legem aliquam dicerent cacaturire. Sed quid iſta legum vtilitatis notitia, & tanta iam latarum copia, & ferendarum alacritas, cùm eas tam otioſè ac negligenter exercemus, vt vel eas ſemel fuiſſe latas, aut etiam tranſlatas ſatis eſſe videatur? Legis virtus (inquit Modeſtinus) eſt imperare, vetare, permittere, punire. Imperamus, vetamus, permittimus, ſtrenuè illa quidem: ſed punimus vtcũque, & paulominus legem, legíſue virtutem ſumma & vltima ſui parte mutilamus. Vnde non abs re dictum fuerit, aut ſeruandas eſſe leges, aut ſatius fore non fuiſſe latas. Cognitis enim

ac per impunitatem contemptis legibus, improbiores fieri homines ac sceleratiores. At verò quæ Africa id monstri nobis pepererit, prudenti cuilibet rerum æstimatori relinquimus coniiciendum. Quòd autem indulgentia (nimiam semper intelligo, nec enim vsqueadeò sum rigidus, vt nunquam indulgendum existimem) semper aliquid adferat mali, vel hoc vnum argumento esse potest. Grauissimè sanctissiméque Consulto decreuerat Amplissimus Ordo, quod postea Princeps Opt. Max. in legem transtulit, de ædibus sacris, ad deambulandum ac confabulandum non amplius abutendis. Sed quibus exequendi consulti, & legis exercendæ prouincia erat imposita, tam eam vel non susceperunt, vel susceptam defunctoriè administrarunt, támque parum aut nihil seueritatis adhibuerunt, vt consulto & lege, res deteriore quàm antea loco esse videretur. Feriis Pentecostalibus M. D. L I I. contigit ad diuæ Virginis matris, vt apparitori lege agenti, & nonnullis inter sacra deambulantibus ac confabulantibus, vt temperarent, imperanti, denuntiantíque ni facerent, eos à se ductum iri: alii confestim genua ponerent, alii ad sacella secederent: vnus thrasunculus non modò contemneret, verumetiam minitaretur, quod postridie conatus est efficere. Ex insidiis enim apparitorē adortus, eum ita vulnerauit, vt illi moriendum esse dicerent. De quibus v. Id. Iun. quæ proximæ fuerunt, cùm Dion. Riātius, Regis Aduocatus de collegii sentētia, mediis causarū actionibus apud Ampliss. Ordinē grauiter expostulasset: P L A C V I T, cōsultū ac legē iterum per cōpita promulgari, Regísq; ac Curiæ verbis imperari, vt eis summa cum religione pareretur. Eos qui posthac in ædibus sacris, dum sacra fierent, deambularent ac confabularentur, officii sui esse admonendos: nisi parērent, protinus ducendos. Eam in rem, priuatum quemlibet apparitori lege agenti præstò fore, & quantùm in se esset, operam dare, vt Numini debitus honos, Principi, Amplissimóque Ordini autoritas conseruaretur. Cæterùm quòd ad facinoris vltionem pertinebat, reum absentem requirendum adnotari censuerunt: & ne vsquam nostrarum gentium latere posset, omnibus qui eum receptarent, receptaríue nossent, ni proderent, diras Pontificum execrationes esse interminandas. Egregium, me hercule, decretū, & diuino cultui, sacrísque ceremoniis magno vsui

futurum, ſi tanta ſeueritate illud exequamur, quanta grauitate ac dignitate conflatum eſt ac pronuntiatum.

De his qui ad ſacras ædes confugiunt.

TIT. II.

I.

Aſylo exules non vti.

PERINIQVVM eſt, aſylo excipi eos, quorum ſcelera ſuos autores in exilium abegerint. Eſt enim aperta quædã legum ac iudiciorum fruſtratio, & improbis ac perditis hominibus abundè magnum impunitatis argumentum. Quamobrem Sodalibus apud Turones Martinianis vetuerunt, ne quem exilio affectum apud ſe in aſylo haberent, poſtea quàm exilii ſententiam reſcirent. Quòd ſi exules aſylo excedere detrectarent, eos & Põtificiis animaduerſionibus & Magiſtratuum ciuilium corrogata manu quamprimùm exigerẽt. v. Calendas Martias. M. CCCC. LXXXI.

II.

Aſylo furem, falſarium, reſtitutum.

ΙΕΡΟ'ΔΟΥΛΟΝ ἀποστάτην, ſummi Pontificis diplomatum ſublectorem, ſignorúmque corruptorem, aſylo, vnde abductus fuerat, reſtituendum. v. Non. Maii. M. CCCC. XL.

III.

Aſylum, ære alieno oppreſſos, fruſtrà petere.

EVM qui ob æs alienum, nexu corporis & fortunarum ſeſe alligauerit, etiam in loco ſacro poſſe comprehendi. Prid. Calend. Iulii. M. CCCC. LXXV.

De reliquiis & veneratione ſanctorum, TIT. III.

I.

Reliquiis de controuerſis decreta inquiſitio, & interim earũ vetita iactatio.

QVÀM Diuorum reliquias colere, quàm Diuos ipſos venerari debeamus, quàm ſuis ad Deum Opt. Max. poſſint patrociniis, quàm impiæ fraudis ſe alligãt, qui Diuorum reliquias non modò floccifaciunt, eorúmque ſimulacra deteſtantur, verumetiam Diuis ipſis, eorúmque precibus nihil omnino tribuunt, nemo eſt qui neſciat, nemo qui eat inficias, niſi ſi quis eſt qui nomine tenus, nihil præterea Chriſtianus ſit. Sed verò Sacerdotes aliquando fuiſſe non negauerim eò cupiditatis atque auaritiæ perductos, vt diuorum reliquias

ementirentur, earúmque rumore hominibus accitis, & vndique confluentibus, vim æris ingentem contraherent, piis interim mentibus imponentes egregié. Quod ſanè inter cætera, quæ iandiu à multis ſacerdotibus, cõtra ius & fas deſignata ſunt, quǽque à religione deſciſcentibus, anſam calumniandi præbuiſſe videmus, argumẽtum fuit, nec leuiſſimum, mea quidem ſententia. Ante annos CXLIIII. inter cœnobitas diuorum Petri & Lupi ſuborta eſt cõtrouerſia, quòd vtrique diui Lupi reliquias apud ſe eſſe prædicarent, ſtipémque cogerent eo nomine. III. Non. Octobris M. CCCC. V, PLACVIT vtroſque ſtipem quidem poſſe cogere, ſed ſi à reliquiarum iactatione temperarent. Decretũ interim Archiepiſcopum Senonenſem, præſulibus aliquot prouincialibus in conſilium adhibitis, de reliquiis inquiſiturum ac relaturum. Venit in mentem nonnullius ſacerdotis, eius, quam dicebam, farinæ, qui rei illius ergô, ligneum ſacroſanctæ Virginis matris ſimulacrum, carie vetuſtatéque propemodum confectum, ad pictoris tabernam occupandam potius, quàm inſtruendam multos iam annos propoſitum, tribus aut quatuor aſſibus emit: & capite, geminis foraminibus ab occipitio ad oculos terebrato, totidem vitibus recẽs ob eam cauſam putatis, in horto Curionicæ domus ad ſacram ædem, præſtigiis aliquibus aliis etiam adhibitis, applicuit. Poſtridie, impoſtore, nonnulliſque aliis, quos ille induxerat, hominibus (vt aiebant) minimè malis, in pergula deambulantibus, cùm vites, vt è recenti putatione ſolent, ſtillarent, Hui (inquit) diuæ Virginis imago, en, illachrymat. Illi ſtatim credere, demirari, obſtupeſcere: neque ſegnius rei fama peruagata eſt. Votis omnibus ferme omnes eò loci religionis cauſa contẽdunt, vt non longa temporis intercapedine, etiam pictori ea ipſa inceſſerit religio. Venit is, venit vxor, famulus: qui vota cùm diſſoluiſſent, pictor ad vxorem & famulum, Num (inquit) carioſa illa eſt icon, quæ tot annos tabernam occupauit? Illa ipſa, inquiunt. Taciti domum redeunt, ne aliis peregrinis eſſent offendiculo. Paulatim inuulgatur quod pictor deprehenderat. Inquiritur in ſacerdotem. Ille tandem criminis compertus, damnatur. Succurrit etiam Renaldus ad diuæ Virginis à campis, propter Lutetiã: ſuccurrit & Domeus Brixius, diuæ quoque Virginis effigies in diui Dionyſii ſuburbiis, quæ ἀπὸ τῆς πλανοφεγγοτώνης,

hoc eſt, ab omnimoda lætitia eſt appellata. Succurrũt & aliæ multæ id genus impoſturæ, ſed quas hîc enumerare non eſt operæpretium.

II.

S. Dionyſii caluariam, quæ ad diuæ virginis Lutetiæ oſtẽditur, Corinthii eſſe, non Areopagitæ.

PIETAS an cupiditas effecerit, vt Magnæ Matris Sodalitium aduerſus Hetæriarchum & cœnobitas Dionyſianos, ex diui Dionyſii Areopagitæ (quem nos Apoſtolum peculiariter noſtrum appellamus, & præcipuo inter diuos tutelares loco habemus) reliquiis, ſe caput habere contenderet: eius quidem certè ſeculi moribus relinquimus, quos tamen non vſqueadeò inuenimus inculpatos, vt nihil omnino ſit, quod non aliquid ſacerdotalem redoleat auaritiã. Verùm vtcunque ſe res habuerit, inferius Sodalitium è forẽſi prælio receſſit. Placuit enim controuerſum caput, diui Dionyſii quidem eſſe, ſed Corinthii, non illius Areopagitæ. XIII. Cal. Maii M. CCCC. X.

III.

D. Caroli diẽ feſtum non transferri: D. Hilarii cõtrá.

FESTOS diuorum Caroli Magni & Hilarii dies, in alios dies feſtos incidentes, alterum quidem confundi, alterum verò diffundi, & in alium diem reiici placuit: illum, X. Cal. Febr. M. D. VIII: hunc, Prid. Id. Ian. M. D. IX. Cuius diuerſitatis ratio quæ ſit, exploratũ certè quidem non habeo. Sed ii, & ſi qui alii huius generis extant, hi ſunt, quos pereleganter (vt alia omnia) Budæus noſter modò Baſilicæ Halcyonios, modò nefaſtos Curiæ appellat dies. Hi (inquam) de quibus iocantes dicere ſolẽt, optimos omnium eſſe dies: quippe quibus nec Deo, nec dæmoni, hoc eſt (vt ipſi intelligunt) neque ſacris, neque fori negotiis operá dare cogaris. nec enim ſunt omnibus, ſed propriè Curiæ feſti.

IIII.

D. Hilarius cur poti⁹ Lutetiæ, quàm alius celebretur.

DE diui Hilarii die feſto ex die dominico in craſtinũ transferendo, VI. Idus Ian. M. D. VIII, prorſus eadem fuit ordinis ampliſſ. ſententia. Qua de tranſlatione nonnulli cùm verba faceremus, intulit aliquis, Sed da ſodes, vnde hæc nobis inceſſit religio, vt potius Pictonum Antiſtitem, Hilarium, quàm Faronẽ Meldarum, Iulianum Cenomanorum, Germanũ Altiſſiodorenſium, atque alios id genus celebremus: & vt Pictonum Hilarium, non etiam Carolum & Romanorum Imp. & vniuerſæ Galliæ noſtræ Regem transferamus? Cui ego, dũ alius quid melius afferret, Anno M. CCCCXVIII, noſtris Gallorum rebus afflictis, vrbéque Regia, vnius portæ proditione, Burgũ-

dioni à Villario recepta, & paulò pòst cum aliis multis Anglo tradita, ad Pictones translatus est Ampliss. ordo, ibíque iura reddēs sedit, vsque dum meliore successu, ea pristino imperio reddita, ipse suis etiam est sedibus restitutus. Is interea (vt cōiicere licet, éstque sanè credibile) Pictonum ritus & ceremonias, pro sua (vti par erat) integritate ac religione seruauit: & quem in Hilario celebrando ac transferendo totis duo de viginti annis morem contraxerat, rediens secum aduexit, posteríſque reliquit.

De Pontifice Max. eiúſque legato, CARDINALIBVS, ET ALIIS à Maximo Pontificibus, déque nonnullis, & illius canonibus, & eorum omnium diplomatis, TIT. IIII.

I.

OCTAVO Id. Sept. M.CCCC.VI. Regio ac publico actore postulante, factum est Curiæ consultum de præfectorum Ecclesiæ cupiditate altius iam radices agente. PLACERE, vt Benedictus Pontifex Max. ab antistitiorū, alicrúmue sacrorū beneficiorum fructibus, quos primo quoque creati Antistitis anno percipere solebat, temperaret. Cardinei ordinis purpurati, non amplius caperent, quæ primo adeptæ dignitatis anno capiebant. Antistites & Archidiaconi, rerum sacrarum inuisendarum ac procurandarum nomine, nihil in præteritum prorsus, nihil in posterum exigerent, nisi fide bona, id sui muneris obirent. Dixerit aliquis, Placitum tēporibus expressum: nam schismate, quod XXV, plus minus annos, tribus de summa potestate contendentibus, viguisse tradunt, Ecclesia conturbabatur. Edicto Regio, Pontificiæ res erant imminutæ. Inde nata epistola, in Regem, Clerum, Academiam inuehēs: quæ famosa iudicata, pro tribunali in ore atque oculis omnium discerpta fuerat. Sed quale id cunque fuit, quod iudices permouerit, numini sanè ascribēdum puto. Christus enim Pontifex Opt. Max. terras iamiam relicturus, & ad patrem rediturus, Petro, quem cæteris animo vehemētiorem com-

Annua Pontifici Max. & Cardinalib⁹ abrogata.

Antistitib⁹ & Archidiaconis, visitationis nomine, nisi reipsa visitent, nihil deberi.

pererat, & in cuius persona, omnibus apostolis, horúmq; successoribus, germani atque absoluti pastoris ideam exprimere volebat: oues suas, quas sanguine suo redemerat, pascendas non antè commisit, quàm ab eo sui ter amorem stipulatus esset: vt ostenderet in has à Petro declarandum, quanti Dominum faceret, quem sibi ter charum professus fuisset: pastorémque agendum non dominum, & pascendas vt seruaret, non mactandas aut deglubendas vt perderet. Quod certè ille, nonnullíque alii eius successores, nec admodum multi præstiterunt. Sed postea venêre (quod & tum Dominus subindicabat) qui (prò dolor) non ipsius amore, sed rei suæ causa, custodiendi populi Christiani prouinciam subirent, imò verò inuaderēt, & non modò pastoris, sed & serui seruorum Dei nomen prætexentes, tyrānis interim ac prædonibus (si dicere fas est) ferè nihil essent absimiles. Huiusmodi fuit iste Benedictus, qui aut suapte libidine, aut iisce animaduersionibus accensus, diploma in Galliā misit, quo Regem, Regísque agnatos ac gētiles diris proscriptionibus omneis afficeret. Atqui Curiæ Academiæq; habitis à Rege comitiis, pro vniuersi consessus sentētia, diploma damnatum fuit ac discissum, IIII. Calend. Iunii M. CCCC. VIII: & XIII. Cal. Septemb. qui illud attulerant, in aream Regiæ Parisiis traducti, catamidiati, infamati.

Benedicti Pōtif. max. diploma dānatum ac discissum.

II.

VI. Id. Nouemb. M. CCCC. XIII, verba facta sunt in Curia, de profligatis Sacricolarum moribus emendādis, atque in primis summi ipsius Pontificis: qui superiore quadriennio, quinquennióue, nostratibus ex antistitiis, tricies centena millia numûm aureorum, caduci nomine corraserat. O' voraginem exhaurientem! Placuit delectū in collocādis antistitiis haberi iussum, obseruari religiosissimè: siquidem operæpretium, ac totius emendationis esse neruum. Cæterùm viros aliquot esse præficiēdos, auro Gallico retinēdo, nec amplius Romam exportando: quod ne fieret denuo vetitum est: suæ quadruplatoribus portionis, ad hoc suum strenuè munus obeundū, pollicitatione inuitatis.

Delectum in collocādis antistitiis haberi iussum, religiosissimè obseruādum esse.

Auro Gallico retinēdo, nec amplius Romam exportando, viros aliquot præficiendos.

III.

VII. Calend. Decemb. M. CCCC. XVII, iisdem ferè de rebus, ferè eadem placuerunt. additum est sacra beneficia, non nisi idoneis vt

Sacra beneficia, non nisi idoneis committenda.

committerentur. Vt quemadmodum caduci, ita & gratiæ faciendæ nomine, nihil Romam exportaretur. Vt pecuniæ exprimendæ rationes facesserent omnes. Vt eius sententiæ tot diplomata euulgarētur, vt neque ea legatos à Rege Constantiam missos præterire posset, neque ii contrà quicquam agerent. Receptum tamen, si summum Pontificem aut Ecclesiam œcumenicam alicuius egere contingeret, Gallicam (vt si qua alia) in officio permansuram. De quibus omnibus abrogandis postea tractatum aliquid, & fortasse confectum erit reperire: sed habemus in tabulis, quo affirmare audeamus, id omne, temporum iniquitate fuisse expressum.

Caduci nomine, & gratiæ faciendæ causa, nihil Romam exportandum.

IIII.

LEGATI à Pontifice maximo potestatem, non ab eius diplomatis palàm in Curia recitatis, atque in acta publica regestis: sed ex quo ipse à Rege exceptus est, accipiendā esse. Placitum vnius quidem classium, sed cæteris de ea re consultis ac cōspirantibus, pronuntiatum, VI. Id. Mart. M. D. XLVII, Gulielmo Pratensi & Vigilio Maria de primatu fani Eusebii Altissiodorensis contendentibus.

Legati Pōtificii potestatē accipi debere, ex quo is à Rege exceptus est.

V.

SI fortè de Cardinalis Ambœsiani, Legati Pontificii potestate ambigi contingeret, illéne aliquem, honoris, officii, munerísue consequendi gratia, Canonicum creare potuisset: Placuit esse præiudicatum, mentéque tenendum, id illi etiam licuisse. XII. Cal. Decemb. M. CCCC. XCIII.

Ambœsianū Card. Pōtificis max. Legatū, Canonicum, honoris consequendi gratia, creare potuisse.

VI.

SI apud summi Pontificis Legatum, etiam mensibus, qui Academicis, gradu insignibus, noménque de more professis ascripti sunt, sacerdotia purè eiurentur: in eis attribuendis, eum regulæ cancellariæ Apostolicæ, quæ dicitur, Si quis in infirmitate constitutus, gratiam facere posse iudicatum est. Placitum duarum classium inquisitoriarum, pronuntiatum IIII. Non. Iun. M. D. XXXVI. Florentino Paramentario, Rodolpho Tabario, & Lodoico Clerico de Grandisriui Curionatu diœcesis Nouiodunēsis possessione contēdētibus.

Legatū, regulæ, Si quis in infirmitate, gratiam facere posse, etiā mēsibus scholarum candidatis attributis.

VII.

POSTEA tamen ad maius Curiæ tribunal in summam controuersiam adductū est, hócne vel Pontifex summus ipse posset: ídque,

Legatus, an regulæ, Si quis in infir-

mitate, gratiā facere poſſit, menſibus ſcholarū candidatis attributis, ſub incudem reuocatum.

cùm variis ac firmiſſimis vtrinque argumentis, tum eo maximè, quòd & decretis Eccleſiæ panegyricis, quorum Pōtifex, ſummus ille quidem, ſed ſanctæ Synodo œcumenicæ obnoxius, gratiam facere, & pactis inter ſe & Regem, regníque Eccleſiam initis, quibus ſalua religione, aduerſari nequiret, id, quó de ageretur, comprehenſum eſſet. Qua de re tribunalitii Conſcripti frequentes ita cenſuerunt. DIPLOMATE Pontificio, quantùm ad regulam fructúſque ſacerdotii, eiuratori, pro penſione conceſſos pertinebat, nec probato, nec improbato, PLACERE, vindiciis ſecundum diplomatariū pronuntiatis, nullam prouocatione moram afferri, ſi ipſe iure tantùm iurando caueret. Præterea Antiſtites, ſi abeſſent, vicarios, nec poſtremæ notæ homines, poſthac ſubſtituere, qui ſacerdotia menſibus illis obuenientia, iis quibus obnoxia ſunt, attribuerēt: ſuo ipſis interea Antiſtitibus per ſe, attribuendi munere minimè caſſis. Poteſtatem vicariis factam in ſacrorum Sodalitiorum acta regeri, atque per eorum ſcribas, cùm res ita poſtularet, edi atque excribi. Antiſtites, eorúmue vicarios eiuſmodi attributionum commentarios conficere: ne quid ea in re ſolitæ fraudis admitteretur, id eſt, ne Academicis, vt antea, illuderetur. Pro cōſignata attributionis autoritate (quod areſti caput translatitium eſt) numum aureum, nec eo amplius exigi debere. Ex tempore XVI. Calend. Februarii. M.D.XLVIII.

Antiſtites, ſi abſint, vicariōs dare debere, qui ſcholarū cādidatis, ſuis mēſibꝰ dēt operā.

Vicariorum poteſtatē in Sodalitiorū acta eſſe regerendam.

Collationum cōmentarios eſſe conſcribendos.

Collati beneficii literæ cō ſignatæ, aureo numo æſtimatæ.

VIII.

Regulæ, Si quis in infirmitate, apud ordinarios beneficiorū collatores eſſe locum: quod perpetuò nō obtinuit.

AEGROTANS Vanelatius procuratorem dedit, qui ſodalitium ſacerdotium Matiſconenſe ſuum, Sodalibus, aliíve poteſtate prædito eiuraret, Curionatui Viciaco, quem Bernicotius obtinebat, cōmutandum. Quod cùm ex animi ſententia ſucceſſiſſet, eóque iure Bernicotius in ſacerdotii poſſeſſionem fuiſſet inductus: vt animaduertit Vanelatii morbum recruduiſſe, propiúſque hominem ad mortem adeſſe quàm putaſſet: cœpit à regula, Si quis in infirmitate conſtitutus, ſibi metuere, & de rebus in tuto collocandis, ſi quà fieri poſſet, cogitare. Ac bidui quidem interiectu, fecit, vt Vanelatii nomine, ſacerdotium rurſus eiuraretur apud Ant. Pratenſem, Pontificis max. Legatum, eius regulæ gratiam facere potentē: & hac, quod alia iam habebat, ſibi ratione cōparauit. Poſt tertium autem, quartúmve diem, cùm is de medio Vanelatium morbus ſuſtuliſſet, ſodalitium ſacerdo-

tium, perinde atque eius morte vacuum, Biturigi Sodales ipsi contulere. Tum Bernicotius cum Biturigico, retinẽdæ possessionis interdicto contẽdere: ille dicere, apud ordinarios sacrorũ beneficiorum collatores, regulæ non esse: hic contrà, vbicũque esse locũ. Dictis secundum Biturigicũ vindiciis, Bernicotius prouocauit. ET PLACVIT perperam esse prouocatum. Regulam enim, propter dictionẽ [vbicunque] in ea positam (vt in ipsis Curiæ commentariis haberi credebatur) esse vniuersalem, & ad quos sacrorum cunque beneficiorum collatores pertinere. Itaque cõtrouersum sacerdotiũ, Vanelatii morte, non ipsius eiuratione, sacerdote vacuum fuisse: quòd is, intra vigesimum eiurationis diem, vita excessisset. Cæterùm quòd ad legati collationem pertinebat, eam nullius esse momenti, propterea quòd eiurans etiam tum communi luce frueretur: & is cuius gratia eiuratum fuisset, eo nomine à Sodalibus cooptatus, sacerdotio incumberet: qui titulus interea valeret, dũ expectabatur, si quid eiuratori intra id temporis humanitus accideret. Placitum pronuntiatum * Anno M. D. XXXVIII. Habes, ea de regula, credulam temporis illius sententiam, mox alîus aliam, sed veriorem habiturus.

IX.

CVRIONATVM Andibus Bœsserianum, eorum antistes duobus contulerat. Vni, decũbentis eiuratione: alteri, eiurantis ipsius morte, quæ intra vigesimum diem insequuta fuisset. Ab hoc caducario ille eiuratione cooptatus, queribũdo possessionis iudicio lacessitus, summa lite inficialiter constituta, vindiciis superatus est: vnde Curiam appellauit, & meritò id quidem. Nam classibus aliquot consentientibus, ex contrario placuit, eum qui vindiciis inferior fuisset, iusta fore possessione superiorem. Germana quippe regula penitius inspecta, eam neque ipsius verbis, neque coniecta mente constituentis, vltra Pontificem max. eiúsque legatum produci posse. Arestis Sextilibus M. D. L. Si quis igitur superius illud tibi placitum obiecerit, erit ad manum, quo clauum (vt dicitur) clauo queas detrudere.

Regulam, Si quis in infirmitate, vltra Pontificem max. eiúsque legatum non produci.

X.

NVNC ergo expeditum est, regulam de viginti diebus post eiurationem obseruandis, apud ordinarios sacerdotiorum collatores aliquando vsurpatam, hocce gradu deiectam esse atque abactam. Sed

Pontificis max. cãdidatum (quẽ mãdatarium appellant) non

facere, vt regulæ, Si quis in infirmitate, sit locus apud ordinarios.

ſi quis eſt, cuius gratia Pōtifex max. ordinario reſcripſerit, vt ei ſacerdotium attribuat (quem mandatariū appellant) erítne regulæ, propter huiuſcemodi mandatum, locus? E T Cærario, mādatario, de Frōcæio Curionatu, ad Prætorianū conſilium, cum Thoo cōtendente, locum non eſſe placuit, ita vt ſecūdum Thoum, eiuratione cooptatum, vindiciæ fuerint dictæ, Prid. Id. April. M. D. X L V. Etenim regulam, non vnam omnium conferendorum ſacerdotiorum eſſe legem, ſed Pontificis max. eiúſque Legati officinæ diplomaticæ propriam. Deinde eam tam non eſſe gratioſorum, vel, ſi mauis, expectātium huiuſmodi cauſa factam, vt in ea mentio eorum nulla prorſus habeatur: verùm tranſlatitiorum, hoc eſt, ordinariorum collatorum gratia, καὶ τῆς (ſi Deo placet) ἐκκλησιαστικῆς πολυτείας τινὸς ἕνεκα, vt ne iis nimium incommodaretur, & ſummus ipſe Pontifex ad ſe aditum, alioqui facilem ſatis, omnino non intercluderet.

X I.

Regulæ, De veriſimili notitia, derogatio, quatenus recepta.

H V I V S argumenti litibus iudicandis, vſque dum aliud conſtitueretur, ſic in præteritum itidem, in poſterúmque proſpectum eſſe placuit. Ampliſſimi quippe ordinis memoriæ mandari, ſi diplomaticæ regulæ, De veriſimili notitia, Pontifex max. eiúſue Legatus, quid derogaſſet, ipſum ordinem derogationis rationem non habiturum: præterquam ſi quis apud eorum alterum, cuiuſpiam gratia, beneficium ſuum mandaſſet eiurari, & eiurationem collatio eſſet inſequuta, cum clauſula, Etiam ſi per obitum, adiecta huiuſmodi derogatione: ídque tot dierum interiectu, non quidem à mandatoris morte, ſi ea contigiſſet, verùm à nuntii dimiſſione ad collationem numerandorum, vt veriſimile fieret, mandatoris voluntatem ad Pontificem vel Legatum, ſine dolo malo, fuiſſe perlatam: quod tempus definiri non placuit, ſed iudicantium arbitrio eſſe relinquēdum. Receptum tamen eos qui derogationis præſidio, anno ſolido beneficium vſurpaſſent, ſi nihil aliud aduerſaretur, interdicto retinendæ poſſeſſionis fore tutos. X I I. Cal. Decemb. M. C C C C. X C I I I. Conſultū ſanè, vt Eccleſiaſticæ hierarchiæ ratio iandudū conturbata ferebat, æquabile ac temperatū. Nam ſi ad germanos canones, cùm antiquitatis autoritate colendos, tum religionis ſanctitate verēdos, rem exegiſſent: dubio procul non derogationi modò, verùm ipſi etiam regulæ, erat

Veriſimilis notitiæ tempus, iudicantium arbitrio relictum.

vſus omnino abrogandus. Illa enim, quanquam (vt diximus) temperata, quoddam in beneficiis ſemper execratæ ſucceſſionis genus inducit: hæc, tametſi ambitioni modum aliquem adhibens, imò verò vtraque, ſuam Antiſtitibus, ſacerdotiorum aliorúmque miniſteriorum diſpenſandorum prouinciam non permittit. Sed rebus poſt aliquot ſecula ſic comparatis, vt non niſi ſenſim ad rectæ rationis gnomonem reduci poſſent: quid aliud quàm regulæ fauendum exiſtimaſſes? Regulæ (inquam) à Martino v. aliíſque omnibus poſtea probatæ, quam vtcunque bonam non bonus Pontifex, ſed gladiator optimus max. tum demum edidiſſet, cùm poſt armis inuaſum Eccleſiæ principatum, omni ſcelerum genere coopertus, ac præter cætera, nō fucata nec adumbrata, ſed genuina atque aperta, & dignitatum & ſacrorum beneficiorum nundinatione, ad Conſtantianam Synodum vniuerſalem fuiſſet euocatus, omnia videlicet emendans, & ita inuidiam, cuius incendio vndique conflagrabat, à ſe (vt opinabatur) amoliturus. Iohannem XXIII. dico, qui eo in Concilio ſententiis omnibus, ſua etiam denique damnatus, ſummo de gradu deiectus, ac ſuo priuati, hoc eſt Balthaſaris Coſſæ, nomini redditus eſt. Fauiſſes (inquam) regulæ, cùm aliis multis, tum duabus potiſſimùm rationibus. Vna, quòd ſi ambitionem, ſi cupiditatem, ſi deſyderandæ captandǽque mortis alienæ occaſionem (quo ferè nihil ſceleratius eſſe poteſt) non omnino comprimit, impedit tamen ac reprimit. Altera, quòd ordinariorum ius & autoritatem quodammodo tuetur ac defendit: nimirum ne vel penitus vel nimium, ſua, per obitum, beneficia diſpenſandi poteſtate fraudentur. Quòd autem ad regulæ derogationem pertinet, ſi quis beneficii eiuratione obtinendi cauſa, Romam contēderit, & eiuratore interim lumine caſſo, is aliquid ſuſpicatus, beneficium nō modò eiuratione, verumetiam per obitum, ſi contigerit, impetrauerit: humanum eſt tolerabiléque, rei totius originem inſpici, & profectionis cauſam, non quidem ad obitum referri, ſed ad datum & acceptum fide bona eiurandi mandatum.

XII.

SVMMI Pontificis candidatus (qui mandatarius appellari ſolet) vtrum ambas Pontificis ipſius literas, nimirum populares & imperioſas (quas gratioſas vocant & rigoroſas) teneretur, an verò earum Pōtificis maxi. cādidatū, vel mandatariū, niſi vtraſque Pōtificis

C.i.

literas exhibeat, nihil prorſus agere.

alteras edere ac denuntiare ſufficeret, magnæ fuit aliquando controuerſiæ. Hanc faciebat, quòd imperioſæ ad populares non niſi cuiuſdam appendicis gererēt vicem, nec ad Antiſtitem, ſed ad purum magis exequutorem eſſent datæ: quódque Leonis x. Pontificis max. cōſtitutione, qua earum literarum formula præſcribebatur, hoc nec nominatim eſſet cautum, nec admodum, ob ea quæ diximus, neceſſariū videretur. QVA de re cùm tertiæ Inquiſitionum claſſis Conſcripti, & qui ab eis ex ſecunda, propter ipſius rei pondus ac grauitatem, in conſilium adhibiti fuerant, duas in parteis æquo ſententiarū numero diſceſſiſſent, réſque infecta ad primā delata fuiſſet: Placuit tandem huiuſmodi candidatos vtraſque literas edere ac denuntiare teneri: alioqui edentes nihil prorſum agere, ipſam videlicet editionem ac denuntiationem omnino eſſe nullam, nec vllo pacto Antiſtitem obſtrinxiſſe. Quod certè bonis omnibus non puto non placere. Eſt enim illud ſacrorum beneficiorū aucupium, contra veterum mores, ad miniſteriorum functionúmque eccleſiaſticarū perturbationem cōfuſionémque comparatum. Quamborem quis iſtis cum captatoribus ſummo ac ſtricto iure agi exiſtimet non oportere? Conſultum, quo tempore factum fuerit, non habemus: ſed inuenimus, Nicolaum Maſſuellum & Iacobum Bariliolum ei cauſam præbuiſſe, cùm de primatu curiato Corboſonii & Tayæ, eius appendicis, diœceſeos Aurelianen. eorúmue poſſeſſione in Curia decertarent.

XIII.

Pontificiū diploma, vel mandatū, his verbis, Quod duxerit requirendū aut acceptādum nō vitiari.

HIS verbis, Quod duxerit requirendum aut acceptādum, in Pontificio eius generis diplomate poſitis, quod gratias expectatiuas & mandata de prouidendo, vulgus appellat, Placuit diploma non vitiari: ſed ea pro conditione accipi, vt ſi poſt menſem, quàm diploma exhibitum fuerit ac denuntiatum, ſacrum aliquod beneficium vacare contigerit, & illud diplomatarius ſtatim petat, Antiſtes, aliúſue beneficii diſpēſator, mandato parere habeat: ſin minus, ſit in eius nondum interpellati arbitrio ac poteſtate, quem beneficio malit afficere. V. Mart. M. D. VIII.

XIIII.

Pontificiū diploma, vel

HVIVS clauſulæ, Dummodo prioratus ſeu alia dignitas conuen-

tualis, vel officium huiusmodi claustrale non existat, in id genus diplomatis, quæ ad regularia beneficia vocant, insertione, ipsa diplomata funditus euerti placuit, mense Maio, M. D. XXXVI. Placitum primæ & secūdæ classium Inquisitoriarum, nonnullorúmque ex secunda ascitorum, cùm in altera earum, Renati Locrii, Iohannis Rossellii, Iohannis Vincentii, & Caroli Seuini, de primatu sani Clementis Cheneii, Augustinianæ familiæ, membro cœnobii D. Magdalenes Castrodunensis, controuersia disceptaretur.

mandatum quod ad regularia vocant, hac clausula, Dūmodo prioratus seu alia dignitas, &c. omnino corruere.

XV.

NE in sacerdotiorum, quæ conferrentur, diplomatis, qua solebat facilitate, falsi quicquam admitteretur, fraudísue fieret, Curialis ditionis Præsulibus, aliísque omnibus ad quos ea res pertineret, ab ipsa Curia nec semel aut iterum edictū est, vt in sacerdotiis aliísue id genus muneribus attribuendis, testes adhiberentur, ac diplomatis inscriberentur: atque in primis, VII. Id. Iun. M. D. XXVII.

Conferendis beneficiis testes adhibendos, & literis consignādis inscribēdos.

XVI.

ANTISTITII Parisiensis interregno, Sodalibus, maximísque Curionibus (quos Archidiaconos appellant) inter se discrepantibus, quorum auspiciis interregni munia essent obeunda, & possessoribus de re controuersa moribus deductis, ad XV. Cal. Mart. diem infularem, Anno M. CCCC. XX. cùm præter vnum Senonensem Archiepiscopum, superiorē, Lutetiæ nemo alius Præsul ageret: PLACVIT eum sine vlla vllius captione, infulas præstolantibus operam dare, eorúmque ornamentorum tesseras petentibus impertire, sed verbis à Curia conceptis, ipsiúsque sigillo consignādas, territorio in eam rem accommodato. Ita enim fieri, vt si postea Archiepiscopus id suo iure se fecisse contenderet, & Curiæ decreto, & elogiis à se ipso datis conuinceretur.

Archiepiscopo Senonen. suo iure, Lutetiæ ordinare nō licere: & eo veluti sequestro, in eam rem accommodato, vt his, cuia res erat, prospectum fuerit.

XVII.

SVPREMORVM Antistitis mandatorum curatores, vt antistitii ædificia sarta tectáque præbeant, rectè conueniri. VI. Calend. Decemb. M. CCC. LXXXIIII.

Testamenti Antistitis curatorem, vel executorē, ad sarta tecta rectè cōueniri.

De ſacris Sodalitiis vel Canonicorum

COLLEGIIS ET ASSECLIS EORVM, déque Curionibus & AEdituis, TIT. V.

I.

Nepotem ex filio, filiáve, eidẽ fano mi niſtrare, cui auus miniſtrauerit, nõ prohiberi.

EAM iuris Pontificii partem, qua filios iiſdẽ fanis aſcribi vetitum eſt, quibus patres miniſtrauerint, ad nepotes, etiã ex filio filiáve non produci placuit. x. Calend. Ian. M. D. XXXVI. Litigatorib. Iacobo Mieteo & Simone Burgœſio. Placitum celebratiſs. quod Gargiarum Curionatus appellatur.

II.

Statutũ, quo Sodales, vel Canonici poſſunt, in locũ demortui, quotquot ſe obtulerint, admittere, annale eſſe.

VBI ſtatuto cauetur, Sodales in locum Sodalis, cuius Sodalitium ſacerdotium in caduci cauſam ceſſerit, quotquot ſeſe obtulerint, admittere poſſe, ita intelligendum, modò ne caducarius annus exierit. Placitum ab Egidio Magiſtro, Regio Cauſidico inter orandum, ſine die (quod aiunt) & conſule citatum, VI. Calend. April. M. D. XLIX. ante Liberalia.

III.

Sacrorũ Sodalitiorũ ſacrificulis & aſſeclis, neq; in æde ſacra ſedẽ, neque in ſecretario eſſe locum.

SACRIFICVLIS & aſſeclis, qui ſacris Sodalitiis veluti ſupplemento eſſe ſolent, neque in æde ſacra ſedes, neque in ſecretario locus attribuendus eſt. Beneficio enim affectis, obnoxio illo quidem, ſed nobiliori functioni, atque adeò propè dominis, id iuris atque honoris conuenit: aſcriptitiis verò, quaſique famulantibus non item. Et ita Curia dictum voluit Baſilicani ſacelli Sodalibus, ſacrificulis & aſſeclis, XII. Cal. Octob. M. CCCC. XIII.

IIII.

Curionũ & Æditorum res, quib⁹ potiſſimùm placitis fuerint conſtitutæ.

AD Curionum AEdituorúmque munera quid pertineat, quídque cuique incumbat, res profectò eſt neque tam ambigua, neque tam obſcura, vt OEdipo griphorum diſſolutore, hoc eſt, ſumma Curia diſceptatrice opus eſſet. Neſcio tamen quæ Ate noſtro ſeculo res humanas, vt olim diuinas, ita cõturbauerit, vt inter cæteros ſacris etiam addictos, quos alioqui pacis amantiſſimos eſſe oportebat, frequenter eorũ hominũ litibus Curia perſonaret. Vnde multa eius decreta prodiere, ſed duo in primis nobiliſſima, & ad quæ, velut ad normam Leſbiã, cætera exigerentur, Manehultanum ſcilicet & Magdalenianum.

V.

CIRCITER Calend.Mart. M. CCCC.I. Decurionibus Abeuillanis & Ambianorum Præſuli pronuntiatū eſt, pro elogio præconii ſpōſaliū, quibus eſſet interceſſum, aſſem Pariſiorū, nec eo amplius percipi debere. Pro elogio commeatus, aliò, matrimonii cauſa, ſe recipiēdi, ſi peteretur, aſſem. Pro ſolenni matrimonii conſecratione, aſſem & vnciam. Pro ipſius teſſera conſecrationis, aſſem vnum & alterum. Pro liturgia, niſi ſi quis celebriorem, ſtatámque opperiri maluerit, aſſem & ſeſqui. Sacra facienti quæcunque offeruntur, niſi Curionem certa re pecuniáue contentum fore conuenerit. Pro thalami inauguratione, vini loco, dextantem. Nouos coniuges, nocte prima, impunè poſſe concumbere. Pro teſtamenti ſcriptione, eiúſque conſignatione, aſſes quatuor competere. Apud quos iudices ſiue pōtificios, ſiue profanos, teſtamēti curatores edant rationes, ipſos arbitraturos. Si quis è vita inteſtatus excederet, nec quicquam aliud obſtaret, iuſta nihilominus ei facienda. Quæ omnia nec obſcurè nobis oſtendunt, eo quoque ſeculo, (quod ad ſuperiorū, noſtríque (dicámne lutei?) collationem, lubens terreum appellauerim,) animis ſacerdotum inſediſſe cupiditatem: quæ nunc qualis, quantáque ſit, quámque decreti huius inſtauratione ſit opus, nemo non videt. Extitit haud ita pridem cui moribundo, cùm poſt collectū viaticum Chriſtianū, etiam de teſtamenti nūcupatione obtruderetur: mihi (inquit alius, qui compertam hominis egeſtatem habebat, vtpote qui eam pro viribus leuare ſoleret) videtur is optimè teſtatus, qui animo, admiſſis omnibus, quoad eius per humanæ cōditionis imbecillitatem fieri licuit, repurgato, Dominici corporis dapibus ſaginatus, neque non efficaci cōtra ſpiritales agones vnguine duratus, ipſum animum Deo Opt. Max. magnæ matri cadauer, vxori memoriam ſui, curámque liberorum commendauit: niſi ſi quid præterea ſit, quod poſt mortem ſuam fieri velit. Quæ cùm omnibus placuiſſent, nullo alio condito teſtamento, mors inſecuta eſt. Accerſuntur ſacerdotes, vt iis de more præeuntibus, funus efferretur. Quibus de teſtamento interrogantibus, atque hæc quæ diximus, audientibus, retulit alius ſe funeri operam non daturū, niſi aut teſtamentum, ſaltem quinquuſſe promereretur, aut de ea re conſultus Epiſcopus, eiúſue vicarii conce-

Curionū iura nonnulla cōſtituta.

Teſtamentorū curatores, apud quos rationes edant.

Inteſtatū excedentē non ideo minus eſſe funerandum.

derent. Alius,cùm intellexiſſet, cuius ſententia eiuſmodi teſtamentum eſſet omiſſum, ô (inquit) de orthodoxa fide malè ſentientem, imò verò planè hæreticum! Quod vt ad eum perlatum eſt,exequiis interim vtcunque celebratis, is Procurionem, vt aliis ſacerdotibus honore, ita & auaritia præcellentem adortus, Síccine (inquit) ſymmyſtas ad tuum ingenium factos oportuit,vt ſi quis à veſtræ cupiditatis inſtitutis tráſuerſum (quod aiunt) digitum recederet,eum protinus impiæ fraudis inſimularent? Quod ille, paulò antequàm moreretur fecit, éſtne hominis Chriſtiani teſtamẽtum? Quod aliud ſeruator Chriſtus,dum in terris ageret,præcepit? Quod aliud moriens fecit, præterquàm quòd ipſe diſcipulum matri, matrem diſcipulo, hic liberos,ſuíque memoriam vxori cõmendauit? Quis vos,id quod in caſu arbitrióque poſitum eſt, pertrahere patiatur ad neceſſitatem? Itáne verò Tobias, cæteríque eo nomine cõmendatiſſimi, mortuos ſepeliebant? Eóſne vos imitamini? vos (inquam) qui,ſi eius,qui efferri debeat,facultates expectationi veſtræ reſpõſuras addubitetis, non antè pedem moueatis, quàm mendicatione, aut alia quauis ratione, vndecunque corradatur, quod vobis latrantibus in os obiiciatur? At ille,nobis (inquit) è veſtigio dica grandis ad Põtificium iudicem impingeretur,ſi ſecus quicquã ageremus. O (inquit alius) egregios Chriſtianarum ouium paſtores. Tondêre iſtud eſt,an deglubere? paſcere,an deuorare? Ego verò qui tum fortè aderam,nihil optaui magis, quàm vt quæſtuaria illa dica impacta, Regius actor ac publicus,veluti quiſpiam è machina Deus, illaberetur, qui tribunitio ſpiritu eiuſmodi corruptelas,ceu execrandum facinus,ſolenni prouocatione curaret abolendas. Quod etiam priuato licere, nemo iuerit inficias: ſatis enim fuerit,rem ad eum pertinere,& contra Curiæ decretum eſſe factam: quod alterum eſt trium argumentorum, velut ab abuſu (quod aiunt) prouocandi.

VI.

Iactatum Synodi decretũ, de inteſtatò mortuis,niſi petita venia, non funerandis,ſublatũ.

FECIT Deus Opt. Max. vt aliquando voti compotes eſſemus. Cùm enim Philibertus Coëtius, Iuriſcõſultus, Reginæ à Libellis, eiuſque Cauſidicus, ſumma cum pietate ac religione, Chriſtiani munia omnia, ſuúmque diem inteſtatus obiuiſſet: & eum Curio ſuus, futuræ controuerſiæ non ignarus, inconſulto Pontifice, hoc eſt, venia

minimè redempta, cætera (vt aſſolet) humo condidiſſet: íſque ob eam cauſam, non ſecus atque ſi in patrios cineres minxiſſet, in ius abriperetur: Regiæ Procurationis Triumuiri, facinoris vltores, non ſine magna Coëtii laude inſurrexerunt, & ab illo toties iactato Synodi decreto, quod ante ducentos vel trecentos annos factum fuiſſe ferunt, quóque Pontifices, vel potius Pontificum perſonæ, ſuam illam cupiditatē prætexere ſolebant, prouocauerunt. Quod certamen vbi Pōtifex per aliquot dies detrectaſſet, decretum tandem, ſumma quidem vetuſtate, ac religionis ſpecie verendum, intus autem initio fortaſſe ſuperſtitioſum, poſtea numarium factum, antiquari placuit. Ex tempore, Idib. Iun. M. D. L I I. Vides quàm mordicus hæreant, & vix vnquam reuelli poſſint quæſtuoſæ conſtitutiones.

De ſacris mendicantium familiis,

TIT. VI.

I.

IIS qui ſacris ceremoniis, perpetuǽque inopiæ ac mendicitati ſeſe deuouerunt, res ſoli habere non licere, dictum eſt Auguſtinianæ Ambianorum familiæ: iuſſúmque vt datā ſibi domum, qua de agebatur, emanciparent. Nonis Decemb. M. C C C. L X X I. Sacris mendicantium familiis res ſoli habere non licere.

I I.

PENSITATIONEM ſacris Quatuor mendicantium familiis legatam præſtari nōn debere: ſed penſitationis ſortem inter eas diuidi, certis ad Deum precibus in teſtatoris gratiam, cuique familiæ ad annum tantùm imperatis. V I I. Id. April. à Martinalibus M. C C C. L X X X V. Sacras mēdicantium familias, penſitationes capere nō poſſe.

Placitorum ſummæ apud GALLOS CVRIAE

LIB. II.

De poteſtate ac iuriſdictione ecclesiastica, TIT. I.

I.

De Gallico ſacerdotio, Romæ non agendum.

DE Gallico ſacerdotio vetitum, ne Romæ reiuindicatione ageretur. VI. Calend. Feb. M. CCCC. XIX.

II.

Decimarum vindicationē iuriſdictionis eſſe Pontificiæ.

DECIMAS, niſi de earū poſſeſſione agatur, cognitionis eſſe Pontificiæ, ſecundum Baïocenſem Epiſcopum pronuntiatum eſt, Anno M. CC. LXII.

III.

Teſtamenta valeant, nécne, Pontificū non eſſe iuriſdictionē.

H τῶν ἐν διαθήκαις ἐπιμέλεια quanquam ad Epiſcopum maximè pertinet, non tamen cognitio, teſtamenta valeant, nécne. Pontificio igitur earum rerum Curatori, quem vulgò Teſtamentorum Magiſtrum appellant, eiuſmodi cognitionis vſurpatione interdictum eſt. IIII. Id. Ian. M. CCCC. XXVII.

IIII.

Archiepiſcopi Senonenſis, in reis cōprehendēdis ac traducendis, ius ampliſſ.

ARCHIEPISCOPO Senonenſi ius eſſe, non modò intra curiæ ſuæ cācellos, ipſámue curiam, ſed etiam intra vniuerſum ædium ambitum, reos relatos comprehendendi, ſcalámque traductoriam pro ædibus excitandi, quādocunque res ita poſtularet. XIX. Calend. Septemb. M. CCC. LXXIIII.

V.

Cœnobitæ à cāpis Martiniani, vt Cluniacēſes, foro Pōtificio nihil obnoxii.

COENOBITAS diui Martini à campis, vt Cluniacenſi familiæ aſcriptos, Pontificio foro nihil eſſe obnoxios: ideóque reos delatos vnum & alterum Cœnobiarcho redditos, legibus, canonibus, moribus interrogandos. III. Cal. Iun. M. CCC. LXXVII.

VI.

Frāciſcani foro Pontificio exempti.

EPISCOPO, ad ſua iura, Cuſtode Franciſcanæ familiæ, ad ſua pri-

uilegia, Franciſcanum reum delatum reiici deſyderantibus: priuilegiis iuri Pontificio inſertis, & (quod aiunt) in eius corpore clauſis, indultum eſt, IIII. Cal. Mart. M. CCCC. XXVII.

VII.

NOSOCOMII Lutetiæ Sodales Pontificiæ iuriſdictioni exẽptos: atque adeò Sodalem, reum poſtulatum, ad Sodalitium eſſe relegandum. Prid. Id. April. M. CCCLXXIIII. poſt Martinalia. Publici valetudinarii Sodales Pontificiæ iuriſdictioni exẽpti.

VIII.

MONETAE adulteratores areola inſignitos, Pontificio iuri permitti placuit, recepta præcipui criminis animaduerſione. Pridie Non. Iul. M. CCCC. XXXVII. Monetæ adulteratorẽ, ſancti verticis vti præſidio.

IX.

CVSTODIAM, ius initiati verticis vſurpantem, & ſi ab Epiſcopo Xantonenſi, ſuo, vindicaretur: tamen ad noſtratem, nempe Pariſiorum, Curiæ placuit eſſe remittẽdam. Idib. Iun. M. CCC. XCI. à Martinalibus. Cuſtodia palatina, ſi ad ius Põtificiũ relegãda eſt, quem habeat iudicem.

X.

IVS ſancti verticis tanti fieri placuit, vt profanus, criminis compertus, cui poſt admiſſum facinus, mutata veſte caput forfice delibatum fuerat, non antè damnaretur, quàm raſus veſtem recepiſſet. Idib. Iun. M. CCC. LXXI. Curiæ, circa ius ſãcti verticis, ſumma religio.

Eccleſiaſticam poteſtatem ac iuriſdictionem, ipsas etiam personas Eccleſiaſticas certis in ſpeciebus, ciuili ac profanæ poteſtati & iuriſdictioni eſſe obnoxias, TIT. II.

I.

SI legem Rex tulerit, aliúdue ſanxerit, edixerit, conſtituerit, & ad ſummum Põtificem, Imperatorem, aliúmue, quem quis Rege maiorem eſſe duxerit, prouocetur: éſtne quod crimini detur? cuíque id ſpeciei aſcribendũ erit? ET AB ipſo Rege reſcriptum eſt, eos qui ab eius cõſtitutionibus, ad aurum è Gallia Romam non exportãdum, alióſque corruptos Eccleſiæ mores ad priſcæ religionis atque integritatis normam exigendos, pertinentibus, ſummum Pontificem appellaſſent, maieſtatis eſſe appellandos ac condemnandos: quod A Principe prouocare, appellare, crimen eſſe maieſtatis.

& Curia comprobauit. v. Calend. Mart. M. CCCC. XVII.

II.

Constitutiones, quæ solutam ecclesiã emendarent, obseruari iussæ.

EMENDATRICES solutæ Ecclesiæ constitutiones, sanctè ac religiosè obseruari iussæ, Prid. Non. Nouembr. M. CCCC. XXIIII.

III.

Ex legib. de Ecclesiæ Gallicanæ libertate latis, ius dicendum.

LEGES de Ecclesiæ Gallicanæ libertate latas, ad amussim & libellam exercendas: lites eò pertinentes, ex iis perinde atque ex oraculo diiudicandas: neque ob secus acta, leges à quoquam minus esse dicendas. x. Cal. April. M. CCCC. XXIIII.

IIII.

Pontificii diplomatis, abusum præ se ferentis, impetum, alia, quàm prouocationis ratione, cõprimi posse.

SI quid à summo Põtifice aduersus sanctissima iura, pactáue cõuẽta, imperiúmue profanum ac iurisdictionem designetur, iamdudum prodita est, nunc peruagatissima, quam à quodam veluti abusu prouocationem appellamus. Sed & aliam veteres comperimus iniuisse rationem. Inter enim cætera eius rei exempla, cùm Nannetensis Episcopus diploma impetrasset, quo, cõtra fidem à se datam, Principis autoritas imminueretur: PLACVIT diplomatis impetum esse comprimendum, & exequutori vetandum, illud ne exequeretur. VI. Cal. Septemb. M. CCCC. LVIII.

V.

Francigenas à Pontifice max. prima sortitione nõ coërceri.

NON modò pactis inter Leonem x. Pontificem maximũ & Franciscum Valesium primum conuentis, quæ Cõcordata appellant, sed iure vt eximio, ita & antiquissimo, solis Francigenis cõparatum est, vt à summo Pontifice, prima sortitione coërceri non possint. Itaque Idib. Martii M. CCCC. IX. Rhemorum Antistes, quòd contrà faciens, Gulielmum Martroium diris à Pontifice maximo programmatis affici curasset, pecuniæ damnatus est, iussúsque vt eo nodo Martroium explicari curaret, interminata, ni faceret, prædiariæ rei pigneratione. Solis, ex composito, dixi Francigenis. Prouocatorem enim eiusdem ferè speciei, quòd alienigena esset, prouocatione, quam velut ab abusu dicimus, summotum inuenimus in aduersariis nostris, sed sine die (quod aiunt) & Consule.

Francigenis, non peregrinis, à veluti abusu prouocãdi ius esse.

VI.

Põtifices, Curiæ non parẽtes vt coërceantur.

PONTIFICES imperia Curiæ, vel renuentes, vel impendiò detrectantes, publica tam Põtificii, quàm priuati patrimonii possessio-

ne placuit esse coërcendos. Cuius seueritatis exēplum in Rothomagensem Episcopum editum est, VIII. Id. Aug. M. CCC. LXXIII.

VII.

ET publicè & priuatim multùm interest, rebus iudicatis vt pareatur. Cardinalem igitur Constantianum, quòd Amplissimo sese Ordini contumacem ac refractarium præbuisset, ingentis pecuniæ tam erga Principem, quàm eos, cuia res erat, damnari placuit, XII. Calend. August. M. CCCC. LVIII. Cardinalis, Curiæ refractarius, pecuniæ dānatus.

VIII.

INTER cætera, quæ cùm gratuita esse deberent, Pontifices tamen in sua compēdia transtulêre, hoc quoque ita increbuerat, vt in Quæstorum rationibus titulum nec ignobilem sibi vindicasset: nempe vt Curionibus ascriptitiæ prouinciæ, munerísque per seipsos obeundi, etiam studiorum causa, gratiam non aliter auferre liceret, quàm si eam certa pecunia redimerent, ita vt gratia gratiæ quidem nomen retineret, cæterùm substantiam amitteret. ITAQVE Regiæ ac publicæ procurationis Triumuiris intercedentibus, PLACVIT, vt ab ea numatione Pontifices temperarent, & Quæstorum rationes ederentur, vt quod eo nomine acceptum relatum esset, pauperibus pro Curiæ arbitrio erogaretur. Ex tempore Non. Feb. M. D. XLVIII. Curionicæ prouinciæ per vicarium obeundæ venia non redimenda.

IX.

GERMANVM è custodia non antè emittēdum, quàm Cheminardum, sua causa, à parente Ecclesia perperam abdicatum, abdicatione inducta, in familiam receptum esse doceret. VI. Non. Iul. M. CCCC. XCIIII. Quod quidem ita inualuit, vt etiam hodie, cùm à Pontificiis iudicibus, sic homines abdicantibus, veluti canonica iurisdictione abutētibus prouocatur: diplomatis quæ prouocationum exercendarum gratia solent impetrari, hoc quoque addimus: vt magistratus cui hæc prouincia imponitur, si viderit, curet eiusmodi abdicationes interim sustineri, & cogendos omnes eò adigat: profanos quidem rerum atque etiam hominum (si res ita postulat) pigneratione: sacris verò addictos, profanis tantùm pignoribus captis. Sed quo iure hoc niti dicemus? forsitan inquies: nam in iure neque ciuili, neque Pontificio vsquam inueni, vt quis, quòd iudicatum non faciat, comprehendi possit, nisi vel ob crimen, vel ob nexum initum con- Pontificiis proscriptionib⁹ qui abusus fuerit, posse eum, ad curandā absolutionem, carcere coërceri.

demnatus: Et Pontificiæ generis huius animaduersiones, nónne diuino sunt iure inductæ? si quis eas curauerit, cui se crimini alligauit? quem nexum iniit, vt illi manus iniici debeat, & carcere coërceatur? Ego verò non inficior, veteres iurisprudentes, ipsos etiam Imperatores vsque ad Constantinum, Ecclesiam non modò contempsisse, verùm etiam oppugnasse: tantùm abest, vt ab ea exclusis ita succurreret. Reliquo iure ciuili, quod vel ipse legerim vel audiuerim, non puto contineri. Quòd autem ad Pontificium pertinet, nihil peius oderunt Pōtifices prouocationibus, quas à quodam veluti abusu appellant: quòd earum obtentu, huiusmodi animaduersiones frustrari solent, & tota canonicæ iurisdictionis ratio conturbari. Cæterùm, priore ad Corinthios epistola, diuus Paulus ita scribebat, Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, iam iudicaui vt præsens, eum qui sic operatus est, in nomine Domini Iesu Christi, congregatis vobis & meo spiritu, cum virtute Domini Iesu, tradere huiusmodi hominē Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini nostri Iesu Christi. Et Satanæ tradere, ab Ecclesia ceu Ethnicum excludere, & tanquam impium è piorum cœtu, pestiferum è salubrium contubernio profligare, interpretantur. Proinde, è re cuius Pontificii iudices eo iure vsi fuerint, modò ne dolus interuenerit, eum neque criminis quicquā designasse, neque nexū vllo modo iniuisse, quo in carcerem coniiciendus sit, existimauerim. Sed non abs re fortasse fuerit augurari, eos qui primùm hanc in speciem, eiusmodi coërtionem inuexerunt, in animum induxisse, longè grauius esse, velut morbidam ac vlcerosam ouem è communibus Ecclesiæ caulis eiici, quàm inter eas aliquo in secessu non includi modò, verùm, si voles, etiam vinciri. Quod facilè persuasum habebunt, non qui eò contemptæ religionis perducti sunt, vt Pontificiis dirarum imprecationibus, vinum nihil sibi minus sapere dictitent: sed qui veri cultus ac pietatis amantes satius (vti par est) esse ducunt, etiam ætatem in vinculis agere, quàm vel momento Ecclesia exulare, & interim eius sacramentis & benefactorum participatione priuari. Forsitan illis venit in mentem eius, quod erat in Tab. XII.

» AEris confessi, rebúsque rectè iudicatis triginta dies sunto.
» Pòst deinde manus iniectio esto: in ius ducito, ni iudicatum facit.

" Et paulò pòst, Vincito aut neruo, aut cõpedibus quindecim põdo, " &c. Forsitan subiit Euangelicum illud, Fac conuenias cum aduersa- " rio tuo citò, dum es in via cum illo: nequãdo te tradat aduersarius iu- " dici, & iudex te tradat ministro, & in carcerem coniiciaris. Amen di- " co tibi, non exibis inde, donec persolueris extremũ quadrantem. Sed hoc ius vndecũque Ampliss. Ordo transtulerit, piũ ac religiosum esse videtur: vt Christianus Satanicæ tyrãnidi expositus, modis omnibus ab æquo bono nihil abhorrentibus, in pristinã libertatem asseratur.

X.

SI quis velut optimo iure sacerdotium ἀνταλλάγματος ἕνεκεν eiurauerit, quod tamen pẽsitationi, aut aliter esset obnoxium: etiam apud profanos iudices eum cõueniri posse, vt aut liberum præstet, aut petitori, sacerdotii à se mutuo eiurati possessionem recipiendi potestas fiat. Quæ res sæpe quidẽ iudicata est: sed in primis à Prætoriano consilio, Cardinale Borbonio, & Corbiensi Hetæriarcho de ea re disceptantibus. Chartarius admonuit.

Beneficii ecclesiastici per mutatorem quatenus liceat apud profanũ iudicem conuenire.

XI.

CIVIUM Laudunensium partibus, altera sacra, altera profana, inter se discrepantibus, an publicis operibus faciendis, communibúsque commoditatibus comparandis, sacris addicti ciues conferre tenerentur: eos in fiduciæ speciem, ex quadrante teneri placuit. IIII. Calend. August. M. CCCC. IIII.

Ecclesiasticos ciues publicis vrbis impẽdiis conferre teneri.

XII.

POSTEA summæ rei iudicio, V. Id. Decemb. M. CCCC. V. PLACUIT sacris addictos, horum stipendiis cõferre teneri: nempe militiæ Præfecti, excubias tam in vrbe, quàm extra vrbẽ agentium, portas custodientium, fontes cloacásque purgãtium, incendia restinguentium: ad horologii verò, pontiúmque curã sustinentium, non teneri.

Ciues ecclesiastici, quib9 publicis vrbis impẽdiis conferre teneantur.

XIII.

AD vrbem muniendam, tuendam, sacros etiam ciues tributum conferre teneri, bonáque eorum profana, ni conferant, publicè possideri posse pronũtiatum est, Consulibus, sacróque Sodalitio Lugdunensibus, de ea re disceptantibus, XV. Calend. Iun. M. CCC. LXIX. Et postea Episcopo, Clero, ac Consulibus fani Flori Aruernorum, IIII. Id. Iun. M. CCC. LXXIX.

Ecclesiasticos ciues vrbi muniẽdæ conferre teneri.

XIIII.

Ciues ecclesiastici, quibus publicis vrbis impendiis conferre teneantur.

MATISCONVM Antistiti ac Sodalitio (quos omneis, vt limitaneos, fœderi Attrebatibus icto cõprehensos esse ferũt) eadem omnia incumbere placuit, addita etiam põtium, viarúmque difficilium refectione: non tamen iis de causis ipsos homines, sed eorum res duntaxat profanas esse pignerandas. Cæterùm, quòd ad æris eius collationem pertinebat, quòd Scribæ Regii (quem vulgò Tabellionẽ appellant) recèns editi, penitus abolẽdi causa, prouinciæ imperandum, & Principi offerendum esse, tres ipsius prouinciæ ordines conuentu panegyrico decreuerant, an ille quoque primus ordo conferre teneretur: placuit amplius esse deliberandum, VI. Non. Martii, M. D. LII.

XV.

Ecclesiasticã personã, quæ profanis reb9 se miscuerit, apud profanũ iudicẽ posse conueniri.

SACERDOTEM, sacrísue initiatum, qui rebus profanis sese miscuerit, si ad profanum iudicem iis de rebus in ius vocetur, ire debere, neque Pontificii fori præscriptione vti posse, permultis Curiæ autoritatibus est comprobatum.

XVI.

Publicanum sacerdotẽ, in ius profanũ, ea de re, vocari posse.

BVRGVNDIONVM Duci & Odemarensibus formulam in personam intendentibus, Nicolaus Robelotus, sacerdos, vnde petebatur, ius canonici fori præscripsit. Quod, prima quidem fronte, speciosissimum videbatur: sed, vt clauus (quod dicitur) clauum, sic alia exceptio aliam extrusit. Extra quam (inquiebant petitores) si publicanum sacerdotem in ius vocauerimus, de re ad huiusmodi negotiationem pertinente. ITAQVE placuit sacerdotem iudicium accipere debere. III. Id. Ian. M. CCCC. XXVI.

XVII.

Ecclesiasticã personam apud profanũ iudicẽ, actione mixta rectè cõueniri.

QVIDAM sacerdos appellauerat, quòd ex consignata cautione, cognitóue chirographo conuentus, vt debitam pecuniam solueret, aut hypothecas auctioni permitteret, Pontificii fori præscriptione summotus fuisset. Causabatur actionẽ in personam esse conceptam, neque ei quicquam inesse, quod rem saperet, nisi fortè accessione, & quasi pedissequum, nonnullis in eam sententiam ipsius Curiæ citatis autoritatibus. È diuerso respondebatur, actionem esse mixtam & in rem & in personam, nihílque Pontificii fori esse posse, quod rei vel minimum haberet admixtum. PLACVIT rectè atque ordine

iudicatum, temereque prouocatum, adiecta statæ mulctæ clausula. Placitum extemporale ac pomeridianum. * Ian. M. D. XLV, Pericardo ex Causidicis altero.

XVIII.

PRISCA nostratium, de relegandis ad ius Pontificium reis infulatis, religio (superstitionem fortasse audacior aliquis appellauerit) fecit, vt quamplurimi, vertice tātùm sanctis similes, cætera profani, vel cōtaminatissimi potius, hocce amuleto, aduersus leges iudiciáque salubria vitæ, sibi comparato, in aliorum res vitámque grassarentur, omnia præsidēter auderent, séque omni scelerum genere obruerēt: & tamen cōprehensi, & in Pontificium carcerem relegati, præcipui admissi quantuncunque recepta quæstione, eiusmodi postico iustitiæ carceris, sacrosanctas fallerent leges, ipsámque iustitiam ac seueritatem, legum atque innocentiæ vindicem. Sed tandem vsuuenit, quod vulgari parœmia iactari solet, TAM malè cedere, vt aliquando tandē bene cedat. Nuper enim Curiæ decretis inductum est, vt eius farinæ reis, quocunque sanctitatis iure sint præditi, comprehensis, siquid est criminis eximii, Regiǽque animaduersionis, id primùm quæratur, ac vindicetur: reo postea ad sua iura (si res ita postulauerit) reiiciendo. Eius rei edita sunt exempla in vadatum Gulielmum Pellicerium Nitiobrigum Antistitem, in Boësium Episcopum Beterēsium. Postremò in Iohannem Rigoletum, initiatū, Reginæ procuratore id à classe Quæsitoria postulante, x. Cal. Septemb. M. D. XLIX.

Crimen eximiū, vel priuilegiarium, prius exequēdum, quàm quis ad ius Pontificium reiiciatur.

XIX.

SACRIS initiatum, qui postea in bello stipendia meruerit, delibati verticis iure vti non posse, persæpe iudicatum est.

Militiæ qui meruerit, eū sancti verticis iure non vti.

XX.

COENOBITAM erraticum, qui militiæ nomen dederat, meruerátque, excursorem, militari habitu comprehensum, latrunculator, cœnobii repetendi iure foríque præscriptione cassum pronuntiauit. Id, rerum capitalium ad Curiam Conscriptis, cùm ea appellata fuisset, etiam placuit: appellatore sexagenaria fraude mulctato. XII. Calend. Feb. M. D. XLVII.

Cœnobii desertor, idémque militiæ sectator erra-bundus, Cœnobii foríq; priuilegio cassus.

XXI.

HABITA deliberatione an Nicolaus Dæzius, capitis damnatus,

Stipendiis etiam suis qui

militarit, sancti verticis præsidio non vtitur.

prouocationis causa è vinculis dicta, sancti verticis præsidio summouendus esset, quòd neque nomine militiæ dato, neque Regiis, sed suis ipsius stipendiis, expugnandæ Papiæ, cum Brixianis aliquot eiusdem instituti nobilibus, se operam dedisse fassus fuisset: PLACVIT olim quidem sancti, postea verò profani facti verticis rationem non haberi: & recté. Constat enim eum qui sua sponte hostem trucidare in animum induxerit, proximè ad illum accedere, qui id mercede conductus facit. Quanquam & illud generosum aliquid ac liberale præ se ferre videtur, sed quo quisque sit animo, non satis perspici potest: & vt se cunque res habeat, certum est hoc esse, quod dicitur, SE sæuis immiscere. VIII. Cal. Decemb. M. D. XXXI.

XXII.

Ecclesiasticis personis pignora auferri non licere, nõ esse perpetuum.

SACERDOTIBVS, sacrísue initiatis pignora auferri non debere, nõ est perpetuum. Sacerdotem enim, qui à iudice profano, interea dum fori translatio ageretur, in alimentorum ac medicamentorum causam, viginti præbere iussus, iudicatum non fecerat, pignorum ablatione rectè coërcitum fuisse, Curiæ Tholus iudicauit. IIII. Non. Iunii M. D. XLVIII.

De appellationibus quæ à Pontificibvs, eorúmqve ivridicis, apparitoribus & ministris interponuntur, & à veluti abusu nuncupantur, TIT. III.

I.

A Pontificii diplomatis exequutore, velut abutente, si de rebus Curialis ditionis, extra eam datus fuerit, rectè prouocari.

AB eis quibus Pontifex Max. diplomatis sui, de Lucionensi Antistitio, mandauerat exequutionem, quòd ii extra Curiæ ditionem essent, prouocari potuisse placuit: idcircóque prouocationem exercere cupienti, & Curiæ codicillos in eam rem postulãti, negari non debere. XIII. Calend. Mart. M. CCCC. XCI.

II.

Beneficiorũ vel collegiorũ ecclesiasticorũ coniunctionem nõ rectè factã, prouocatione à veluti

PROVOCATIONEM ab exequutione diplomatis, quo summus Pontifex, de collegii sententia, Sanctorum Iohannis & Lazari Hierosolymitanorum Sodalitia copulauerat, per Regium actorem publicúmque veluti ab abusu interpositam, admitti placuit, longissima annorum serie, nempe CCC. nihil impediente: secundúmque pro-

uocatorem pronunciatum eſt, quòd neque rectè, neque ordine, nec ſolennibus obſeruatis, ea proceſſiſſet. Cal. Mart. M. D. XLVII.

abuſu, cõuelli, quantuncunque temporis interceſſerit.

III.

ANTISTITES, eorũ vicarios, iuridicóſue diœceſum ſuarum Curionibus, iugis ac perpetuæ functionis gratiam facere poſſe, concederéque vt vicaria opera vti poſſint, eſt cõpertiſſimum. Sed ſi quis duobus curionatum ſibi aſſerentibus, eiuſdémque gratiæ candidatis, velut cognita cauſa, alteri indulſerit, an rectè fecerit dubitari poteſt.

Pontificẽ abuti, ſi gratiã faciat, vindicias redolentem.

ET contra ius, ac per abuſum, cùm eo nomine prouocatum eſſet, factum eſſe iudicatum eſt. Id enim quaſdam eſſe vindicias, quas moribus noſtris, profanis tãtùm iudicibus dicere fas eſſe ſolet. Placitum extemporarium, III. Id. Feb. M. D. XLIII.

IIII.

CREDITOR cùm ad Profanum iudicem, debitorem cõdemnaſſet, necdum anno elapſo, nomen in filium, Lutetiæ Pariſiorum agentem, ſtudiorum cauſa tranſcripſit: qui ad priuilegiorum Apoſtolicorum vindicem, eiuſdem rei iudicium debitori rurſus intendit. ID nullum atque iniurium, cùm à veluti abuſu, in ius vocatus appellaſſet, pronuntiatum eſt, & ſanè meritó. Quid enim attinebat condemnatum, in quem & lege agi poterat, iterum condẽnare? Nónne id negotii faceſſendi cauſa commentum eſſe, manifeſtum erat?

Abuſum eſſe, apud Pontificium iudicẽ retractare, quod Profanus iudicarit.

V.

VIATORIBVS, ne cui, non adhibitis anteſtatis dicam ſcriberẽt, & edictis Principum, & Curiæ conſultis iam olim interdictum fuit: quod ad quale in ius cunque Pontificium vocationes etiam prorogatum eſt. Vnde & Pontificii iudicii denuntiatio inanteſtatò facta, indéque ſequuta omnia, cùm de iis ad Curiam, à veluti abuſu prouocatum eſſet, cõtra ius & fas eſſe facta, ex tempore pronuntiata ſunt, Calend. Mart. M. D. XXXVII.

Abuti etiam Põtificios apparitores, ſi inanteſtatò diem dicant.

VI.

SAEPENVMERO pronuntiatum eſt, Pontificium prouocationis iudicem, qui anteriori iudici, à cuius interfatione prouocatum erat, ne quid contra prouocationem deſignaretur, vetuiſſet: iuriſdictione abuſum, ſi iniqui iudicii iactura, ſummæ quæſtionis iudicio, vlla ratione ſarciri poſſet. Eſſe enim contra decretum, quod dicitur,

Decreta vadimonia interfationib⁹ adnumerari, ideóque prouocatiõe nõ ſuſtineri.

D.iii.

de Friuol. appellationibus. Quod & de vadimonio ex elogiis decreto, quanquam hoc propriè interfatio non est, intelligi placuit. v. Id. Decemb. M. D. L. Bucheratio & Villierio causam orantibus.

VII.

Desertæ appellationis pronũtiatio, an tertia con similis sentẽtia dici debeat.

À SENTENTIIS Canonicorum iudicum Episcopi Parisiensis & Archiepiscopi Senonensis, altera alteram geminante, Titius gradatim prouocauit. Secunda prouocatione non exercita, Archiepiscopus Lugdunensis, Galliarum Primas, eiúsue Iuridicus, commissum prouocationis eremodicium pronuntiauit. Titius summum Pontificem appellauit, & iusta exercendæ appellationis impleuit. Mæuius aduersarius Curiam contrà, abusum causatus, quòd summi Pontificis decreto De causis, pactóque conuento inter summum Põtificem & Regem, à tertia feréque eadem sententia prouocare non liceret. Proponebat ex aduerso Titius, posteriore sententia, priores neque probatas, neque improbatas: sed secundæ tantùm prouocationis eremodicium pronuntiatum. DIGNA tandem Curiæ visa est controuersia, quæ consilio permitteretur. Non. Ian. M. D. XLVII.

VIII.

Pontificium iudicẽ abuti, si quid decernat eius rei, cuius tantillum sit apud Profanũ iudicem.

TANTI se facit erga Pontificiam Profana iurisdictio, vt quandiu quicquam in ea pendet, quod ad rem, quam apud iudices Pontificios tractare libuerit, vel minimum, etiam in speciem, facere videatur: nihilominus tamen Pontificiam iurisdictionem silere oporteat. Publius Mæuius à Pontificio iudice Semproniam, iustam ac legitimam vxorem iudicatam, ducere damnatus, cùm prouocasset, Regiis codicillis innixus à Profano iudice tempus exercendæ prouocationis impetrauit, nec tamen exercuit: sed paulò antequam dies exiret, litem pecunia transegit. Post aliquot annos, Sempronia transactionis perperam initæ commonita, ad Pontificium iudicem redit, efficítque, vt ab eo pronuntietur, prouocationis desertorem, iudicatum facere compellẽdum. Tum ille causatus abusum, Curiam prouocat: queritur id aduersus Profanam iurisdictionem ac potestatem esse factum. È diuerso respondetur constare, transactionem, vel ex ea ipsa, prorsus esse nullã. Cæterùm Profanum iudicem, vt litem non cognoscere, ita nec tempus exercẽdæ prouocationis constituere potuisse: prouocatorem, posthabitis illis externis auxiliis, prouocatio-

nem intra tempora iure definita, exercere ac conficere debuiſſe. Quod cùm neglexiſſet, quid aliud ſupererat, quàm curare, vt ius dicenti obtemperaretur? PLACVIT Curiam ritè fuiſſe appellatam: litigatoribus tamen, quod ad prouocatoriæ litis impendia pertinebat, paribus abire iuſſis, & poteſtate prouocatori facta, ſuis rebus, vt videretur, conſulendi. Ex tempore VII. Cal. Mart. M. D. LI.

IX.

IMPIAE fraudis Anquiſitori iuriſdictionem & à ſummo Pōtifice mādatam, & à Principe comprobatam eatenus patere, quatenus patent Imperii Gallici fines, nemo (quod ſciam) dubitauit. Sed concertatum eſt, reos vndecunque delatos an extra diœceſes ſuas ad ſe ipſe, vbi volet, poſſet euocare. ET NON poſſe placuit: id enim Sanctorum Patrum decretis aduerſari. Itaque pronũtiatum eſt eum qui ab eiuſmodi euocatione, veluti abuſu, prouocaſſet, rectè atque ordine prouocaſſe. Ex tempore VI. Id. Iun. M. D. LI.

Hereticæ prauitatis Inquiſitorē abuti, ſiquem extra diœceſim, ad ſe in ius euocet.

De variis circa ſacra beneficia controverſiis, vt iudicatvm fuerit, Tit. IIII.

I.

DIGAMO cuidam Pontifex max. ſacrorum canonum gratiam fecerat, initiati verticis infulas ei capeſſere vt liceret. Quas cùm nactus eſſet, ſacerdotiũ eblanditus eſt: de quo poſtea controuerſiā paſſus, ferè ſic oppugnabatur. Ipſis etiā Apoſtolorum canonibus comparatum eſt, eum, qui vnam & alteram vxorem duxerit, non modò non Epiſcopum, aut preſbyterum, aut diaconum creari, ſed nec in ſacerdotum quidem conſortio eſſe poſſe. Quod tunc vel eò lubentius amplexandum fuit, & nunc obſeruandum eſt, quòd veteres lōgè ante Chriſtianiſmũ & Iudæi & AEgyptii & Græci & Latini ea religione tenerentur, vt non niſi vnius vxoris virum, ad ſacerdotium admitterent. At is (inquiebat digamus) penes quem rei huius eſt arbitrium, canonibus ſolutũ me voluit, atque adeò ſacerdotii capacē effecit. Ego verò (referebat oppugnator) vt interim de ſummi Pontificis ſumma poteſtate ſileam (quem tamen in his, quæ non ſolùm ad fidem ac religionem, ſed etiam ad Eccleſiæ conſtitutionem ac re-

Digamiæ gratiam, initiādi verticis cauſa factam, ad beneficiũ, etiā ſimplex, conſequendũ nō valere.

formationem pertinent, ſiue membra, ſiue caput etiam ſpectes, ex œcumenici Concilii arbitrio pendêre, eíque morem gerere conſtat oportere) veriſimile eſſe dico eum, cùm ſic te ſolueret, intellexiſſe, vt initiato tibi, ſacerdotum quidē in conſortio agere fas eſſet: nō autem Eccleſiæ formam canonibus rectiſſimè conſtitutam, digamiæ tuæ, ne dicam incontinentiæ, macula ita deturpare, vt altius conſcenderes, & ſacrū aliquod beneficium cōſequerere. PLACVIT gratiā, initiandi verticis cauſa factam, non ſatis eſſe, vt digamus ex ea initiatus, beneficium, etiam ſimplex & nudum, puta annonam aut præbenda vel in fano, eccleſiáue merè collegiaria poſſet adipiſci. Litigatores, Iohannem Nicolaum & Iohannem Laloam, duobus quidē in locis, fuiſſe comperimus, ſed (malum) dies in vtroque deſyderatur.

II.

Solas collati beneficii literas, ordinē, vel (vt aiūt) turnū facere.

PER confectas collati ſacerdotii tabulas, & ſi nihil omnino probaretur de adepta per eas ſacerdotii poſſeſſione, placuit, ei ſatis eſſe factum, qui ex decreto Concilii Baſilienſis & Pragmatica (quam vocant) ſanctione, ſcholaſtico gradu præditus & ambiens, in ordinem incurriſſet, hoc eſt (vt vulgò dicitur) meram huiuſmodi collationem ratam eſſe, & (vt in ipſa eſt ſanctione) feciſſe turnum. Quo τάξεως & circularis cuiuſdam diſpoſitionis vocabulo (da quæſo, Lector, paululum digredienti mihi hanc veniam) nequeo non mirari, quamobrem qui ſanctionem compoſuit, ſuam in dictione vel varianda copiam, vel minus frequentanda religionem oſtendere voluerit: cùm hoc & barbarum eſſet, & vix (puto) inueniretur, à quo Muſæ vel ipſo à limine fuiſſent ſalutatæ, qui, ordo, hoc in loco, quàm turnus, quid ſibi vellet, minore negotio non eſſet intellecturus. Sed fortaſſis homini & Gallo, & (vt ætas ferebat) Latinè docto collibuit, cùm ſuæ, tū etiam aſcitæ, hoc eſt, Latinæ linguæ, hocce palpi genere blādiri. Suæ quidem, quòd inter alias multas, hanc quoque vel maximè vocem cum lingua ſancta, linguarum omnium principe, communem haberet: Hebræis enim, תור, præterquam quod Latinis & Gallis turrim ſignificat, ipſis etiam propriè Gallis ordinē notat ac diſpoſitionem. Latinæ verò, quòd ea vox etiam aliud agenti, ſuauem aliquam poſſet Turni illius Virgiliani memoriam refricare. Sed ad rem. Rectè ſanè ſatiſfactum eſſe placuit, Nec enim poteſt huiuſmodi cādidatus con-

ſtitutum ordinem vlla ratione conuertere. Et quid, ſi voluntatem mutauerit, aut iure, quanuis ipſa protinus collatione quæſito, vti nolit? Conſultum factum XVI. vel XV. Cal. Aug. M.D.IIII. cùm inter Petrum Romeium & Iohannem Iacobum, inde nata controuerſia dirimeretur.

III.

SODALITIO de ſacerdotio, quo, in Caſtri Heraldi æde ſacra, Gulielmus Abrius, ſuperſtes fungebatur, duobus interdicto contendentibus: alter alteri, videlicet Abrii ex fratre nepoti, tituli vitiũ obiecit, quòd dum ei pater ſacerdotium, curſu pegaſeo, Romam miſiſſet impetratum, ipſe fratris cadauer ſale condierat, mortuúmque diſſimularat, donec negotium Romæ confectum exiſtimaſſet: facinus horrendum, immane, barbarum, non modò litis iactura plectendum, verumetiã edito in ſalſamentariũ exemplo vindicandum. Cui alius, Quod in me, de cõdito patrui cadauere dicitur, à quoquã, præſertim à patre, admiſſum, nunquã ſanè mihi perſuaſerim. Sed ſi quid huius eſt ſceleris (ita me deus amet) neq; cùm patraretur, adfui: neque illius patrandi conſilium iniui: neque illud ſuaſi, mãdaui, curaui, ſed ne reſciui quidem. Cæterùm ſi abſentem, ſi innoxiũ, ſi ignorantẽ, nec tale quicquã ſuſpicantem Põtifex max. beneficio auctũ me voluit: quid eſt, quod cuiquam ſtomachum mouere debeat? quid eſt, cur alius hanc meritò mihi gratiam inuideat? Patris filius, filii pater, culpámne luit? ſuámne iuſtitiam iuſtus, ſuámne impius fert impietatem? Speciosæ mehercule rationes, & quæ carnis quidem, cutis ac coloris plurimum, ſed neruorum, ſanguinis, ſpiritus minimũ habere viſæ ſunt. Placuit enim parentis culpam eatenus in filium, quantumlibet inculpatum, eſſe perſequendam, vt ne acceptum ex ea beneficium retineret: & ſcirent, qui peſſimo exemplo, liberis ſuis ſacra beneficia compararent (ne quid amplius diceretur) ſe & oleum & operã perdituros. VII. Cal. Mart. M.D.XXV.

Patris, filio beneficiũ impetrantis, culpam, filio nocere, etiam ignoranti.

IIII.

D. MARTINI Geneuraii Curionatum, per Marini Ianuarii mortem adminiſtratore vacuum, Põtifex maximus eodem die, iiſdémque verbis ac periodis, Iohanni Duranto & Vincentio Platello contulit. Vterque à mero ſacerdote, in Curionatus poſſeſſionem, ſed ve-

In concurſu collationũ, dum non paret, quæ ſit prior, potiorem eſſe conditionẽ poſſidẽtis, nõ eſt perpetuum.

rò Durantus prior inductus est. Pòst deinde Platellus apud Pontificem maximum in Petri Freuillii gratiam eiurat: atque ita Pontifex Max. Curionatum, siue huiusmodi eiuratione, siue alia quauis ratione, iusto ac legitimo Curione vacuum, Freuillio contribuit. Is eo iure per Apostolicũ pactorum perscriptorem, Curionatus possessionem nactus, Duranto Curionatum occupanti, interdicto retinendæ possessionis iudicium intendit. At verò dum consignatas non edit autoritates, secundum Durantum dicuntur vindiciæ. Sed in prouocationis causa, signis strenuè illatis, Freuillius conserit manum. Defendit Durantus, Bonifacium VIII decreuisse, in collationum con cursu, si non appareat quæ primò facta fuerit, potiorem fore conditionem possidentis. Freuillius refert, ita quidem esse, si à Pontifice Max. eiúsue Legato, vni, & ab ordinario alteri, eodem die, idem beneficium cõferatur. Sed in specie proposita, diuersum esse: nimirũ ab ipso eodem Pontifice cõcursum esse factum: itaque dationem in vtriusque persona infringi, & ex ea neutrum esse Curionem. Se igitur non eiuratione modò, verùm etiam quacunque ex causa, quóue cunque modo vacuus esset Curionatus, eum rectè atque ordine impetrasse. RE admodũ concertata, & à secũda Inquisitionum classe, cui controuersia dirimenda fuerat attributa, explorata cæterarum classium sententia, placuit vindicias à Duranto abiudicari, & secundum Freuillium dici, interea dum de iusta Curionatus possessione cognosceretur. Fieri enim posse vt aliquando tandem appareat, quis prior à Põtifice Max. petierit, & ab eo fuerit exauditus, atque ita Curionatum consequatur. Placitum pronuntiatum III. Non. Iun. M. D. LII. Iacobo Viola, litis enarratore.

V.

Beneficii, pẽsitationis lege, eiurandi mandatum, actũ esse diuiduũ, & quod separatim atque ex interuallo explicari possit.

SACERDOTII eiuratione, certa pensitationis lege, nec aliter mandata, is cui mãdatum erat, apud summi Põtificis Legatum, pensitatione prætermissa, quòd eius decernẽdæ ius ei non esset, eiurauerat: atque ita ei, cuius gratia eiuratum erat, attributũ fuerat sacerdotium. Post aliquod tempus, eiuratore vita functo, alius caduci iure, sacerdotium impetrauit. Mota inter eos controuersia, opponebat caducarius, ob eiurationem non pensitationis lege factam, rem infectam fuisse. Referebatur, attributionem eiuratione faciendam, &

pensitationis inductionem diuidi potuisse, altera per Legatum, altera per ipsum Pōtificem, etiam ex interuallo explicanda. ET PLACVIT ita ius esse. Placitum recitatum x. Calend. Ian. M.D.XXXVI. Litigatores Iacobus Mieteus, Simon Burgœsius. Placitum (inquam) celebratiss. quod Gargiarum Curionatus appellatur.

VI.

SVMMO Pōtifici sodalitium apud Bituriges sacerdotium Bochetellus eiurauerat: sed nominatim in fratris filii gratiam, non aliâs (vt aiunt) nec alio modo. Quod summo Pontifici cùm placuisset, & oblatum beneficium fratris filius recusaret, ab ipso Pontifice Bochetellus impetrauit, vt quo iure beneficium acceperat, illud eodem retinere posset. Accidit vt Bochetello consueta munia obire volenti, Sodales aditum intercluderent. Tum ille interdicto vti possidetis agere: ii intercedere, dicere eiurationis admissione, indéque secuta beneficii collatione factum esse, vt Bochetello integrum non esset retinere sacerdotium: sed veluti nouo iure nitētem, nouitii Sodalis iusta omnia redintegrare debere. Bochetellus, se sacerdotio carere non intendisse, nisi fratris filius acciperet: ídque tametsi non perstrinxisset, tamen esse intelligendum. PLACVIT conditionem eiuratione contineri, ideóque interdicto morem esse gerendum. Ex tempore. x. Cal. Feb. M.D.XLIX.

Beneficiū in alterius gratiam eiurantem, si ille repudiauerit, ius pristinū retinere, neq; ei noua collatione opus esse.

VII.

LIS de iusta sacerdotii possessione contestata, postea triennio deserta, an diplomatis auxilio repeti posset, Remundo Castellano Vallacio, Petro Tragino, Dionysio Iuone, controuersantibus, Curiæ placitis aliquot vtrinque prolatis inter se discrepantibus, Fabro litis inspectore atque enarratore, secunda Curiæ classis, cæteris classibus de ea re consultis, iudicauit posse: quòd (si quidem iudicū mentem assequimur) post acceptū iudicium, atque adeò actione in quadraginta annos perpetua facta (vt in rebus profanis) neuter litigatorum, nisi eo tempore, vsucapere potest: & compendiosius causam, etiam longo silentio sepultam exuscitamus, quàm intra id temporis ex integro agamus. Perscriptum, pronuntiatum Curiæ decretum, Calend. Febru. M. D. XLVII.

Contractum eremodiciū, etiā si lis sit de beneficii possessione, Principis ope sanari posse.

VIII.

Ob beneficii fructus apud sequestrũ nõ repositos, vindiciæ non dicendæ, sed in possessioné mittendum.

OB controuersi sacerdotii, publicè possideri iussi, fructus à reo detrectatore non repositos, vindicias secundum actorem, Curiæ visum est perperam fuisse pronuntiatas, fructúsque ex ea sententia ab actore perceptos, esse reponendos. Sed res ita temperata est, vt intra certũ diem reus etiam reponeret: quod si non faceret, actor in possessionem mitteretur, fructus, quos eo nomine perciperet, non antè restituturus, quàm si legitimo vindiciarum iustæue possessionis iudicio vinceretur. Placitum ex tempore conflatum ac recitatum, Id. Iul. M. D. XXXVII.

IX.

Beneficii eiuratorem non teneri, eũ iudicio sistere, cuius gratia, ante lité eiurauerit.

SI quis lite cœpta, sacerdotium, quóde ageretur, eiurauerit, Francisci Valesii primi sanctione, eum, cuius gratia eiurauerit, iudicio sistere, ac veluti in scena personam, pro se quidem subiicere tenetur. Sed disceptabatur an lex ad eiurationes quoque, quæ ante litem essent factæ, transferri posset. ET placuit non posse. Placitum extemporale, pomeridianum * Ian. M. D. XLV. Tusciano altero litigatorum.

X.

Beneficii fructibus restituẽdis, diaria non contineri.

VETVS quæstio fuit, an sacerdotii Sodalitii vindiciis, iustáue possessione superatus, nomine fructuum, quos certum est reddi oportere, stipendia quæ quotidie fecit, etiam rependere teneatur. Cuius rei cùm varia exempla esse dicerentur, tandem non teneri placuit. XIX. Cal. Septemb. M. D. XLVII. litigatoribus Claudio Gentonio & Gulielmo Perellio. Accessit decretum Conscriptorum iuridicos Turonis eo anno conuentus agentium, VIII. Id. Sept. iisdem litigatoribus: quo stipẽdia ipsa quotidiana nominatim recepta fuerunt, fortasse quòd ad litis æstimationem potius pertinere viderentur: & ita multi responderunt.

Hoc placitum, suo fortasse loco non positum, puto (lector) non grauaberis: nisi eo, quod præter opinionem in typos incidit, te fraudatum esse malis.

XI.

Nominati habilitatem nõ ad nominationis, sed collationis temp⁹ pertinere.

H ἐπιτηδειότης, vel (vt verbo Ciceronis vtar) habilitas eius, cuius nomen, sacri beneficii consequendi causa, proditum fuisset, vtrum ad proditi nominis, an verò ad collati beneficii tempus esset exigenda,

aleæ fuit vſque adeò ancipitis, vt inquiſitionum tertia in claſſe, calculi iudicũ adæquarent. Sed cùm dirimendæ controuerſiæ gratia, vētum eſſet in primã: PLACVIT, collati beneficii, non proditi nominis, ſpectãdum eſſe tempus: eámque ob rem cœnobitæ ſufficere tum fuiſſe tranſlatum, cùm eum beneficio contingeret exornari. XI. Calend. Martii, M. D. XXXVII.

De Decimis, Tit. V.

I.

ANNO M. CC. LXII, menſe Martio, Diuus Ludouicus, vt, inter cæteras animi dotes, quibus plurimùm pollebat, cõſtanti ac perpetua erat voluntate, ius ſuum cuique tribuendi (quæ Iuſtitia appellatur) edicto declarauit, per ſe ſucceſſoréſque ſuos Reges, Eccleſiæ licere, licitúmque fore, nulla prorſus alia petenda venia, vt decimas olim, puta Philippi Auguſti Deodati temporibus, profanis hominibus conceſſas, quacunque honeſta conditione poſſet, reciperet, præter clientelis aſcriptas ante concilium Lateranenſe.

Decimas pro fanis conceſſas, Eccleſiã poſſe recipere, præter beneficiarias factas ante cõcilium Lateranenſe.

II.

ANNO M. CC. LXXII. Curiâ ad Panagia coactâ, eius decreto pronuntiatum eſt, decimas Baioceſi Epiſcopo ab homine profano venditas, gentilitiæ redhibitioni minimè eſſe obnoxias: vtpote quæ Diui Ludouici diplomate penitius inſpecto, poſtliminii quodã potius iure, ad ſuos, nempe Eccleſiam, reuerſæ, quàm vēditionis, donationis, alióue titulo quæſitæ viderentur.

Decimas, poſt Lateranenſe conciliũ profanis conceſſas, Eccleſiæ venditas, gẽtilitiã redhibitionẽ effugere.

III.

DECIMAS Leuitarum ſucceſſoribus ab aliis hominibus ſic debitas, vt qui negent, velut homicidio ſe obſtringant, quî factum eſt vt noſtra ætate, vix alii ex parte, alii omnino non ſoluerent? Sanè præterquam quòd vtriuſque ordinis mores ferè in vniuerſum mirè deprauati ſunt, hoc vnum, vel maximè, in cauſa fuiſſe crediderim. Nempe quòd iandiu egeni, quibus, poſt ſacerdotes, alendis decimæ ſunt dicatæ, multis à ſacerdotibus adeò non alerentur, vt cùm, illis miſerè pereuntibus, ab omnibus indictione ſuccurri conſtitutum eſſet, ii ne conferre quidem in animum inducerent: & interim non modò decimas, verùm etiam alia penè omnia, non tam fortaſſis in

Decimis cõmodius percipiendis, vetitumne quis metat, antequam Eccleſ. præconio id ſignificet.

ſuam ipſorum gratiam, quàm in illorum leuamen (quid enim attinet vt ſacerdos, vt Præſul, vt Sodalitiũ, vt Cœnobium, tot aliis etiam ordinis eiuſdem hominibus eſurientibus, tot millia deglutiat?) iam olim à piis hominibus erogata, in voluptatum genus omne profunderent. Poſtulantibus tamen Antiſtite, Sodalitio, vniuerſáque Carnutum Diœceſe, Regium, De decimis perſoluẽdis, diploma iuſſum eſt, v. Id. Iun. M. D. XLVII. quod pridie Cal. Iul. palàm in Curia recitatum, promulgatum, atque ita interpretatum, in actis publicis perſcriptum eſt. PLACERE ne quis antè metat, quàm Dominico, cõmodóue alio die, Eccleſiaſtico præconio dies inuulgetur, quo ille falcem in meſſem ſe miſſurum ſperet: vt eius rei Decumani certiores facti, præſto eſſe, iúſque ſuum auferre poſſint. Si quis contrà fecerit, quanti interfuerit, damnatum iri.

Placitorum ſummæ apud GALLOS CVRIAE LIB. III.

De principe, Tit. I.

I.

Regem, cuiuſcunque ætatis, cõſecrari, & de agnatorum ac gẽtiliũ ſententia, Remp. adminiſtrare.

EA quæ de rebus à minoribus, ſine tutoris, vel curatoris autoritate non gerendis, à maioribus tradita ſunt, ad Francorum Regum filios natu maximos, alióſue deſignatos Reges, quos Hebræi מְחִתִּים, noſtri vulgò generalius Delphinos appellãt, nihil omnino pertinere placuit. Lege enim, quã ea d. re, anno M. CCC. LXXVII. Rex Carolus V. cognomẽto Sapiens, frequenti Procerũ Patrúmque conuentu rogauit, ſancitũ eſt, vt Rege mortuo, eius filiorũ maximus è veſtigio ſuccederet, quartúmque decimũ ætatis annũ ingreſſus inauguraretur, ſuæ tutelæ eſſet, rerúmq; potiretur. Deinde anno M. CCCC. VII. (niſi in iis quæ habemus tranſcribẽdis, aliquid erratum fuerit) alia lege, priori obrogatũ eſt, vt Regis mortui filiorũ maximus, cuiuſcunque ætatis foret, cõſecraretur, & de agnatorum gentiliúmque ſentẽtia Remp. adminiſtraret. Quam legem inuenimus in Curia repetitã VI. Cal. Nouemb. M. CCCC. XXII. quo anno Carolus VII. Sexti filius, annum agens primum & viceſimum, Rex ſalutatus eſt.

II.

GENERALITER, mandatoris morte, soluitur mandatum. Vtilitatis tamen publicæ causa inductum est, Regis vita functi mandata perinde valere, atque si nihil ei humanitus accidisset. Prid. Non. Octob. M.CCC.LXXXI.

Regis vita fũcti mandata valere, perinde atque si nihil ei accidisset.

III.

REGIBVS nostris vita functis, solenne habemus, ídque à summa vetustate trãslatum, Regio apparatu eos populo exhibere, iísque perinde atque viuis ministrare: imò verò nec qui designatus erat, rerum potitus inauguratur, nec publicè Rex salutatur, vsque dum iustis Regi mortuo peractis, ipse cum maioribus, magnæ matri sit commendatus. Hinc (vt coniicere licet) addubitatum est, hac temporis intercapedine, quasíque interregno, cuius auspiciis diplomata obsignari deberent: defuncti Regis, an verò eius, qui regno potiretur, tametsi nondum esset inauguratus. ET PROPEDIEM inaugurandum pro iam inaugurato haberi placuit, XIII. Calend. Maii. CCCC. XCVIII.

Regis, tãetsi nondũ consecrati, auspiciis diplomata obsignãda.

IIII.

DIVO Ludouico Alphonsus & Carolus fuere fratres. Alphonso Pictonibus & Aruernis, qui Regii iuris erant, perpetuam (vt assolet) in fiduciam assignatis: ille, post aliquod tẽpus, sine liberis, vitam morte cõmutauit. Tum Carolus, Siciliæ Rex, de Pictonibus & Aruernis, Regi Philippo, cognomẽto Pulchro, hæreditatis petitionem intendere: dicere se Alphonsi fratrem, atque adeò proximum hæredẽ, non Philippum Regem, Alphonso sibíque ex fratre nepotem. Philippus defendere, maiorum moribus esse comparatum, vt Regis demortui filiorum primæuus solidum caperet regnũ, nec fratribus, erciscũdæ familiæ vllo modo teneretur: sed in eo positum esset, quid eis ipse daret, & quando dare volet: ea etiam lege, vt liberis non extantibus, id quod datum esset, ad se aliúmue Regẽ, quicunq; ille foret, reuerteretur. REBVS inquisitis ac relatis, & pro cõtrouersiæ põdere, ac litigatorũ amplitudine, & summæ Curiæ dignitate (vt est coniicere) perpensis, Carolũ Siciliæ Regem petitione summoueri placuit. Extat hoc placitum inter inquisitiones expeditas in Pallamento (sic enim tum dicebant) omnium Sanctorũ, Anno Domini M.CC.LXXXIII.

Regis fratribus res in perpetuam fiduciã datas, iis sine liberis decedẽtibus, ad Regẽ, Regis, nõ hæredis, iure reuerti.

Regem, solidũ capere regnũ, nec familiæ erciscũdæ teneri.

V.

Regem, non nisi possidẽtem, litigare, non esse perpetuum.

SVA semper ætas aliquos tulit ardeliones, qui veluti cuiusdam (vt vulgò dicitur) cacodæmonis administri, vel ipsi iussis aliquid addederent, vel Principibus, alioqui ad imperium legibus soluẽdum suopte genio satis incumbentibus, suaderent, quod si ab æqui boni rationibus omnino non esset alienum, tamen eius (quemadmodum Principem decet) numeros omneis non assequeretur. Aiunt eum non nisi possidentem litigare, eóque colore, rebus interdum alienis manum iniiciunt: & deiectis quanti constet restitui, vix est qui æstimet, nisi qui fecerit ipse periculum. Quæ res cùm iampridem venisset in controuersiam, de ea factum est Curiæ decretum. Cuius exemplum mihi nacto, cùm propter summam illius æquitatem, tum etiam ob nostri veteris illius Laconismi venerationem, & plusquam Asiaticæ, quæ postea fuit, éstque adhuc, redundantiæ vituperationem, visum est illud transcribere. CVM pro eo quod erat dubium, si terra de Monte acuto esset de comitatu Alenconis, gentes domini Regis ibi manũ posuissent. Quia Comes erat in saisina dictæ terræ, dictum fuit per Arrestum, manum domini Regis amouendã esse, & dictum Comitem in saisina sua remanere debere: salua domino Regi quæstione proprietatis. Inter iudicia, consilia, & arresta expedita in Pallamento omnium Sanctorum, anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo octauo. Ex quo quidẽ & altero, eius ferè temporis, decreto, quod, hoc titulo, quartum adduximus, nonnullísque aliis, quæ videre licuit, non tamẽ exemplaribus, atque etiam ex veterum monumentis, colligimus, paulò quidem aliam nuncupandæ, cogendæ verò Curiæ diuersam ab hac nostra, tum temporis fuisse rationem. Quòd ad nomenclaturam attinet, nos Parlamentum dicimus: illi r in l, mutata litera, Pallamentum. Quod eis non minus licuisse puto, quàm quibus, pro perluceo, perlego, perliceo, dicere placuit, pelluceo, pellego, pelliceo. Sed siue Parlamẽtum siue Pallamentum dicere libuerit, id à colloquiis, quæ de cõtrouersiis aliísque rebus habebãtur, deductum fuisse, vel hisce Budæi verbis, facile est coniicere. παραλαλεῖν (inquit) esse puto, quod lingua vernacula, pro verbo loqui, verba facere, dicit *parler*: & παραλαλίαν, quod locutionem & sermonem, *parolle*. Et si Lucio mihi vsqueadeò liceat esse

Possessori, sua aduersus Principẽ seruata possessio: Principi, sua in possessorẽ rei vindicatio.

curioſo, ex παραλαλέω, per contractionem fit παραλαλῶ, & per conciſionem πρλῶ. Sic fortaſſe forum à verbo fero, quod dicere quoque ſignificat. & is locus eſt (inquit Sex. Pōpeius) in quo iudicia fieri, cum populo agi, cōciones haberi ſolent. Nec longè abeſt quod à Varrone traditur: Quò (ait) cōferrent ſuas controuerſias, & quò vendere vellent, quæ ferrent, forum appellarunt. Sic & ἀγορὰ παρὰ τὸ ἀγείρω. τοῦτο δὲ παρὰ τὸ ἄγω καὶ τὸ εἴρω, τὸ λέγω, ἐν ᾗ πρὸς ὃ λέγειν συναθροίζονται. De Curiæ verò cogēdæ ratione, priſca vetuſtate, ipſa, conuētuum modo, indicebatur: nunc ad natalem Diuæ Dei genitricis, nunc ad Candelalia, modò ad Chriſti Opt. Max. in cælum recepti diem feſtum, modò ad Panagia, hoc eſt Diuorum omnium, modò ad octauum Panagiorum diem, longo interdum annorum interuallo. Poſtea quotannis ſemel, ídque in paucos dies. Deinde ſemel & iterum, & alio quàm proximè ſemper loco, vſque dum Reipub. cauſa, Philippus, cognomento Pulcher, anno M. CCC. II. certum locum, nempe Lutetiam aſſignauit: vbi, ad Regiam, poſtea perennis à Ludouico Hutino Curia conſtituta fuit, anno M. CCC. XV. Hoc tēpore, aut certè non ita multò pòſt, cœpit Ampliſſimus Ordo quotannis poſtridie Martinalium iuriſdictionem auſpicari & perſequi vſque ad V. Idus Sept. reliquo anni tempore, iuſtitio, optima ratione, contributo. Cœperunt & tum actionum Curialium formulæ conſcribi, & Curiæ decreta priuatim à nonnullis in commentarios referri, vt ex eo libro deprehendi poteſt, qui adhuc, Stylus Parlamēti arreſtorū, &c. inſcriptus circunfertur. Sed vereor, hæc πάρεργα cùm ſint, ne nimis multa.

VI.

IN adeſpota bona, ínq; res mortui allophyli, indigenæ iure minimè donati, eiúſue quē iuſtæ nuptiæ non ediderint, ſi ſine liberis deceſſerit, manū iniicere, Regii non ſolū eſſe iuris, verumetiā cuiuſcunque, meri imperii faſcibus præditi. XI. Cal. Feb. M. CCCC. XXII. *Bona vacantia, & peregrinorum, & nothorum ſine liberis decedentium, cuius ſint.*

VII.

MONACHIS, Lutetiæ, Martinianis, iuſtæ poſſeſſionis iudicio, cū Principe contendentibus, de iure alienigenis, & nothis, ſuo fato functis ſuccedendi, qui in ſua Martinianorum ditione, ſedes ac domicilium collocaſſent: ſecundum eos pronuntiatum eſt, nulla rei vindi- *Idem.*

cationis prærogatiua, si quando eam Principi colliberet intendere. Die Sabbathi post transacta Regalia, M. CCC. VI.

VIII.

Mulctas secundũ Principem irrogatas, eo inconsulto, non esse aliò attribuendas.

MVLCTAE, commeritis secundũ Principem irrogatæ, tam ipsius sunt Principis, quàm priuatorum ea quæ priuatis quibusque adiudicantur: neque in hoc aliud interesse puto, quàm quòd iudicatis in rebus exigendis, si de fortunis eorum qui iudicati sunt, quicquam addubitetur: creditores (nam ii etiam sunt, quibus ex iudicati causa debetur) pœnis fiscalibus præferri solent. Iure igitur optimo vetitũ est, ne huiusmodi pœnæ mulctǽue, inconsulto Principe, aliò quoquam attribuerentur. XVII. Cal. Ian. M. D. IIII.

IX.

Princeps vt conditionem suam faciat meliorem.

CAL. Decemb. M. D. XLVII. diploma recitatum, quo id quod ex Regio patrimonio diuenditum erat, redimi iussum est, & non modò redemptum plurimo licenti addici, verum etiam ex reliquo patrimonio, quantùm ad centum millia francicorum (vt vocant) comparanda sufficeret. Vides vt Regio iure, ne dicam imperio legibus soluto, suam Principi semper liceat meliorẽ facere cõditionem.

De principis potestate circa Ecclesiae ministeria, TIT. II.

I.

Regulam, Si quis in infirmitate, sacris in Regii iuris beneficiis vsurpari.

APOSTOLICAE Cancellariæ regulam, qua dicitur, Si quis in infirmitate constitutus, procuratorem dederit ad sacerdotium renuntiandum, & intra vigesimum à renuntiatione diem, eo morbo vita excesserit, sacerdotiũ in caduci causam cedere: in sacerdotiis aliísue muneribus ad rem diuinã pertinentibus, quæ iuris Regii sunt, etiam vsurpari: res est à Curia iudicata, inter Gulielmum Spinaceium & Draconem Cognardum. Placitum pronuntiatum X. Calend. Ian. M.CCCC. XCIIII.

II.

Sacra Sodalitia, si Principis beneficiarium admittere vel negẽt vel detrectent, rerum

SI Sodalitium sacerdotium iure Regaliorum Princeps contulerit, & Sodales, Principis beneficiarium, Sodalem agnoscere vel negent vel detrectẽt, Principem ipsum, Curiámue, cuius ea est cognitio, adeundam esse, vt pro eius imperio, rerũ soli pigneratione coër-

ceantur. Placitum ab Egidio Magistro, Regio Causidico, inter orandum, sine die (quod aiunt) & consule citatum. VI. Cal. April. M. D. XLIX. ante Liberalia.

pigneratione coërceri.

III.

CVM Episcopum summus Pontifex ita transtulisset, si Episcopus ipse volet, nec Episcopo translatio placuisset: à Principe Curia consulebatur, iuríne Regaliorum locus esset. ET VII. Id. Apr. anno à Martinalibus M. CCC. LXVIII. respōsum est, secundum ea quæ proponerentur, locum non esse: quod & Principi placuit.

Trāslato Episcopo, si ipse volet: nisi ei translatio placuerit, iuri Regaliorū nō esse locū.

IIII.

ETIAM nunc apud nos exotici, nisi venia Principis, sacra beneficia non obtinent. Sed si venia in acta Curiæ nō est regesta, nihil obest: eum enim veniarum huiusmodi regerēdarum morem antiquari placuit, III. Id. Mart. Anno M. D.

Veniasà peregrinis, nostratia obtinēdi beneficia, non amplius in acta esse regerendas.

De vectigalibus publicis, Tit. III.

I.

IN Ambianorum gratiam, vrbis suæ præmuniendæ causa, οἴνῳ κοτυλιζομένῳ, sexaginta assium in singula dolia vectigal erat impositum. Petebāt à Nomophylace profani ciues, vt vectigali, sancti vertices, qui recta nequibant, obliqua, si quà fieri posset, ratione implicarentur. De quibus cùm Nomophylax ad Curiam verba fecisset, & Rapous, Regius Causidicus, in vtranque partem disseruisset, Curiámque sententiam rogasset, & ea dicere renuisset, quòd de ea re forsan postea esset iudicatura: ab ipso tandem exorata Nomophylace, respondit, ius non esse Sanctos, inconsulto Ecclesiæ Principe, vectigalibus premi. XVII. Calend. Aug. M. CCCC. XXIII.

Ecclesiasticas personas, incōsulto Pōtifice Max. vectigalibus nō esse regerendas.

II.

CVRIAE Conscriptos, rationum Præfectos & Scripturarios, Regiósque Amanuenses, omnes munia obeūtes, vectigalibus ac portoriis earū rerum exēptos esse, quæ penus verbo continētur, siue plaustro, siue nauigio conueherentur. XII. Cal. Oct. M. CCCC. XLII.

Vectigalibus qui & quatenus exēpti.

III.

VECTIGAL ex mercibus regno exportandis (quod ὕστατον ἐξα-

An vectigal pēdere de-

beat, qui regno finitim⁹, agelli sui, nostræ ditionis, fructus ad se trāsuehit, eóque pecus pascēdum ducit ac reducit.

γωγικὸν non abs re fuerit appellare) Principi deberi iamdiu receptum est. Obtrusit aliquis, *denrees* (quod vulgò dicunt) vocabulum esse transcendens. Transcendat quantum volet, Alpes etiam si libuerit: nostra tamen Gallorum lingua, cùm *Marchandises* & *Denrees* dicimus, idem iterando ingerimus, & consuetudo loquendi συνώνυμα esse declarat. Sunt qui ἔτυμον inuestigent, & *Denrees* à Denario deducant, vnde etiam *adenerer*, (hoc est) ex re qualibet pecuniā venditione conflare: alii à re, cuius certè quidem appellatio latissimè patet. Sed vtcunque sese res habeat, fructus quos ex fundo meo colligo, eáue omnia quæ vsui meo mihi cōparo, mercium, rerúmue quarumcunque venalium appellatione (quod ad me pertinet) contineri, nemo (puto) dixerit. Et Lotharingus Mosæ accola, fœderatus vel non fœderatus, qui ex agello, quem ad alteram fluminis ripam, Galliam versus, positum habet, fructus colligit, medióque ponte ad se transuehit: & pastum ad eum in dies, cúmue libet, pecus suum ducit ac reducit, quæso, iis nominibus an vectigal péndere habeat? Hoc in controuersia positum, consilii esse, ampliúsque deliberandum pronuntiatum est.

De Augusta, vel de Regina,

TIT. IIII.

I.

Reginæ, suū causarum peculiare volumen.

AVGVSTAE litibus suos esse dies, suúmque peculiare volumen, nihilo secius, quàm Patriciis: imò verò ratione tot numeris potiore, quot gradibus Regiæ maiestatis fastigium, cuius socia est Regina, Patriciam dignitatem excellit. v. Cal. Iul. M.CCCC.XII.

II.

Reginæ nomina eodem iure exigi, quo regia.

LEGE Regia, quæ de Principis imperio lata fuerat, qua populus ei & in eum omne suum imperium & potestatem cōtulerat, ipsúmque legibus soluerat (siue is primùm Augustus, siue Vespasianus, siue Alexāder Mammeæ, aliúsue fuerit) cùm de Augusta nihil esset apertè comprehensum: id quod legi deesse videri posset, ita suppleri placuisse constat, vt Princeps eadem illi priuilegia tribueret, quæ & ipse habebat. Quod Henricus II. Aug. Princeps Opt. Max. imitatus,

posteaquam Caterinæ, Augustæ suæ, ob egregias illius animi dotes, ac præter has, œconomiam quouis imperio dignissimam, res suas omneis non modò permisisset, verùm pro dignitatis amplitudine (vti par erat) etiam adauxisset: vniuersam eius pecuniam tam esse Regiã, quàm suam ipsius, edicto declarauit, hoc est, nomina exigere licere, non solùm pignoribus capiendis, sed manu quoque in debitores iniiciẽda, eóque genere coërcendi, quo quæ planè Regio nexu obstricta sunt nomina. Edictum palàm in Curia recitatum, cõprobatum, atque in acta publica regestum, III. Non. Feb. M. D. XLIX.

III.

VETVS & in foro peruagatissima est regula, neminem, præter vnum Principẽ, apud Amplissimum Ordinem, Cognitoris vel Procuratoris sui nomine, agere vel conueniri. Quæ regula cortice tenus (vt dicitur) delibata, fecit, vt de Caterinæ Augustæ Procuratore, an is quoque admittendus esset, addubitaretur. Sed Princeps, vt intellexit, hoc suarum partium esse ratus, controuersiã vltrà progredi non passus est. rescripsit enim & Augustam regulæ exceptione cõtineri. Itaque placere, vt per Procuratorem, quem illa dedisset, nõ secus quàm ipse per suum admitteretur. Quod & Ordini placuit: hoc vno, Regiæ Procurationis Triumuiris desyderantibus, addito, vt suum, procuratoriæ personæ, Iohannes Lucius, Augustæ Procurator, nomen præfigeret. V. Id. Iun. M. D. XLIX.

Reginã perinde atq; Regem, summa in Curia, procuratoris sui nomine, agere vel conueniri.

IIII.

AD Martinalia M. D. LI. cùm Principi Lutetiæ tum agenti, venisset in mentem, postridie cum Patriciis & Proceribus in Curiã venire, vt eius auspiciis solenni sacramento diceretur, & Augustũ suum pro tribunali sedentem, confessúmque ipsum ac rem omnem conspicere Caterina Augusta summopere desyderaret: si veterum monumenta repetere libuisset, aut certè per temporis angustiam licuisset, diuersum fortasse quidpiam circa illius dignitatem obseruassent. Sustinuit enim (quæ summa, eáque genuina est illi modestia) caueolam (vt ita dixerim) in angulo, ad Scribarum officia suspensam conscendere, & ex ea, velut è specula, contemplari. At verò in iis quæ publicæ memoriæ mandata sunt, ac præter cætera VII. & V. Id. Maias M. CCC. LXXIX, aliísque in locis, est inuenire Reginam Iohannam

Augustã Imperatori, Reginam Regi, etiam ius dicenti, assedisse.

Borboniam, vxorem Caroli v. cognomento Sapientis, filii Iohannis Regis & Iohannæ Bononiensis, inter huius Augustæ nostræ maiores connumeratæ, Regi marito, ipsa in Curia, tum de grauioribus regni negotiis, puta, de bello Britannis indicendo, consilium capienti, tum etiam ius dicenti, cum Patriciis ac Proceribus assedisse. v'tque vno & altero exemplo contēti simus, nec Iustinianus Imperator, & legibus & armis celebratissimus, grauatus est agnoscere ac profiteri, vel legibus ferendis, Theodoram suam in consilium adhibuisse. Quinetiam hi qui officia suscipiebant, non modò ipsi Iustiniano, verumetiam Theodoræ coniugi, iureiurando ex formula obstringebantur.

De Patriciis, Tit. V.

I.

Rhemorũ Patriciũ, diploma, quod Debitis appellant, iubere posse.

ARCHIEPISCOPVM Ducémque Rhemorum, Principem Patricium, nominibus exigendis, generale diploma (quod vulgò Debitis appellant) pro imperio iubere posse. VIII. Id. Aprilis, Anno, à Martinalibus, M. CCCC. XVIII.

II.

Rhemorũ Patricio, suum causarum peculiare volumen.

PETEBAT Archiepiscopus Dúxque Rhemorum, primus Frāciæ Patricius, peculiarē litium suarum catalogum (vt solitum erat) promulgari. Respondit Regius actor & publicus, interea dum collegas ea de re cōsuleret, per se licere, vt quo iure, toto superiore decennio, Archiepiscopus fuisset vsus, hoc, eo quoque anno vteretur, sine vlla in futurum captione: & ita placuit, III. Cal. Decemb. M. CCCC. LVII. Hoc exemplo, ab aliquot annis, Archiepiscopo, cui Cognitor eram (is erat, éstque adhuc, illustriss. Princeps, Carolus Lotharingus, Cardinalis ampliss.) à Curia, supplice libello, id etiam impetraueram: sed Accenso catalogum auspicāte, cœpit refragari atque obiurgare, qui tum fasces habebat, rem nouam esse dicens, ídque assidentibus inconsultis: qui, si sententiam rogati fuissent, vero simile est, rem & antiquam & sibi probatam fuisse dicturos. Quotus enim quisque est æquus rerum æstimator & iudex, qui, quod vni profano Patriciorum generi licet, dicat etiam alteri sacrosancto non licere? Sed pro hominis ac loci dignitate visum est dissimulādum, & (vt in prouerbio est) fugiendum, vt denuo pugnaretur.

III.

RHEMIS Archiepiſcópatu, Ducatu, primario Patriciatu, Regúmque conſecratione inſignibus, & ſui Archiepiſcopi, Ducis ac Patricii, quem modò diximus, de vniuerſa Repub. atque in primis literaria optimè meriti, cura, ſtudio, impenſa, noua Academia (vt videre eſt) illuſtratis, cui Halometram creare ius eſſet, Principi, an Archiepiſcopo, Duci ac Patricio, nec ſemel aut iterum, venit in controuerſiam. Prima, quam nouerim, & antiquiſſima, dicebat Regius actor & publicus, inter cætera vectigalia, quæ in Gallia, bellorum cauſa penderentur, certum impoſitum fuiſſe ſali, certis ac deſtinatis vrbibus & horreis, non niſi Principis autoritate vendẽdo. Huiuſce rei ergô, ſuos cuique horreo miniſtros conſtitutos, Salinatorem, Cuſtodem, Menſorem, aut (vt diximus) Halometram: quæ munera, quotieſcunque res ita poſtularet, Princeps, quibus ipſi videretur, mandaturus eſſet. Deinde cùm animaduertiſſent menſurarum varietatem Principi, Populíque rationibus incommodare, omnes ad Pariſienſem, eámque Regiam exegerant. Rem ſalariam nulli, quàm Regi, prouentum maiorem afferre: vt non abs re dici poſſet, ſal non ſecus, quàm à ſe comparatum, eius eſſe. Quæ omnia cùm ſe ſic haberent, quis Regio ſali metiendo, alienam menſuram? quis Regiis ac publicis Salinatori & Cuſtodi Halometram à priuato datum ferret adhiberi? Adhæc vectigalis cauſa, vim ſalis maiorẽ vndique Rhemos importari: cuius collecti menſuram, ſi vnum Archiepiſcopum ſibi vindicare paterentur, aliíſne dominis ius ſuum vſurparet, apud quos ſal, ante vectigal impoſitum, vendi conſueſſet? Defendebat Archiepiſcopus ſe Ducem ac Patricium: vtriuſque dignitatis nomine, non modò ſalis menſuram, ſed alias quoque omneis, quibus Rhemis vterentur, ad ſe pertinere: itaque menſorem dare poſſe: eo iure ſe maioréſque ſuos, poſt quingentos annos fuiſſe vſos: & vt antequã ad Pariſienſem Regiámque menſuram cæteræ redigerentur, ita etiam poſt eas redactas, ſemper Halometram dediſſe. CAVSA ſuis omnibus numeris abſoluta, & ſumma cum religione diſceptata, Archiepiſcopum Ducem ac Patricium, ſuperiorem eſſe placuit. Placitũ pronuntiatum prid. Cal. Septemb. M. CCC. XCIII. Ex quo alia fluxerunt, XV. Calend. Ian. M. CCC. XCIIII. & Cal. Decemb. M. CCCC. V.

Rhemorũ Patricio, Rhemis, & ſalis menſuram & menſorẽ dare ius eſſe.

IIII.

Patricio Nouiodunensi duos esse iurisdictionis gradus.

ANTISTITI Comitíque Nouiodunensi, duodecimuiro Reip. Gallicanæ, Duodecimuiratus nomine, ius esse, vt à minoribus Iuridicis suis, ad Iuridicum maiorem, etiam suum, non aliò prouocaretur. Quòd si quis præproperè atque intercisè prouocaret, præuaricationis exceptione, litem ad sua iura esse reiiciendam, VIII. Calend. Ian. M.CCCC.LV.

V.

Patricius cõprobatus, Dux Niuernensis.

DVCEM Niuernensem, Duodecimuirum Reip. Gallicanæ à Principe nuncupatum comprobarunt, III. Cal. Aug. M.CCCC.LXIX.

VI.

Patriciatus Niuernensis exuscitatus.

EXTINCTVM Niuernensis Ducatus Patriciatum, Cliuẽsi, à Principe exuscitatum esse placuit, XV. Cal. Sept. M.D.V.

VII.

Patricius creatus dux Nemorensium.

DVX Nemorensium, Principis beneficio, Patriciatus dignitate ornatus, sacramẽto rogatus atq; admissus, XVIII. Cal. Febr. M.C.VII.

VIII.

Patriciũ Regii generis, aliosantecellere.

MOMPENSERIO & Niuernensi Ducibus, Duodecimprimis Franciæ ambobus creatis, sed hoc posteriore, rosarum congiaria, Curiæ, de more, apparantibus, controuersum est vter alterum antecederet. ET PLACVIT Mompenserium primas tenere. Eos enim quibús paternum genus cum Regibus coniunctum est, cæteros, à Regia, dignitatis gradus superare. XV. Cal. Iul. M.D.XLI.

IX.

Patricius creatus Dux Almaliæ.

NONIS Ian. anno M.D.XLVII. palàm in Curia recitatum est, ac in publicis literis diploma perscriptum, quo Rex Henricus Valesius II. Franciscum Lotharingum, Almaliæ Comitem, Ducatu simul auxit & Patriciatu: ita tamẽ, vt si sine liberis masculis decesserit, Ducatus quidem vigeat, Patriciatus verò etiam intereat.

X.

Patricius quos habeat iudices.

DE capite Patricii, nisi maximis comitiis, pérque ipsos Franciæ Patricios, ferri non debere. Ideóque nihil obfuturum, quòd aliter antea in Aremoricæ Britanniæ Ducem constitutum fuisset. Placitum Regium, Patricium, Curiale, VI. Non. Mart. M.CCC.LXXXVI.

De Magiſtro militum, Tit. VI.

I.

OLIM Ampliſſ. Ordini is honos eſt habitus, vt iuri Præfecto, & Tribunis militum in Curia ſedẽtibus, etiã militum Magiſter à Principe creatus, ſacramẽto diceret: ídque IIII. Id. Octob. M. CCCC. LXV.

Magiſter militum creat⁹, apud quos ſacramento dicat.

II.

MAGISTRO militum, qui maieſtatis accuſatus, Antoniana in arce cuſtodiebatur, lege per Recuperatores interrogato: diſceptatum eſt, an interrogatorum & reſponſorum, in oculis atque auribus Curiæ, eius dignitatis atque amplitudinis reo legendorũ gratia, adducẽdus eſſet ipſe: an verò ad eum in arcẽ Curia proficiſceretur. ET PLACVIT eſſe proficiſcendum. Cal. Decemb. M. CCCC. LXXV.

Magiſtro militum, etiam capitis cauſam dicenti, habitus honos.

De Cancellario & codicillaribus officinis, TIT. VII.

I

CENTVMVIRALIS Curiæ placita, nonnulláque alia, ad exemplum pertinentia omnia, & quaſi quoſdam iuris dicẽdi canones tractantibus nobis, nihil ab inſtituto abhorrere viſum eſt, ſi de priſca iuris ipſius Præfecti, ac Nomophylacis noſtri (quem vulgò Cancellarium appellant) aliquid etiam diceremus: tum quòd ea inter eius ſeculi placita inſignis memoriæ, exemplaríſque autoritatis offendimus: tum quòd (niſi fallor) ſacroſanctæ vetuſtatis monumentum eſt, quod admirari, colere, venerari (ferè dixi adorare) debeamus. Anno ſalutis M. CCC. LXXIII. XII. Calẽd. Decemb. cùm Dormantio, Nomophylaci, vita functo, alius ſufficiendus eſſet: Rex Carolus quintus, cognomine Sapiens, Proceres, Patres Cõſcriptos, Octouiros à libellis, Rationales, nonnullóſque alios ad ſe in Curiam acciuit. Qui cùm ad centum triginta adeſſent, eos è conclaui exire iuſſit, ita vt ſolus cum Actuario & Blancheto Amanuẽſi ſuo remaneret. Poſtea ſigillatim omnes ad vnum inclamatos atque inductos, iureiurando adegit, vt fide bona, quem è Republica, Nomophylaciæ præfici putarent, ſiue ſacrum, ſiue profanum hominem, indicarent. Datis ſuffragiis, Petrus Orgemontius, Latiniacen. Curio ſummus,

Cancellarii creandi & ſacramento rogandi ratio.

centum quinque puncta tulisse compertus est. Tum ille cùm inscitiam, tum alia multa maximopere excusare. At verò Rex, tot tantísque suffragiis comprobatum, sibi etiam probari testatus est, signáque ei codicillaria in manus dedit. Quibus acceptis, iusiurandum sacrosancta per Euangelia, ita conceptum est. Firmas, Orgemonti,
» Regi te obsequentissimum fore: te illi, quod eius ex dignitate, atque
» è re tum Regia, tum publica esse cognoueris, ad quem res cunque
» pertinebit, optima fide consulturum: patrimonium eius Rémque
» pub. pro viribus tutaturum: nulli alii domino te vnquam addictu-
» rum: togam, pallium, autoramentum, munus, fructúmve alium
» à quoquam alio, præterquam si ipse volet, non accepturum: per sor-
» des gratiámve, nihil vnquam facturum: & si cuiquam alii domino
» dominæve obstrictus es, fuerísve, eis sua omnia renuntias. Quæ in verba ab ipso iuratum est Orgemontio. Porrò quatuor Curiæ Principes, cæteróśque Curiales, ipsos etiam Regiæ ac publicæ aduocationis Triumuiros, tum temporis, & ad nostram ferè ætatem, Curialium suffragiis à Principe creari solitos, nemo, qui vel forũ salutauerit, ignorat. Sed eò tandẽ res deuenit (quo fato, qua ratione, quibus artibus, viderit alius) vt Principibus, imperiũ legibus ac moribus solutũ sibi vindicãtibus, sua ad Curiales suffragia cassa atque inania redirẽt.

II.

Cãcellarius, olim Curiæ morem vt gesserit.

VII. Calend. Decembr. M.CCCC.I. Cùm Bitardus à Præfectis rationum missus in carcerem, Curiam, vt iustum iudicem appellasset, & se à Nomophylacia, æquitatis officina, iniquitatem, vtpote prouocatorii diplomatis negationem, abstulisse quereretur: Curiæ verbis, Nomophylaci denuntiatũ est, diploma vt consignaret: si pernegaret, ipsam ab eo causas sciscitaturam. Is, vt audiuit, in Curiam venit, réque concertata, prouocatoriæ litis sibi cognitionem arrogauit. Dictum tamen, Curiæ Conscriptos à se in consilium esse adhibendos. In quo mihi videre videor velut incunabula quædam earum rerum, quæ postea, nostra ætate, ab aliquibus designatæ sunt, quos fata opportunissima sustulere. Iam tum (scilicet) inclinantibus temporibus, delibatam summæ ipsius Curiæ dignitatem atque autoritatem: iam tum principem hunc magistratum, spiritus antea inauditos assumentem, & iuridicam iustitiam exarmare incipientem.

III.

NOSTRA in Gallia, summæ cuique Curiæ, Regiorum codicillorum officinam, velut asseclam propemodum necessariam, esse attributam, nostrorum hominum ferè nemo est qui nesciat. Rectè igitur Curia vetitum voluit, ne quis de rebus intra suæ ditionis fines agendis, alibi Principi supplicaret: nisi fortè Delphos adire malet, hoc est, Regii oraculi antistitiũ. Cuius diplomata effigie Regia obsignata, per omnia tribunalia, infima, summa, obnoxia, liberáque suo iure sibi vindicant imperium.

Extra destinatas codicillorum officinas non supplicandũ, nisi apud ipsum Principem.

IIII.

INTER cæteros honores, qui nostris Nomophylacibus vita functis impenduntur, solent ii non modò ad mensam in Basilica marmoream, verumetiam in maximo Curiæ tribunali, à XXIIII. feralibus nostris præconibus, ex humanis excessisse promulgari, & superstitũ memoriæ ac precibus cõmendari. Sed an eorũ vxoribus id etiã honoris exhibẽdum esset, addubitatum est: quòd (vt rescriptum est) coruscẽt vxores radiis maritorum. Et huiuscemodi radios suum eousque lumen effundere non placuit. Et si quis hoc in argumentum afferri patiatur, conscripto quidem mortuo, cõsurgit Ampliss. Ordo, exequias cohonestaturus: sed Conscripti vxori, non itẽ. Prid. Non. Iun. M.D.XIII.

Cancellarii, non itẽ eius vxoris mortem, in maximo Curiæ tribunali promulgari.

Placitorum summæ apud GALLOS CVRIAE

LIB. IIII.

De Curia, Tit. I.

I.

DECERNENDAE in exteros pignerationis (quas vulgò Repressalias appellant) ius & potestatem, quam nunc penes solum Principem esse videmus, olim Curiæ fuisse, id inter cætera argumento esse potest, quod ab ipsa Curia Maturino Bruxio decreta est, XVI. Cal. Mart. M.CCC.XCII.

Pignerationes in exteros, olim Curiam decreuisse.

II.

Prouocationis exercēdæ codicillos, Nomophylace negante, à Curia concessos, ipsum obsignare teneri.

SI exercendæ prouocationis potestatem Nomophylax non fecerit, an ideò protinus deuoranda sunt ea catapotia, quæ is, vnde prouocatum est, obtulerit? minimè veró. Quid igitur? ad Themidis ius dicentis aram, hoc est, summam Curiam, confugiendum, & oraculū inde habendum: vtpote cùm de Barri Præfectura militari prouocatio esset, v. Id. Decembr. M.CCCC.V, de Curiæ sententia, ad Nomophylacem missus est Actuarius, vt quos prouocatori solennes codicillos ille negauerat, Curia verò concesserat, ipse (vti ius erat) obsignaret: quod se facturum respondit. Priscæ huius dignitatis atque autoritatis characteres, adhuc in Curia cernere licet quidem, sed planè mutilos ac propemodum exesos. Si quidem à Nomophylacia prouocator huiusmodi ope destituatur, auxiliares Curia manus porrigit imploranti: neque à solennibus codicillis, alio differt Curiæ mandatum, quàm quòd ipsius Curiæ verbis concipitur, signóque eius obsignatur, & eo, nouis de rebus non designandis nihil interdicitur. Quinetiam si ab ea officina, morbosæ liti in Curia decumbenti, medela comparari non posit: Curiæ placet de postulatione litigatores audiri, & ius nihilo secius reddi, quàm si diploma esset impetratum. Sed ea nihil amplius agit in Nomophylacem, pro imperio ac potestate. Sic enim Franciscus Valesius primus, postliminio reuersus, cōstituit, in persona Antonii à Prato, Nomophylacis: in quem, dū Princeps apud hostes ageret, ipsa cœperat animaduertere.

III.

À Præfectis rationū, Curiā appellari.

A PRAEFECTIS rationum Regiarum, Curiam appellari posse. IIII. Non. Septembr. CCC.LXXXIII.

IIII.

Idem quod secundo & tertio.

SOLENNE prouocationis exercendæ mandatum, prouocatori, sibi munus Amanuensis à rationibus, per ipsarum Præfectos, contra ius & fas abiudicatum quiritanti, Nomophylax, Regis patruorum studia causatus, negauerat. Hoc Curia, aduersus eam impotentiam, auxilio quasi Tribunitio implorata, cōcessit, v. Cal. Febr. M.CCCC.I. Quod mandatum Præfectus vrbi, cui, pro rei grauitate, hæc erat data prouincia, eo die executus est, tāetsi Rationalibus Curiæ imperiū ac potestatē detrectantibus, & tergiuersatione eludere machinantibus.

V.

ARVERNI Ducatus (sic enim id genus ditionẽ appellant) donationem à Rege, Duci Borbonio factam, cùm minimè admittendam Curia censuisset, Præfectíque rationum eam contrà comprobassent, & Curiam Cognitor Regius ac publicus appellasset, Nomophyláxque iuris præsidium, hoc est, diploma prouocatorium, semel, iterũ, ac tertiùm ei denegasset: Curia, veluti Regio imperio & Nomophylace maiore, impertiit, VII. Id. Decemb. M. CCCC. XVIII. Idem.

VI.

MANDATA, quæ, Ordinis Ampliss. decreto, Regiis concepta verbis, per Actuarios eorúmve amanuenses, ad libellorum Præfectos obsignanda perferuntur; nihil quicquam ad eorum disquisitionem pertinent. Foret enim, vt ipse Ampliss. Ordo, à sui parte, hoc est libellorum Magistris, alioqui penderet: quod ab omni ratione tam esset alienũ, quàm quod alienissimum. Quamobrem VII. Id. Sept. M. D. II, libellorum Præfectis imperatum est, vt ab ea disquisitione temperantes, quæ huiusmodi ad eos mitterentur, obsignarent. Quòd si quis obtruserit, libellorum Præfectos, quanquam re vera pars est Ordinis Ampliss. tamen ea in re Procancellarios agere: ferat, & ipsi Nomophylaci id ab Ordine, nec semel aut iterum, aliquando fuisse imperatum. Libellorum Præfectos, vt Nomophylacẽ ipsum, Curiæ mandata obsignare teneri.

VII.

PROVOCATIONEM à Rationalibus interpositam admiserunt ac iudicarunt, XII. Cal. Apr. M. CCCC. LXIIII. post Martinalia. À Rationalib. Curiam appellari.

VIII.

DE diplomatis, quæ cùm summæ Curiæ, tum etiam Rationalibus apud se palàm recitari, atque in acta publica referri Princeps iubet, quo ordine id fieri deberet: PLACVIT à Rationalibus esse incipiendum, VII. Calend Septembr. M. CCCC. XCV. Meritò illud quidem. Nam quòd ad meram rationum dispunctionem attinet, & quam vulgò computi lineam appellant, licet potestate sint prouocatione superiore: sunt tamen in cæteris, obnoxia atque inferiore. Quid ergo, cùm id etiam Præfecto vrbis, aliísve obnoxia iurisdictione magistratibus iubetur, non idem obseruamus? Et puto in causa esse, quòd Curiam hi quidem summam, eiúsque præscripta Diplomatũ recitationẽ, & in acta publ. relationem, à Rationalib. esse auspicãdam.

nunquã non agnouerunt: illi verò non modò eius imperiũ detrectarunt, verùm etiam sunt de pari potestate ferè semper ausi contẽdere.

IX.

Ad Prætoriaũ Cõsiliũ auocamento Curiã nõ parêre.

LITIS à Curia ad Prætorianum consilium auocamento non esse parendum. XI. Cal. Martii. M. CCCC. XXIII.

X.

A Prætoriano Consilio Curiã appellari.

A PRAETORIANO consilio prouocanti, prouocationis exercendæ potestatem fieri, eámque in rem Curiales codicillos dari placuit, XIII. Cal. Mart. M. CCCC. XCI.

XI.

Curiã Prætoriano Consilio esse anteponendam.

IN omnibus diplomatis, in quibus Ordinis Ampliss. & Prætoriani consilii mẽtionem haberi cõtingit, ipse semper Ampliss. Ordo præponendus est: quod & Carolus VIII. rescripsit, & in acta publica regestum est, Idib. Iun. M. CCCC. XCIX.

XII.

Prouocatione in Curiam inducta, eã, non aliũ Iudicem, de cõcõtingentib. omnib. esse adeundam.

HERBINIVS Sudarius, ob delictum, pecuniæ damnatus cùm prouocasset, duas aduersario, Rhemorum Archiepiscopo, dicas, vno eodémque diplomate impegit. Alteram ad Curiã, exercendæ prouocationis gratia: alteram ad Viromanduæ prouinciæ Præfectum, sui è carcere dimittendi causa, si iudicatum, in fiduciæ speciem faceret. Hanc diplomatis partẽ Archiepiscopus impugnans, ab eius executione prouocauit, causatus semel interposita, & in Curiam inducta prouocatione, Curiam, non alium iudicem, non modò de prouocatione, sed & de aliis omnibus, quæ prouocationem contingerent, esse adeundam. Defendebat Sudarius, quod de sua ampliatione molitus fuerat, innumeris exemplis esse factum: conceptas diplomatum formulas (quæ Cancellariæ Protocola vocant) id apertè ostendere: prædurum fore, si quis in vincula coniectus, hocce præsidii, tanto locorum interstitio, petere haberet. Per Marilliacum Regis causidicum Regius actor & publicus intercesit, contendens ea in re neque exemplis, neque conceptis diplomatum formulis quicquam tribuendum. Vera enim exempla non esse, neque receptos mores, sed abusum potius & corruptelam. PLACVIT Archiepiscopum rectè prouocasse: Sudario tamen potestatem fieri, sua illa de ampliatione, ipsi Curiæ supplicandi. Ex tempore, V. Calen. Octobr. M. D. XLIIII.

XIII.

SI erroris obtentu, oblationalis Curiæ placitum sub incudem reuocetur, rei retractationem ad centumuiralem Curiam pertinere, Iohāni Mortario, diplomate excluso, pronuntiatum est, résque postea iterum iudicata. Pridie Non. Ian. M. CCCC. VII.

Rei, à summis vectigaliū Magistratibus iudicatæ recognitionē, si quis errorem causetur, ad Curiā pertinere.

XIIII.

INTER Amplissimæ Curiæ Cōscriptos, & eius, quam Oblationū appellant, contentio, quòd ambæ summæ sint iurisdictionis, fomes quidem est antiquus: qui certè non ita pridem excitatus, tantum fecit incendium, vt basilicam, cuius septis vtraque Curia concluditur, statim dixisses conflagraturam, nisi veluti magnis imbribus ad illud restinguendum è cælo demissis, Regis autoritas intercessisset, eiusmodi tragœdiam ad suum theatrū auocantis, & interim pro summo imperio ac potestate, vtrinque silere iubentis. Quarto Non. Mart. M. CCCC. XXXVIII. cùm vnus apparitorū Curiæ, cuiuspiā debitoris equum vnum & alterum, à se pigneratū, auctione addixisset: publicani vectigal eo nomine deberi contendētes, ad primarios Oblationū iudices, quos vulgò Selectos vocāt, in apparitorem agere occœperūt. Tum apparitor ius fori præscribere. Publicani ab illa Oblationū Curia impetrare, apparitori vt inhiberetur, ad alium, à se, iudicem ne iret. DE QVIBVS cùm ad summā Curiam relatum esset ac disceptatum, Oblationū Curiæ, in persona Curionis, Fani D. Mauri à fossis Hetæriarcho, centum argenti librarum (quas aurifices marcas appellare solent) multa indicta, iusserunt, factum vt infectum facerent, eáque eis causa esset in posterum sacrosancta. Cæterùm publicanos, eúmque apparitorem, qui Oblationalis Curiæ inhibuerat imperia, ducendos esse.

Curiæ in sūmos vectigalium iudices imperium.

XV.

SVMMIS vectigalium iudicibus ab ampliss. Ordine vetitum est, ne, quemadmodum ipsi constituerant, reum tormentis pergerent interrogare. III. Id. Febr. M. CCCC. XCVII.

Idem.

XVI.

QVOD apud nos, Rege nouo, omnes, qui magistratibus, officiis, muneribus Regiis quibuscūque antea fungebantur, nouis codicillis, post hominum memoriam, habent redintegrari: dici potest, Rege

Morte Principis, Curiæ iustitium nō induci.

post hominum memoriam, habent redintegrari: dici potest, Rege decessore mortuo, eos iam non esse qui fuerint, & amplius quod potuerint, non posse. Sed humanum est, atque etiam è re Principis populíque, ea ratione non induci iustitium. Et fortasse non abs re fuerit existimare, huiusmodi ministros Principi approbari, donec aliter ipse cõstituerit. ITAQVE cùm allatum esset de obitu Ludouici XI, placuit Curiales omneis suum quenque munus obire, interea dum ad nouum Regem, de Curia nouis codicillis instauranda, oratores allegarentur. III. Cal. Septembr. M. CCCC. LXXXIII.

XVII.

Etiam per litis orãdæ speciem, Curiæ Cõscripto, nisi petita Curiæ venia, nõ obtrectandũ.

IVDICIORVM pondus atque autoritatem, magna ex parte pendere, à iudicantium existimatione, in hominum opinione consecrata, neminem dubitare puto. Exierint illa, quãtum voles, ab vltimùm iudicandi potestate præditis: aresta, placita, consulta, decreta, quantum libuerit, appellentur, sint etiam: non esse tamen apud se tacitus existimabit, quisquis eos, à quibus exierint, nihil iudicis, præter nomẽ vmbrámque inanem habere sibi persuaserit. Itaque permagni, etiam publicè refert, cùm nullius lædi famam, tum eorum maximè qui iudiciis præsunt. Quam in sententiã, VIII. Id. Aug. M. CCCC. XCI, Causidicis iussum voluerunt, vt orantes, Curiæ maiestatem ac dignitatem comiter obseruarent: vetitúmque ne Curialium cuiquam, nisi petita Curiæ venia, obtrectarent. Quod si secus facerent, scirent se pro arbitrio esse luituros.

XVIII.

Curiæ Cõscripto pecunia tentato, facinus grauiter animaduersum.

IN litis institorem, ex eo hominum genere, qui veteribus sequestres, hoc est, corrũpendorum iudiciorũ conductores, appellabãtur, nempe qui aureũ numum, vnũ & alterũ, supplici libello inclusum, vni ex Cõscriptis obtulerat, sic animaduerti placuit. Aurũ in cereum insumi, quẽ ille ab vno apparitorũ obseruatus, ad Diuæ deferre haberet, eiusmodi institoria perpetuò abstinere iussus, III. Non. Iun. M. CCCC. XCIIII. Audiuimus nostra quoque ætate fuisse, atque etiã nunc non esse non puto, tanta integritate continentiáque iudices, vt non modò ab auro, quemadmodũ ille, sed etiam à quibuscũque siue donis siue muneribus temperarent. Extitisse etiam (síntne adhuc nescio) quibus visceratione accipere, aliáq; id genus munuscula, quibus

litigatores iudicum gratiam aucupari ſolent, religio nō eſſet, Vlpiani (vt ſibi perſuadebāt) ſententia fretis, imò verò diui Veri, & Imperatoris Antonini autoritate: quorū epiſtola, ab Vlpiano recitata, ſic habet:
» Quātum ad xenia pertinet, audi quid ſentimus. Vetus prouerbiū eſt,
» οὔτε πάντα, οὔτε πάντοτε, οὔτε παρὰ πάντων. Nam valde inhumanum
» eſt, à nemine accipere, ſed paſſim viliſſimum, & omnia auariſſimū.
» Quibus ipſe Vlpianus (vt illi inculcabāt) ſubiungeret, id quod mādatis
» continebatur, ne donum, vel munus ipſe Procōſul, vel qui in alio
» officio eſſet, acciperet, quíue emeret, niſi victus quotidiani cauſa,
» ad xenia non pertinere: ſed ad ea, quæ eduliûm excederent vſum.
» Laudabant præterea Modeſtinum inquientem, Plebiſcito quidem
» contineri, ne quis Præſidum munus donúmue caperet: ſed, niſi eſcu-
» lentum, potulentúmue, quod intra proximos dies prodigeretur. At, præfata, quæſo, venia, videamus rectène an perperam ii autores antehac laudati fuerint, atque etiam nunc laudentur in dies. Quod nullo propè negotio (mea quidem ſententia) conſequemur, ſi illius ac noſtri temporis magiſtratuum, atque etiam xeniorum inierimus rationem: non eam, quæ exactam eorum omnium differentiam ponat ob oculos, ſed quæ huic noſtro inſtituto faciat ſatis. Erant certè quidem illi, fuerúntque, quandiu ius, imperii cauſa, non eſt violatum, temporarii omnes: noſtri verò perpetui, hoc eſt inſontis vitæ comites. Proconſules & Præſides (quādoquidem ad hos propriè pertinent illæ ſententiæ) vt quæque cuique prouincia ſortitione obtigiſſet, ad officia proficiſcebantur, re priuata neglecta, publicam adminiſtraturi. Noſtri homines, magiſtratibus, qua quiſque poteſt ratione comparatis, domi penè omnes munia obeunt, & ex Republica ſtrenuè conficiunt ſuam. Quî fit, vt quibus ii ius dicunt, ſint ipſi ciues, municipéſue: illi, prouincialibus ſuis eſſent hoſpites: atque adeò iis rectè dari non poſſint, quæ illis iure dabantur, xenia. ξένος enim peregrinus & hoſpes eſt. ξένιον propriè donum, non quod ciuibus, municipibus, tribulibúſue noſtris, ſed quod hoſpitibus da-
» re ſolemus. De magiſtratibus, erat in lege XII. Tab. Donum ne
» capiunto, néue danto, néue petenda, néue gerenda, néue geſta po-
» teſtate. Quod quidem, donum omne vetabat, magiſtratus omnes tenebat, nullum excipiebat. Ex quo iure manauit lex Iulia repe-

tundarum, & Plebiſcitum illud ex Modeſtino prolatum : quo, ne, quod aliis omnibus licebat, ſuis Romanorum Magiſtratibus, etiam hoſpitibus, non liceret : & xeniis (hoc eſt, humanitatis & beneuolentiæ notis) abſtinentes, plus æquo rigidi, immanes ac barbari à prouincialibus haberentur : muneribus, doníſue rurſus prohibitis, xenia permiſerunt. Sed quibus etiam modum adiici placuit, vt neque moroſè in totum magiſtratus abſtineret, neque auarè modum excederet, & ad munerum qualitatem, xenia non producerentur. Quod poſtea moribus dilatatum, Iuſtiniano Imperatori cõſtitutione coanguſtari, imò verò aboleri placuit. Vetuit enim ne, qui ad officia mitterentur, à quoquam ſubditorum quicquam acciperent. Et Dominico, Prætoriorum per Illyricum Præfecto, reſcripſit, Defenſorum ciuitatum cupiditatem eſſe refrænandam : vt nihil à ſubditis caperent, præterquàm quod ex publico præberi ſolebat : aut ſi nihil inde præberetur, id quod vetuſtas inculpata definiſſet. Vnde colligebat Accurſius, ne huiuſmodi eſculentum quidem, potulentúmue magiſtratus accipere debere, niſi ſalaria non offerrentur. At Iudicibus noſtris, præter annua, quæ à Principe numerantur autoramenta, ab ipſis etiam litigatoribus, pro tragematis, quæ olim vera ac germana, eáque perpauca dabãtur, aurum dependitur, ídque pro ipſo eorum Iudicum arbitrio ac volũtate. Vidi equidem, qui præter hæc præmia, iiſce, quas diximus, ſententiis, & veluti conſignatis autoritatibus mordicus arreptis, gloriaretur, ſemper aliquid ex eo capturarum genere, apud ſe de vnco in popina pendêre. Audiui, qui ad fœdam, ſatis alioqui ſordidæ vxoris auaritiam ita conniueret, vt quæ ex eiuſmodi eſculentis ſupereſſent, cupedinariis crederet, vnde confecta ſumma, vectigal tandem conſtitueretur : rem profectò penè omnium, quæ Iudices contingere poſſunt, ſordidiſſimã. In ſumma (niſi maximè fallor) quæ nũc Iudicibus, hoc eſculenti, potulentíue obtentu, dantur à litigatoribus, xenia non ſunt: vera ſunt intertrimẽta, aliis leuiſsima, aliis non ita tolerabilia: ſed quæ vix eſt qui ſubeat, niſi qui vel ſine iis, quod à Iudice conſequi debet, non exiſtimet: vel cum iis, quod non debet, ſperet ſe conſequuturum.

XIX.

Curiæ cõſcriptum, nõ niſi

CAROLO VI. mente abalienato, patruis ad Reip. gubernacula

ſedentibus, clauúmque tenentibus, Arnoldo Corbia, Regii oraculi antiſtitio Præfecto, fortaſſe vt Principe, ita & Rep. laborante: erupit edictum, quo hæc ferè, vt in XII, de Senatoribus habebantur.

maximis comitiis, exiſtimationis ac dignitatis cauſam non dicere.

Ampliſſimus ordo vitio vacato.

Cæteris ſpecimen eſto.

Conſcripti ſontes à Quatuor Curiæ primis caſtigantor, &, ſi res ita poſtulauerit, amouentor.

Quam prouinciam cùm Quatuorprimi permulta excuſantes detrectarent, indignúmque videretur, Conſcriptum, niſi maximis comitiis, exiſtimationis ac dignitatis cauſam dicere: PLACVIT, edicto non eſſe parendum. XIII. Cal. Mart. M. CCCC. VI.

XX.

IN Curialium aliquem ita cenſuram exerceri placuit, vt, qui eam, cuius cóſuetudine, per matrimonii ſpeciem, vſque ad vteri geſtationem, abuſus fuerat, dimiſiſſet, quòd illi puerum puellámue ſacro de fonte ſuſtulerat: veniæ à Pontifice Maximo poſtulandæ, & mulieris in vxorem ducendæ, ipſius Curiæ verbis admoneretur. IIII. Cal. Maii. à Martinalibus M. CCCC. XCVI.

Cenſoria Curiæ ſententia.

XXI.

GRASSANTIS epidemiæ contagionem, placuit iuſtam ac legitimam eſſe cauſam, cur ante ſtatum diem Curia dimitteretur. XII. Cal. Sept. M. D. L.

Epidemia Curiam dimitti.

De Curia in publicum prodeunte,

TIT. II.

I.

AMPLISSIMAE Curiæ, Principi obuiam exituræ, ornatum atque etiam inceſſum, quem Rationales cum ea communem ſibi ac promiſcuum eſſe contendebant, ita conſtitui placuit.

Curiæ in publicum prodeuntis ornatus.

Conſcripti omnes toga, ſacris initiati cærulea, profani coccina, pelliculatis epomidibus additis, ornati ſunto.

Rationales, vt functionis nobilitate, ita & autoritatis pondere diſſimiles, prorſúſque à Curia ſeiuncti, gradum cum ea ne conferunto.

Curia in publicum prodeunte, Rationales cum ea gradū cōferre non debere.

Separati ſeparatim ambulanto. Idib. Iun. M. CCCC. XXX.

II.

Curia in publicum prodeunte, quo quenquecultu, loco, atque ordine esse oporteat.

NOSTRIS hominibus nouo Regi, Carolo VIII. in vrbē Regiam primùm aduenienti, εἰσιτήρια meditantibus, Triumuiri rerum fiscalium actionúmque popularium postularunt, vt sibi, cùm ei obuiam eundū esset, quo designabāt ordine, incedere liceret. PLACVIT eos suas, hoc est à Curiæ magistratibus, officiísque omnibus postremas tenere. Cæterùm ne etiā tum, in posterúmue quis addubitaret, quo quenque loco atque ordine esse oporteret, quoties Curiali purpura cultúque progredi contingeret, hæcce de ea re ferè ad verbum censuerunt.

Apparitores bini omnes Basilica exeunto.

Cùm in vicum venerint, quatuor ex eis, anteambulonum munere funguntor.

Quatuor alii, Conscriptorum ordinem, ne alter alterum prætergrediatur, obseruanto, atque ab eis turbam arcento.

Eam in rem, alius ab alio longiusculè disiuncti, ad Conscriptorum latus, vici riuulum versus equitanto.

Postremi quatuor ponè Conscriptos, & Regiæ publicǽque Procurationis Triumuiros, ab eis etiam turbam prohibento, Causidicósque, deinde Cognitores, vt sequātur, suo quique ordine, curāto.

Quatuor Curiæ Amanuēses honesto cultu, thecis pennariis, ac epomidibus pelliculatis ornati, primi, post priores quatuor Apparitores, bini gradiuntor.

Scribarum duo, alter causarum Isagogicus, alter Quæstionum capitalium, pari ornatu atque insignibus, sequuntor.

Post eos, Princeps scriba (quem Ciuilem appellant) pelliculato epitebennio, vel, si mauis, epitogio, solus ambulato.

Apparitorum Decurio, pileo pelliculato, caduceóque insignis, Curiam à Curiæ ministris, interpositus distinguito.

Quatuoruiri, epomidibus ac palliis pelliculatis, pileísque sericis villosis spectabiles, bini Curiæ primas tenento.

Primus, limbulis murium araneorum ad humeros dispositis, & extremo pileo auro prætexto, alios excellito.

Conscripti, serie in duos versus, altero initiatorum, altero profanorum, protenta, togis purpureis visenda, insignibúsque humera-

libus, ſuis ducibus, ſuo quiſque ordine, ſucceduntо.

Regiæ publicǽque Procurationis Triumuiri, poſt Conſcriptos omneis, primi ſunto.

Ex poſtremis quatuor Apparitoribus, duos (ſi volent) anteambulones habento.

Cauſidici ac Cognitores, ſuo etiam quiſque ordine numeróque, Curiam comitantor.

Puerum equeſtrem nemo, pedeſtrem vnum & alterum quicunque volet, habeto.

Præſcriptum ordinem nemo præuertito.

Bini vicum ruſticũ, quod diui Dionyſii ſacellum appellãt, petunto.

Dum Curiæ Curio ſummus cum Rege verba faciet, ne accedunto: omnes enim in faciem eius ſalutabundè iter facient.

Rege ita ſalutato, omnes ad Diuæ pronaum redeunto.

Cùm ibi ventum erit, quiſque per vias viculóſque, ſed alià quàm quà tranſitum erit, domum ſeſe recipito.

Iam inde quoties ſiue Regi, ſiue Reginæ, ſiue deſignato Regi, Reginǽue deſignatæ, Principíue viro, fœminǽue aduenięti, honoraria munera & aduẽtitia edẽda erũt, is ordo ſeruator: præterquàm quòd ſi alius à Rege ſit, palliis ac epomidibus parcẽdũ erit: niſi fortè eũ quoq; honorẽ Reginæ impẽdẽdũ eſſe videatur. IIII. Cal. Iul. M.CCCC.LXXXV.

III.

REBVS in Italia, Germania, Lotharingia bene geſtis: & vrbe arcéque Hiſdini, deditione, nihil minus quàm voluntaria, receptis: ac pertinaci Mediomatricũ obſidione, multis ac magnis cladibus acceptis, & vaſis non conclamatis, caſtris cedere coacta: cùm Pridie Non. Ian. M. D. LII. Hẽricus II. Opt. Max. Imperator noſter, Dionyſianũ veniſſet, armipotẽti Deo, Diuíſque tutelaribus gratulationẽ facturus, & reliquias, vnde proficiſcẽs eduxerat, moribus maiorũ repoſiturus: huiúſque rei ergô Ampliſſima Curia, XXIIII viri vectigales, rationibus Præfecti, alíique, qui huiuſmodi ſacris intereſſe ſolent, eò loci cõueniſſent: & Ampliſſ. Curia XXIIII viros vectigales, non modò ſolita purpura, ſed & pelliculatis epomidibus, Curialẽ ornatum imitatos cõſpicata fuiſſet: nouum eis ornatũ nuntiauit, ac pro imperio & poteſtate prohibuit. Tum Vectigales abnuere Ordinis Ampliſſ. po-

Ad Curiam, non etiam ad ſummos Vectigalium Iudices, pelliculatas epomides pertinere.

testatem: dicere, paris in parem imperium esse nullum: vbi Princeps esset, nulli alii fas esse, quicquam pro imperio ac potestate decernere: nihil ornatus, nihil imperii, nihil potestatis ad Ampliss. Ordinē pertinere, quod sibi, sua in specie, nō etiā licere putarēt: si quid aliter Princeps cōstitueret, morē se gerere non detrectaturos. IMPERIIS vltro citróque inhibitis, delatáque ad Principē controuersia: PLACVIT epomides à Vectigalibus depositum iri. Enimuero par esse, & ad decorum (quod in primis seruandum est) maximè pertinere, vt Amplissimus Ordo, cæteris omnibus omnium iudicum ordinibus antiquior, & in quo, non in illo, Princeps, Proceres, Patricii, vel de summa Reip. consulturi, vel maximis de rebus disceptaturi, sedere solerent: quemadmodum illum antecedebat, ita etiā ab eo, vel hac ornatus particula, secerneretur.

IIII.

Curia prodeūte, si quisquam Præsidū abest, Cōscriptorum antiquiorem substitui.

CVM aduentanti Principi publicè occurrendum esset, vnúsque ex Quatuorprimis desideraretur: PLACVIT, vt aliorum Conscriptorum antiquior, eius magistratus insignia gestaret, & ita absentis vice fungeretur. VI. Cal. Feb. M. CCCC. LXIII.

V.

Curia prodeunte, Classiū Ductores, suo Cōscriptorū ordine, incedere debere.

QVOTIES Curiali ornatu prodeundum est, Classium inquisitoriarum Ductores, non vt Ductores, sed suo Conscriptorum ordine incedere debere. VI. Id. Feb. M. CCCC. XCI.

VI.

Curiæ Religio, erga sacrā Rhemorū ampullā, cū per Lutetiam, ad Ludouicum XI. transueheretur.

CVM sacra Rhemorū ampulla, quam Ludouicus XI. variis morbis diuexatus, vitæ tamen percupidus, vt si quis vnquam alius, ad se proferri iusserat, aut veluti numen alexicacū (erat enim alioqui pius ac religiosus) aut vt certum vitæ vel mortis indiciū (eam enim cælo demissam, Regibus cōsecrandis atque etiam victuris, plenam esse ferunt: morituris, sensim deficere ad vacuitatem) cùm inquam sacra illa ampulla Lutetiam appropinquàret, verba facta sunt in Curia, quo eam honore affici placeret. ET PLACVIT solenni Curiæ ornatu obuiam esse prodeundum. Non enim par esse, sacro ceromati, cuius mysterio Reges, à Deo Opt. Max. summū imperium ac potestatem acciperent, minus honoris, quàm Regibus ipsis impendi. III. Cal. Aug. M. CCCC. LXXXIII.

VII.

EOS ordines, præter Amplissimũ, qui Principi solent: ipsum verò Ampliss. non quidem vniuersum, sed ex eo selectos aliquot, Pōtificis max. Legato obuiam ire placuit, XIII. Cal. Mart. M. D. ídque in persona Cardinalis Ambœsiani. Cui, cùm postea in Curiam veniret, excipiendo, Quatuorprimorum vnus & alter, solennibus palliis, princépsque Actuarius, epitebennio, ornati, de ipsius Ordinis sentē-tia obuiam exierunt, IX. Cal. illius mensis. Pontificis max. Legato, honor à Curia impēsus.

De Quatuor Curiæ primis, Tit. III.

V.

MEMINI Iacobum Lucium, Iurisconsultũ, fratrem dulcissimum, mihi narrare, Rogeriũ Barmeum, vnum è Quatuor Curiæ primis: eum, qui antea, de abroganda (quam vocant) Pragmatica sanctione, Legatus Romam missus fuerat: dicere solitũ, Quatuorprimorũ Curiæ munera vnum esse magistratũ: ea ratione gerendũ, vt apud eum fasces essent, qui fortè primus in Curiã veniens, locum superiorem occupasset: neque princeps, neque postremus quisquam eorum diceretur. Quam sententiam ego quidem, pro Barmei illius dignitate atque amplitudine, lubens amplecterer: sed verò me auocant tria. Vnũ, quòd hæcce consequerētur, quæ à iudiciis iudicibúsque omnibus longè alienissima esse oportet, cōfusio, ambitio, contentio. Alterum, quòd Quatuorprimorũ infimus erat ille, cui si summo esse cōtigisset, qua erat animi magnitudine, longè forsan aliter censuisset. Tertium, quòd tum temporis, totóque superiore seculo, diuersum penitus inoleuerat. Cuius rei exemplum inuenimus propemodum familiare. Cum Marleo enim, de quo mox verba facturi sumus, illo qui postea Oraculi Regii antistitio Præfectus fuit, Brinona, quam Lucius vxorem duxi, maternum genus coniunctũ habet. XI. Cal. Iun. M. CCCC. III. cùm Popincurtius, Curio summus, fatis concessisset: & eum honorē Rex Marleo detulisset: neque is capessere vellet, nisi candidus Curiæ calculus adderetur: Conscriptis ea de re deliberantibus, venit Nomophylax: apud quem Boschetus, qui secundas obtinebat, intercessit, vt qui primas, quasi suo iure, sibi vindicaret. Cui Nomophylax, Regis (inquit) animo sedet, vt Marleus alle-

Ab infimo Præsidũ Curiæ gradu, ad superiores, ordine ascēdi, præter summum. Præses senio confectus, missus.

gatur. Cúmque Conſcripti palàm dicere nollent, Nomophylaci in aurem ſinguli ſententiã inſuſurrarunt: itáque conflato Curiæ conſulto, hæc ferè Boſcheto Nomophylax, Quod Principi (inquit) placuit, etiam Curiæ placet. Cæterùm, magnũ eſt atque arduum, optime Boſchete, quóque te beatum arbitrari poſſis, perſonã tibi impoſitam hactenus ſuſtinuiſſe: & quãdo per ætatem amplius non licet, ſatius eſt integra fama, honeſtè abire magiſtratu, quàm ea perſtãdo imminuta, in quandam equi illius Horatiani ſimilitudinem turpiter incidere. Suffecto igitur in locum Realio tuum, quanta maxima fieri poteſt mitteris honeſtate: tantùm abeſt, vt primas te ſperes aſſequuturum. Hactenus ille. Quibus facilè perſuaſum habeo, illud de quadruplicis magiſtratus ſimplicitate, cõfuſáque autoritate, Barmeũ, magis animi cauſa, quàm ſeriò dixiſſe. Qua tamen ille cunque mẽte dixerit, habemus ea de re, tum Regis, tum Curiæ placitum, atque interim ſexagenarium (quod aiunt) de ponte deiectum.

II.

Præſes emeritus miſſus.

GVLIELMVM Cognatulum, Præſidem emeritum mitti, & Iuonẽ Spelleũ in eius locũ ac munus admitti placuit, ducenis (quas vocãt) libris, ex prima quaque pecunia, miſſo illi attributis. IIII. Non. Iun. M.CCCC.XLII.

III.

Præſidis ornatum, in Curia, perpetuũ eſſe debere.

IVRIDICIS diebus, & ſolẽnibus placitorũ recitationib⁹, Quatuorprimo, etiã vxorẽ de more lugẽti, pullato eſſe nõ licere: ſed eũ magiſtratus inſignia geſtare debere. XVI. Cal. Decẽbr. M.CCCC.LXXIII.

De Claſſium inquiſitoriarum Ductoribus, TIT. IIII.

I.

Inquiſitionũ Præſides ſacris initiatos eſſe oportere.

CLASSIVM inquiſitoriarum Ductores, non niſi ex infulatis eſſe creãdos. XIIII. Cal. Sept. M.CCC.XVII. Itaque poſtridie cooptatus Viuianus, vt eum honorem adipiſceretur, profani Conſcripti, quam ſuſtinebat, deponere coactus, infulati perſonam aſſumpſit.

II.

Inquiſitionũ Præſidẽ, Epiſcopũ creatũ, nec cũ reſcri-

HAVBOSCIVM, vnum è claſſium inquiſitoriarũ Ductoribus, magiſtratum retinere deſiderantem, reſcripto Principali, eã ob à ſe rem

exorato, ſummoueri placuit IIII. Non. Iul. M. D. VI. ptoPrincipis magiſtratũ retinere poſſe.

III.

I. Sp. Conſcripto, alteriúſque claſſium Curiæ altero Ductore, N. Epiſcopo creato, magiſtratu abire detrectante, Iacobo Berruerio, eiuſdẽ magiſtratus candidato, vrgẽte, multis ea de re habitis comitiis, tandẽ Cal. Apr. M.D.XLVII. decreto Curiæ panegyrico, pronũtiatũ eſt, magiſtratum in caduci cauſam ceſſiſſe: nonnullis tamen arcanis de rebus, Principẽ Curia monitum voluit, Cõſcriptis duobus ea prouincia data. Sed Aii Locutii, per rimulas, vel ſanctiſſimo iureiurando obſtructas, erumpentis numine factũ eſt, vt ſtatim Princeps ſe ſatis ſupérque monitũ ſcriberet, iuberétq; vt nulla interpoſita mora, Berruerio magiſtratus permitteretur. Quibus Curia primùm nihil cõmota, perſtitit in ſententia. At verò cùm Princeps vix aures Legatis accommodaſſet, & ſolutum legibus imperium ſibi vindicaret, Curia ſummæ poteſtati cedere coacta, Berruerio, moribus maiorũ νομομαχίαν indixit. De arcanis autem illis hoc vnum habemus, quòd tametſi Principum edictis, Curiæque decretis, claſſium inquiſitoriarũ Ductores ſacris initiatos eſſe oporteat: Berruerius tamen cùm ὄντως, τῦ κατα χρηστικῶς, τρίγαμός ἐστι. Nam alteram in matrimonium vxorẽ habet, quæ alteri antea nupſerat. Sed quid peruium non eſt futurum, homini apud Principem & Principis intimum gratioſiſſimo?

Inquiſitionũ Præſide, Epiſcopo creato, ei magiſtratu eſſe abeũdum.

IIII.

CLASSIS alicuius inquiſitoriarum, ſi ductores abeſſe contingat, nulli aliarum hoc (vt ita dicam) interregnum occupare licere: ſed verò Tribunalitiorum eſſe, diſpicere, quem eas magis habenas moderari conueniat. Non. Ian. M. D. V.

Inquiſitoriæ claſſis Præſides ſi abſint, Tribunalitios prouidere.

De Curiæ Conſcriptis, Tit. V.

I.

IDIB. Nouemb. M. CCCC. XCII. vnum aliquem Curiæ quidem aſcribi, ſed quòd abeſſet maturitas ætatis, ipſa eum Curia abſtinere placuit. Curiæ ſanè ſententia, quæ nonnihil indulgẽtiæ præ ſe ferẽs, multũ tamen habet priſcæ illius grauitatis ac ſeueritatis. Scio equidem eſſe, fuiſſe, nec dubito fore, iuuenes eo ingenio, ea doctrina, ea prudẽtia inſtructos atque ornatos, vt cæteris ſummæ ſint, fuerint, fu-

In Curialis muneris cãdidato, ætatis maturitatem requiri.

turi ſint admirationi. Sed nemo (mea quidem ſententia) negauerit, ſenes iiſdem animi dotibus præditos, vel hoc vno iuuenes ſemper antecellere, quòd longo annorum vſu aliquid habent, quod adhuc iuuenibus, per ætatem, non licuerit cõparare. De quibus ſi Catonem
» Ciceronis, de Scipionis auo loquentem audire libuerit, Vteretur (in-
» quit) conſilio, ratione, ſententia: quæ niſi eſſent in ſenibus, non ſum-
» mum conſilium maiores noſtri appellaſſent Senatum. Apud Lacæ-
» demonios quidem ii qui ampliſſimum Magiſtratum gerũt, vt ſunt,
» ſic etiam appellãtur Senes. Quòd ſi legere & audire voletis externa,
» maximas Reſpub. ab adoleſcẽtibus labefactatas, à ſenibus ſuſtẽtatas
» & reſtitutas reperietis. Cedo quî veſtram Remp. tãtam amiſiſtis tam
» cito? Sic enim percontanti, vt eſt in Næuii Poëtæ ludo, reſponden-
» tur & alia, & hæc in primis, Prouenieb ant oratores (aut, vt alii legunt,
» prouehebantur ad res) noui, ſtulti, adoleſcentuli. Temeritas eſt, vi-
» delicet, florentis ætatis, prudentia ſenectutis. Et dicebat Greg. Naz.
» πολλὴν ἐμπειρίαν τῷ χρόνῳ συνελέξαμεν, ἐξ ἧς σοφία γίνεται.

II.

Curialis muneris cãdidato non obſtare, quòd in prolytarum claſſem relatus non ſit.

LVDOVICVS XI. Curiæ reſcripſit, Malzaldo, quòd neutrius Iuris rude donatus eſſet, nihil obeſſe, quin Ampliſſimo Ordini adſcriberetur: & ita factum eſt, Cal. Febr. M. CCCC. LXIII. Cuius exempli autoritatem nihil labefactare videtur, quòd rem nominatim à Principe iuſſam addiderunt. Erat enim Malzaldus (vt ſatis eſt cõiicere) vir alioqui ad iudicia factus, ipſíque Principi probatiſſimus. Principi (inquam) literarum non experti, acri ingenio prædito, prudenti rerum æſtimatori, hominum delectum perſpicacem habenti, eorúmque, quos delegiſſet, aucupi mirifico: & cui Franciſcus Valeſius primus, bonarum literarum inſtaurator, regnandi peritiſſimus, accepto ferre ſolebat, quòd ab eo Franciæ Reges ex ephebis in viros trãſcripti fuiſſent. Nec me mouet, quòd is ſuæ ſententiæ eſſe, & multa pro arbitrio, ſummo imperio legibúſque ſoluto agere diceretur. Nã & publicis tabulis compertum habemus, eum id temporis alia & leuiora & grauiora iuſſiſſe multa, quibus, pro Caſſiana illa integritate, non eſt obtemperatum. Sed finge nihil iuſſiſſe Principem. Quid refert eum, qui alioqui ſit idoneus, eſſe, vel non eſſe doctorẽ deſignatum? Extiterunt, noſtra quoque ætate, qui nihil omnino præſtarent

earum diſciplinarum, quarum à ſe perluſtratarum coëmpta circunferebant elogia. Fuere etiam, qui nullo à ſe (quem vocant) conſcenſo gradu, alios de gradibus omnibus, quos illi ſe tranſcendiſſe gloriabantur, deiicerent. Non eſt igitur (mea quidem ſententia) quominus exemplum id appellemus, neque quo ei quicquam detrahamus autoritatis.

III.

In Curialis muneris candidato vſum fori requiri.

VT Legibus XII. Tab. latis (quemadmodum Pomponius refert) cœpit interpretatio deſyderare Prudentum autoritatem, neceſſariámque diſputationẽ fori: quæ diſputatio, quod ius, ſine ſcripto veniens, compoſitum à Prudentibus, non propria parte aliqua, vt cæteræ iuris partes, ſed communi nomine ius ciuile appellatum eſt: ita etiam nũc, poſt ius ciuile, contra Iuſtiniani Auguſti ſanctionem, innumeris propè voluminibus, illuſtratum dicam, an obtenebratum? ipſum, ſiue conſulendo, ſiue orando, ſiue iudicando, tractantibus, vſum fori neceſſariũ eſſe, nemo, niſi eius diſciplinæ penitus expers, vnquam iuerit inficias. Non eſt enim idem omnium ætatum ſenſus: ſemper aliquid obrepit noui, quod paulatim, tacito conſenſu moribus & conſuetudine introducitur: ſemper eſt aliquid, quod te, non ſcriptæ leges, non gloſſemata, non conſilia (quæ vocant) non commentarii, ſed res ipſæ factáque doceant: vt eam artẽ neque inter θεωρητικὰς, neque inter πρακτικὰς rectè cõnumeres, ſed ea vtriuſque facultatis particeps, tertium quendam ſibi vindicet locum. Extat in eam ferè ſentẽtiam grauiſſimum Curiæ decretum, quod factum eſt Prid. Calend. Iun. M.CCCC.XLVII: Lartinium Conſcripti munere à Principe donatum, alioqui (vt credere eſt) ſatis idoneum, non antè in Curiam admittendum, quàm foro magis aſſueuiſſet.

IIII.

Patrem & filiũ, ſocerum & generum, nõnulloſque alios, eidem Curiæ claſſi non adſcribendos.

SVSQVE déque ferri potuit, quòd attinet ad Ordinem Ampliſſ. gratiam fieri legis, quam Ludouicus XII, Pater patriæ tulit, de patre & filio ac fratribus eidem Curiæ non conſcribendis. Etenim qui nũc in ſex, iam tum erat quatuor in decurias diſtributus: in quibus licuit huiuſmodi Conſcriptos, alios ſeorſum ab aliis collocari, atque ita eos non vſquequaque incommodè ſuo munere defungi. Sed verò ipſos vna eadémque in claſſe, decuriáve operá nauare, ſemper aliquid præ

ſe tulit, quod propter eam, quam de magiſtratibus animo concipere debemus, opinionem, coniecturæ potius relinqui, quàm literis mandari velim. Quamobrem XVI. Calend. Auguſt. M. D. LI. factum eſt Curiæ conſultum, ne amplius cum patre filium, cum ſocero generum, fratres, bellos (quos vocant) fratres, nepotem denique cum eo, quem ex auunculo, *oncle*, mihi vulgus formaſſe videtur, eidem claſſi adſcribere liceret. v'tque qui ſic erant aut cognatione aut affinitate claſſéque coniuncti, alterius eorum, aliam ad claſſem trãſlatione ſeiungerentur: ita tamen, vt in antiquioris eſſet arbitrio, vel in ſua claſſe manere, vel tranſire ad aliam. De auo & nepote nec lege nec conſulto cautum eſt quidquam, ea fortaſſe de cauſa, quòd vix vnquam
„ euenire poſſe crederetur: & iura (vt poſt Theophraſtum dixit Pom-
„ ponius) conſtitui oporteat, in iis quæ ἐπὶ τὸ πλεῖστον accidunt, non quæ
„ ἐκ παραλόγου. Sed ſi cõtingeret, equidẽ putarem eos & legis & conſulti ratione contineri. Nam præterquam quòd auus & nepos recta ſunt in linea, hic inferiore, ille ſuperiore: auunculus & nepos (qui cõſulto nominantur) in tranſuerſa: vt ab auo nepos ex filio tertius eſt, ita & ab auunculo ex ſorore nepos, tametſi non eodem iure, ideóque facta (vt inquit Feſtus) vocabuli deminutione. quin & auũculus, dum ſororis filium proximitate tuetur, auum imitatur & quodammodo locum eius obtinet. Quod ſi tibi, Lector, rationem habere videbitur: conſequens erit, vt patre & filio, ſiue iuſto ac legitimo, ſiue adoptiuo, cum ſocero & genero collatis: auo & nepote ex filio, cum auunculo & nepote ex ſorore: idẽ de ſocero magno & progenero, atque etiam de vitrico & priuigno priuignæque marito cõſtituamus: cùm ii quoque inter ſe, affinitatis cauſa, parentum liberorúmque loco habeantur. Fratrum autem alii ſunt per matrem, qui Græcis μητράδελφοι, ἢ ἀγάστορες, nobis vterini: aut per patrem, quos illi ὁμοπάτορας, nos conſanguineos: aut per vtrunque, quos illi αὐταδέλφους, id eſt, ex vtroque parente eodem, nos germanos appellamus. Bellorum verò fratrum (quandoquidem eos ab aliis, hoc blandiẽdi adiectiuo iam olim vulgo diſtinguere libuit) ratio ſic ſeſe habet. Si ego ſororem tuam vxorem duxi, tu mihi γυνάδελφος (modò ne vocabulum nouè compoſitum eſſe videatur) hoc eſt vxoris, vel per vxorẽ frater: ego tibi ἀδελφικὸς, ſororius. Et è cõtrario, ſi tu ſororem meam vxorem duxeris, ſum

tibi γνωάδελφος: tu mihi ſororius. Sunt & alii, quos Græca quidem voce, ſed Latina donata colonia, vocant æelios, hoc eſt, quibus duæ nupſerint ſorores. Et quanquam ea omnia, fratrum, bellorúmque fratrum diuerſa ſunt genera: quia tamen conſulto, quod tractamus, nihil diſtinguitur, eos omnes illo comprehenſos eſſe, neminem exiſtimo dubitaturum: ſicuti nec de nepote, ſiue ex fratre, ſiue ſit ex ſorore: cùm, vt Græcis θεῖος, patruum & auúculum, ita & noſtro Gallorum idiomate, *oncle*, vtrunque complectitur. Sed verò de neptis viro quid dicemus? Et propter cōiunctam ex nuptiis affinitatem, eum etiam putó comprehendi.

V.

VLP. lib. VI. ad edictum, de cæco diſſerens, an & magiſtratus gerere poſſet, deliberationem ita concludit. Melius eſt (inquit) vt dicamus, retinere quidē iam acceptum magiſtratum poſſe: aſpirare autem ad nouum penitus prohiberi. Quam ſentētiam, & Burgundionis ſtudium, ea tum apud nos autoritate præditi, vt Langeacū in Cōſcripti demortui locum, ſufficiendum Curiæ proderet, ita temperari placuit, vt ſufficeretur quidem, ſed magiſtratus functione abſtineret, donec viſum recepiſſet. XII. Cal. Decemb. M. CCCC. XXXVII. *Cæcum Curiæ adſcribi poſſe, ſed munere nō fungi, niſi recepto lumine.*

VI.

PROFANVM neminem ad initiati Conſcripti munus eſſe admittendum. IX. Cal. Maii anno M. CCCC. LXXXVI. poſt Martinalia. *Initiato, initiatus, non alius, ſubſtituendus.*

VII.

COMPANIVM, tametſi profanum, in Conſcripti initiati munus admitti placuit. XV. Calend. Septemb. M. CCCC. LXXXIX. *Profanus in Cōſcripti initiati munus admiſſus.*

VIII.

EXTRA numerum munere donatum, interea dum iuſtum ac legitimum munus obueniret, admitti placuit. VI. Calend. Decembr. M. CCCC. LXIII. *In Cōſcripti munus, extra ordinem admiſſus, ordinarium præſtolaturus.*

IX.

SVMMAE integritati, quæ in primis iudicem vel maximè decet, tuendæ ac conſeruādæ, & partibus iudicis omnibus perſtrenuè obeundis, momentum affert, nec certè minimum, cùm nullius recipere res gerēdas, tum etiam nemini, præſertim potenti vel gratioſo, eſſe obnoxium. Et hinc facilè mihi perſuaſerim fluxiſſe cōſultum, quod *Curiæ Conſcriptū, Antiſtitis, ad ſacerdotia conferenda, vicarium eſſe nō debere.*

factũ eſt, VI. Calend. Maias, M. D. XIIII. PLACERE nequis Conſcriptorum, Antiſtiti cuiquã, vicariam ſacerdotiis attribuendis operam daret. Conſultum ſanè quàm grauiſſimum, & priſcam valde redolẽs Ordinis Ampliſſ. ſeueritatem.

X.

Acerrimus litiũ ab inſpectoribus conficiendarum ſtimulus.

LITIS inſpectore deſignato, non antè aliam eidem attributum, nec antè dicaſtica ſolutum iri, quàm aliam ipſe confeciſſet. XII. Cal. Decembr. M. CCCC. XXXVII. Nunc autem lites, nec infrequenti ſortitione, in tantum cumulum, aliæ ſuper alias eôdem congeruntur, vt ſeculum citius fortaſſe credideris exiturum, quàm cumulo ad aream redacto, ipſa cumuli ſtrage, locus repurgari poſſit.

XI.

Conſcripto profectionẽ ſuſcipiẽte, litium inſtrumenta ab eo eſſe relinquenda.

CONSCRIPTVM peregrè proficiſcentẽ, litium inſtrumenta quæ habet, pro iuriſiurandi, quo ſe obſtrinxit, religione, relinquere, & iis omnibus fidem ſuam liberare teneri. V. Non. Mart. M. CCCC. XLI. quod & lege poſtea lata, à Principe conſtitutum eſt.

XII.

Conſcripto ægrotanti ſtipedium numerari.

EIVS temporis, quo ægrotauerat, ſua Cõſcripto nihilominus ſtipendia permiſſa. XVI. Cal. Iul. M. CCCC. XIX.

XIII.

Cõſcriptum, legitimo impedimento, à muniis auocatum, ſtipẽdium capere.

BELLOFAYO, Conſcripto, tametſi munia non obiuiſſet, ſtipendia numerari placuit. AEquum enim & bonum eſſe, rationem haberi eius, qui munia obiturus erat, ſi per morbũ, aliúdue legitimum impedimentum licuiſſet. IX. Cal. Octob. M. CCCC. LXXXVIII.

XIIII.

In Curialiũ prouinciarũ ſortitione, morbo laborantis habendam eſſe rationem.

IIII. Id. Sept. M. D. VII. cùm de Curialium peregrè inquirendi aliúdue agendi prouinciarum ſortitione ageretur: tractatum eſt, an Præſidis, tum morbo impediti, rationẽ haberi liceret. ET placuit nihil obeſſe morbum, quin eo laborans perinde atque incolumis ſortiretur. Ex aduerſa quippe valetudine ſperari oportere eũ emerſurum in tempore. Quòd ſi diutius morbo retineretur, promptum fore, vt eius in locum alius aliquis ſufficeretur.

XV.

Eundẽ Curiæ & Prætoriano cõſilio cõſcribi nõ poſſe.

CONSCRIPTI Curiæ munus, quòd in Prætorianum Conſilium cooptatus, eum honorem iniuiſſet, in caduci cauſam ceſſiſſe placuit.

Illud enim iugis ac perpetuæ functionis eſſe, niſi fortè bimeſtribus feriis abeſſe licuerit: & Prætorianis, ſuum cuique munus, alternis ſex menſibus etiam obeundum. XIIII. Cal. Aug. M. CCCC. XX.

XVI.

CVRIAE Conſcriptum decreti Curialis exequutorem, ſi ab eo prouocetur, nihilominus pergere placuit: nec, vt quemlibet alium, morari, vt illi rurſus decretum exequi iubeatur. XI. Calend. Iul. M. CCCC. XCIX.

Curiæ Cōſcriptum, Curiale decretū exequentem, ſi appelletur, iterationem mādati non opperiri.

De ordine ſedendi, Tit. VI.

I.

TRANQVILLITATIS amanti, ſimul atque magiſtratum inierit, de ipſius dignitate pati controuerſiam, meo iudicio, nihil planè minus eſt, quàm in portu (quod dicitur) impingere. Candidatis duobus, altero Belleſſorio, altero Tremoletio, in Ampliſſ. Ordinē vno die relatis, ſtatim concertatum eſt, quis eorum prior habendus eſſet. Dicebat Tremoletius ante Belleſſorium à Principe ſe deſignatum: deſignationis codicillos ipſi ordini priores fuiſſe oblatos. Hoc (inquiebat alius) vti re vera eſt, ita etiam tibi, Tremoleti, libēter agnoſco. Sed verò ſiue forte fortuna, ſiue ex cōpoſito, priori mihi ſacramēto dicere contigit. BELLESSORIVM ſacramenti dictione priorē, tametſi deſignatione, codicillorúmque oblatione poſteriorē, primas obtinere placuit. Eò enim rem omnem oportere referri.

Curialis ſacramenti dictionem, nō Cōſcripti deſignationem codicillorúmque oblationem ſpectari.

II.

QVI profanus initiati Conſcripti munus obiuerat, aliquo pòſt tēpore, profani munere donatus eſt. Venit in controuerſiam, an vt muneris, ita & numeri mutatio facta eſſe diceretur. ET muneris commutatione, numerum non amitti placuit: aliter enim τὸ πρέπον obſeruari non poſſe.

Curialiū munerū, initiati & profani, cōmutatione, numerū non amitti.

III.

GIBOO, Curiæ Conſcripto, furere incipiente, ne, tantiſper dum ille priſtinæ incolumitati redderetur, ſuo, in muneribus obeundis, Curia numero non cōſtaret, adſcripſere Vallinum: qui aliquó pòſt tempore, ex adſcriptitio, iuſtus ac legitimus effectus eſt. Cùm autem in Calamuli locum, ad Primanorum claſſem, aliquis ex claſſibus inqui-

Curiæ Conſcriptum, ex aſcriptitio iuſtum ac legitimū factū, numerū retinere.

ſitoriis promouendus eſſet: inter Palearduum & Vallinum incidit controuerſia, vter vtrum anteuerteret. Dicebat Palearduus ſe, iuſta ac legitima conſcriptione, Vallino priorem eſſe, atque adeò potiorẽ. Defendebat Vallinus, ſe, vtcunque antè munus obiuiſſe, próque magiſtratu geſſiſſe: & rem, non ad conſcriptionis, ſed adſcriptionis tempus eſſe referendam. VALLINVM Paleardúo placuit anteferri. Pridie Calend. Aug. M. CCCC. V.

IIII.

Inquiſitionũ Præſidẽ, ſuæ decuriæ Con ſcripto, vbicũque in Curia præferri.

AB inquiſitoria claſſe, cuius Iacobus Bulardus tum Ductor erat, Gulielmo Gyo primùm, deinde ipſo etiam Bulardo, ad maius tribunal aſcito, ambigi cœptum eſt, quis eorum antiquiore loco ſederet. Cauſabatur Gyus, non modò ſe iſtuc priorem vocatum, ſed etiam in Ampliſſimum Ordinem, ante Bulardum, toto decẽnio cooptatũ. È diuerſo Bulardus, ineptiſſimũ ac ridiculum fore, ſi ductus ductorẽ anteuerteret, quaſíque duceret. PRO vniuerſæ Curiæ ſentẽtia placuit, decoro ſeruiendũ eſſe. IIII. Cal. Iun. M. CCCC. XXIII.

V.

Seſſionis ordinem, non à cooptationis tempore, ſed à functionis initio eſſe repetendum.

EIVRATO à Larcherio patre, in filii gratiam, vectigalium XIIIIviratu, & eo magiſtratu, tam patri quàm filio, eorúmque ſuperſtiti, à Principe rurſus dato: filius, ſolenni iureiurando adactus, in eius Curiæ collegium cooptatus eſt. Cùm autẽ pater, quem de duobus munia obire conuenerat, vacationẽ poſtularet: inter filium, & poſt eum cooptatos diſceptatũ eſt, íſne illos, an eum illi, ſeſſione præuerterent. Dicebat is, ſe illos, vt creatione ac cooptatione præceſſerat, ita & ſeſſione antecedere debere. Ab illis è diuerſo proponebatur, aliud, reapſe Imperatorem, Conſulem, Quæſtorẽ eſſe: aliud, non niſi deſignatũ. Se, ſuo munere, ex quo Conſcripti fuiſſent, perpetuò eſſe functos. Patre, commune ſibi cum filio munus obeunte, filium interea temporis veluti priuatum agere. Patrem & filium, vni magiſtratui, nullam aliã ob cauſam fuiſſe adſcriptos, quàm ne patre diem ſuum obeunte, magiſtratũ filius nõ caperet: aut, ſi turbato ordine mortalitatis, patrẽ filius anteuerteret, muneris ſimul & filii, pater iacturã facere nõ cogeretur. Satis eſſe debere, rebus eorũ ita proſpectũ eſſe, vt ne malo malũ cõduplicaretur. PLACVIT ſeſſionis ordinẽ, nõ à cooptationis tẽpore, ſed à functionis initio eſſe repetendum, VII. Id. Iul. M. D. LI.

De iis qui præter Conſcriptos in CVRIAM ADMITTVNTVR, TIT. VII.

I.

AD III. Calend. Maii, M. CCCC. II, decretum eſt, Hetæriarchos ad conſeſſum, in Curiæ orcheſtra, non amplius eſſe admittendos. Quod à conſtitutione Philippi, cognomento Longi, fluxiſſe facilè coniicitur: qua (vt inquit Budæus) cùm religio Principibus inceſſiſſet, diſtineri Antiſtites munere iudicandi, quo minus liberè diuino cultui vacarent: exacti ſunt à Curia, & ad diuinum obſequium ablegati, præter vnicum Abbatem diui Dionyſii: cautúmque ne vltrà in Curiam aſciſcerentur: tametſi ille idem in Forenſibus, honorariorum Curiæ Conſiliariorum mentionem faciens, exempli cauſa, Pontificem etiam nominet Pariſienſem: & ii ambo hodie eo potiantur honore.

Hetæriarchos, vel, ſi mauis, Abbates, præter Dionyſianū, in Curiæ orcheſtram nō admitti.

II.

PONTIFICIBVS, non niſi Patriciis, aut à dignitate hunc honorem habentibus (puta Antiſtiti Lutetiano, & Hetæriarcho Dionyſiano) conſiliariis diebus, in Curia ſedendi ius eſſe. IIII. Cal. Maii. M. CCCC. LXIII.

Pontificibus, in genere, cōſiliariis diebus, in Curia ſedendi ius non eſſe.

III.

ΘΑΛΑΣΣΙΑΡΧΙ'Α, quā Latinè maris Præfecturā, vulgò Amyralitatē appellamus, ἀπὸ τῆς (niſi fallor) ἁλμυρίδος, hoc eſt, ſalſugine, vel re maritima, voce (vt quidā exiſtimant) Gallis cum Græcis Mauríſque communi: quanquam dignitate, amplitudine, compēdio, inter ſummos magiſtratus connumeratur, nec cuiquā, niſi ex primi faſtus aulicis, attribui ſolet: Præfectus tamen in orcheſtra Curiæ ſedendi ius non habet. Quod prid. Id. Ian. M. D. LII, cùm Gaſpardus Collignius Caſtillionius, Magiſtri militum, Annæ, Mommorantiani Ducis & Patricii, ex ſorore nepos, hocce magiſtratu donatus, more maiorum, ſacramento dixiſſet: Egidius Magiſter, Curiæ Princeps, priſca grauitate, ipſius Ordinis verbis apertè declarauit. Sic enim ait, Quòd de ſeſſione tibi Thalaſſiarcho non licet, eidem Proregi, ac Lutetiæ inſulæque Francicæ Præſidi licet. Tu ergo vt is, non vt ille, orcheſtram conſcendito, ſi voles, ac ſedeto.

Præfecto maris, in Curia ſedendi ius non eſſe.

Proregi, ac Lutetiæ inſulæque Francicæ Præſidi, in Curia ſedere licere.

IIII.

Curiæ Cõscripto, Pontifici creato, ob egregiè nauatam antea operã, ius indultũ sedendi dicẽdíque sententiam.

QVOD Biturigum Archiepiscopus, antea Curiæ Cõscriptus, multos annos, hoc suum strenuè munus obiuisset: IX. Calend. Iul. M. CCCC. XCV, ei potestatẽ fieri placuit, consiliariis diebus, ipsa in Curia non sedendi modò, verumetiam, vt Conscriptorum cuilibet, dicendi sententiam. Magnum, me hercule, virtutis incentiuum, virtuti ac meritis tribuere, quod si negaueris, id iure facias: tantùm abest, vt inferas iniuriam.

V.

Aliarum Curiarum Præsides, quo loco in nostra sedeant.

ALVETIO, summæ Curiæ Tolosanæ Curioni, nostra in Curia, locum, tam oratoriis, quàm consultoriis diebus, tantisper dum illi Lutetiæ agendum esset, postulanti, Rege id se quoque velle denuntiante, responderunt, PLACERE, vt cum profanis, loco secundum Principes Curiæ honoratissimo, nisi fortè Patriciorum Pontificúmue aliqui adessent, ille sederet. IX. Calẽd. Maii, anno M. CCCC. LXIII. post Martinalia. Nunc autem si quis eius generis magistratus apud nos peregrinetur, & in Curiá veniat, loco post nostrates Quatuorprimos sedet antiquiore.

VI.

Cluniacensi Hetæriarcho, ob generis claritatem ac dignitatis amplitudinẽ, in Curia sedere permissum.

NON vsqueadeò morosè constituta fuit ratio eorum, quibus, oratoriis diebus, in Curia sedendi ius esset, quin aliquibus, quandoque aliquid indulgeretur. Nam III. Calend. Feb. M. CCCC. LXXXII. cùm Cluniacensis Hetæriarchus in Curiam venisset: generis eius ac dignitatis, qua non modò cœnobio, sed & toti Cluniacensiũ familiæ præerat, rationem habuerunt.

VII.

Legati, Curialis sessionis honore affecti.

ET Austriæ Ducis legatos eo sessionis honore affici placuit. III. Non. Febr. anno illo M. CCCC. LXXXII.

De libellaribus ad Basilicam Recuperatoribus, TIT. VIII.

I.

Ius fori ad Basilicã libellaris, quàm sit eximium.

IVS fori ad Basilicã Recuperatorii, ita est eximium, vt viatoribus, verbis ex diplomate Regiis, causarum ad Recuperatores translationem imperãtibus, actutum iudices parere habeant: & iis vel negan-

tibus, vel detrectantibus, viatores ipsi pro potestate transferant: nullo trãslatiuæ, si qua erit, controuersiæ, ab iisdem Recuperatoribus disceptandæ, præiudicio. Quam in sententiã extat Curiæ decretum, quod factum est VIII. Id. Iul. M. CCC. LXVIII.

II.

APVD Ampliss. Ordinem, Basilicani Recuperatores, Legatum rerum priuatarum Lutetiæ iudicem, & Martinum Dulæum quendam postulauerant, quòd is apparitori, causæ translationem imperanti, assultasset: ille verò eam ipsam, quasi ius dicens, translationem pernegasset. PRID. Calend. April. M. CCC. LXXXIX. placuit à Legato iudice perperam esse factum, causámque à se ad Recuperatores relegatam oportuisse, existimaturos an ea transferri debuisset: quod vt facerent, hæc ad eos est relegata. Quòd autem ad Martinum attinebat, ipse suæ illius assultationis vituperatus est, aut, si propius ad placiti verbum mauis accedere, ἐβλασφημήθη, admonitúsque in posterum vt temperaret: alioqui culpam, aliæ consimili, quam aliquando ab Ampliss. Ordine ille deprecatus fuisset, ipsum Ordinem esse additurum. Quod placitum, verba de verbis, huc & libentius transtulimus & religiosius, tum quòd ea de translationum cognitione, nihil apertius dici potest: tum quòd illa increpatio, præclarum mihi esse visum est priscæ grauitatis ac seueritatis monumentum. Libellares ad Basilicã Recuperatores, translationũ, quæ ad se fiunt, esse disceptatores.

III.

LEGATO rerum priuatarum Lutetiæ iudici (quod & de aliis palàm est intelligi debere) nec ius, nec fas, sed è contrario vetitum esse placuit, libellarium ad Basilicam Recuperatorum apparitorem, iure codicillorum eximio, causam à se ad Recuperatores transferentem, prehendi ac duci iubere. Hoc enim ad edictum nihil pertinere, quo magistratibus, secundũ ius potestatis suæ, concessum est, iurisdictionem suã, pœnali iudicio, vtpote multæ irrogatione, aut etiam carceris coërcitione, defendere. Et, si Prætor in Prætorẽ, Consul in Consulẽ, nullum habet imperiũ: túne tuum inhibebis, cùm non modò par, sed & maior potestas intercedit? sunt enim Recuperatores etiam huiusmodi translationum iudices, recténe an perperam factæ sint, & ex eorum genere, quos à Principe delegatos, atque adeò omni ordinario maiores appellamus. III. Non. Maii, M. CCCC. XCVII. Apparitorẽ, causam ad libellares Basilicæ Recuperatores trãsferentem, prehendi ac duci vetitum.

IIII.

Prætoriani consilii Conscriptos, iure forensiũ codicillorũ vti.

ETIAM consilii Prætoriani Conscriptos, iure forensium codicillorum vti posse. VIII. Id. Sept. M. CCCC. XLI.

V.

A libellarib' Basilicæ Recuperatoribus, ad libellis Prætorii Præfectos, litem nõ transferri.

GOYETVS, apud Præfectum vrbi Regis Causidicus, eo nomine, iure codicillorum eximio præditus, Forgetum, Regium Amanuensem, ad libellares Basilicæ Recuperatores in ius vocat. Præscribit Forgetus Aulici famulitii priuilegium, & litem ad libellis Prætorii Præfectos trãsferri postulat. Respondet Goyetus, Forgeto vtriusque fori priuilegium habente, eligere se posse, in quo ius reddi malit: non secus atque si rem vindicaturus es, in optione tua est, quem iudicem adeas, personæ vel rei. Forgetus petita translatione summotus prouocauit. PRONVNTIATVM est non liquere: nihilominus tamen, in speciem vindiciarum, Basilicanorum Recuperatorum cognitionem fore: queadmodum ante annos sexaginta fuisse factum, prolata compertum est autoritate. VII. Cal. Mart. M. D. L.

VI.

Qui Actuariorum Curiæ amanuẽses iure forẽsium codicillorum sint præditi.

CVRIAE Actuarios, quæ sunt officia publica, certum est omnia sua munia per se obire non posse: ideóque necesse eos habere, multorum amanuensium opera vti. Sed quòd huius, istius, illius amanuenses, quíque cuiusque muneri strenuè fungendo incumbunt, eodémne omnes numero priuilegióque esse debent? Ecquis Cornutiũ & literis ornatum & summa excipiendi solertia præditum, cuíque (vt inquit Martialis) currant verba licet, manus est velocior illis? quis Messem? quis (vt vno verbo dicam) alios nobilioribus functionibus attributos, meris scripturariis componi sustineat? ET DE iure forensium codicillorum eximio (quod vulgò *Committimus* appellant) disceptantibus, an omnibus ex æquo tribuendum esset: PLACVIT, vt quatuor, ex principis Actuarii amanuensibus: ex rerum capitaliũ, duobus: ex causarum Isagogici, vni, non pluribus irrogaretur. XIX. Calend. Ian. M. CCCC. XCVIII.

VII.

Hanc formulam, Ne ad pascua, quæ mea esse aio, eas, pecoráve

F. Tremollius Sullianus, Villemuruinæ, Cerdonis & Idæ vicanis, apud libellares ad Basilicã Recuperatores, hanc formulam intendit. Peto vicanis interdici, ne in posterum ad pascua, quæ apud eos mea

ſunt, eant, pecoráue paſtum ducant, néue quidquam illic pro ſuo iure agant. Quæſitum eſt, an eius rei, Recuperatorum iuriſdictio eſſet, quòd in rem actio eſſe, ideóque eorum poteſtatem effugere videretur. Chartarius reſpondit, ſecundum ea quæ proponerētur, eſſe poſſe. Dicebam, in rem actionis parteis eſſe duas. Primã ac præcipuam, & quæ ipſum iudicem maximè ſpectet, rem, petitoris eſſe pronuntiari, quam iuris vel dominii declarationem appellant. Secundam, quæ defenſori prorſus incumbat, nempe rei ipſius reſtitutionem : à qua non multùm hæc formula diſſideret, alterámque partem alteri, nec admodum latēter, ineſſe. Enimuero petita iuris vel dominii declaratione, rei reſtitutionem tacitè petitam videri : & è contrario, ſi reſtitutio petatur, etiam declarationem tacitè petitam intelligi. Itaque tametſi fortaſſe non verborum conceptione, mente tamen, & (quod Græci dicunt) τῇ δυνάμει, in rem eſſe actionem. Chartarius contrà, quibus verbis actio concepta eſſet, ſummopere conſyderandum. Eum qui ageret, non expreſſè petere, rem, ſuam eſſe iudicari. Quod ille interdictum vellet, à poſſeſſionis iudicio non abhorrere, & ad recuperatoriam iuriſdictionem non poſſe non aliquatenus accommodari. Ipſi etiam Ordini Ampliſſimo, ante aliquot annos, aliter placuiſſe quidem; ſed re ſub incudem reuocata, quod placuerat, diſplicuiſſe, vetitúmque fuiſſe, ne à Scribarum officio emitteretur. Quibus argumentis (vt ille aiebat) Recuperatores non modò huius generis actiones, verumetiam & confeſſorias & negatorias, de rebus incorporalibus proditas, quibuſcunque verbis conceptas, quaſi ſuo iure ſibi vindicarunt: & nos veram Chartarii, Scæuolæ noſtri, ſententiam exiſtimantes, quòd etiam Ordinis Ampliſſimi autoritate niteretur, huc cenſuimus eſſe referendam.

paſtũ ducas, néve quicquã illic pro tuo iure agas, à poſſeſſionis iudicio non abhorrere.

Actiones & confeſſorias & negatorias, de rebus incorporalibus proditas, quibuſcũque verbis cõceptas, fori ad Baſilicã Recuperatorii eſſe poſſe.

VIII.

SPORTVLIS iudicialibus libellarium ad Baſilicam Recuperatorum hunc modũ conſtitui placuit: vt quarũ litium, agnatarúmue liticularũ iudicandi gratia, nemo eorũ inſtrumẽtum ſeparatim diſpexiſſet, ac ſigillatim percẽſuiſſet, ab earum ſportulis in poſterum eſſet temperandum. Quòd ſi quis cauſam, liticulámue commentatus ex breuiario exponeret: ei vni ſportulas æſtimatum iri, nulli aliorum communicãdas. Quo nomine, Curiæ Cõſcriptis, qui hæc diſceptarãt

Sportulæ libellarium ad Baſilicã Recuperatorũ conſtitutæ.

ac conſtituerant, vicies milleni Pariſiorum aſſes, à Regia liberalitate, in tragemata numerati fuere. Calend. Aug. M. CCCC. XCIII.

De Regiæ procurationis Triumuiris, TIT. IX.

I.

Priuilegio Curiæ irrogato, Regiæ procurationis Triumuiros cõtineri.

PRIVILEGIVM Curiæ irrogatum, Regiæ procurationis Triumuiros an complecteretur, addubitatum eſt. Neque enim orcheſtram Curialem conſcendunt, neque quicquam pro imperio ac poteſtate decernunt: ſed in ſubſelliis ſedẽt, & ſi quid orandum eſt, ex inferiore loco ac ſtantes id faciunt, aperto per initia capite, quoad ei, qui faſces habet, fuerit viſum. PLACVIT tamen eos comprehendi. Eſſe enim veluti quoddam Curiæ additamentum, quaſique corolarium. XI. Calend. April. M. CCCC. XVI.

II.

Inter duos Regis Aduocatos, Procuratorem medium ſedere.

TRIVMVIRATVM actionum Principis populique, vno Cognitore ac duobus Cauſidicis conſtare, peruagatum eſt. Sed non abs re quondam venit in controuerſiam, quo inter ſe quenque loco eſſe oporteret. Si quidẽ vtrunque munus vno eodémque numero habueris, facilè dicas eum, qui magiſtratum primus inierit, vt tẽpore priorem, ita & ſeſſionis honore potiorem. Si verò altrinſecus ea componas, & rationem inieris, quãtum vnum, per ſe, alterum antecellat: dubio procul Oratorem, Cauſidicúmue Cognitori prætuleris. Si rurſus ſpectes Cognitorem, Cauſidicos, magiſtratus ſui collegas ſic habere à conſiliis & cauſarum actionibus, vt tamen penes eum ſint auſpicia Triumuiratus, quaſi apud choragum (vt inquit Budæus noſter) ſuo ſi iure vti velit: vix, aut ne vix quidem, grauaberis eum Cauſidicis anteponere. Si denique tecum ipſe reputes, triplicis magiſtratus vnitatẽ, & (vt ille idem ait) treis ſenſus & menteis, ingenio, doctrina, moribus interdum longè diſſimiles, velut in Geryonem coëuntes: libenter omneis vna eadémque ſede locóue, ſi poſſis, comprehenderis. Quæ omnia ab Ampliſſimo Ordine, pro ſua illa ſumma prudentia, ita temperata ſunt, vt vix quicquam melius vnquã. Inter enim Cauſidicos, alterum initiatum, alterum profanum, Cognitorem medium, ſedere placuit. XVI. Cal. Decembr. M. CCCC. LXXXIIII.

III.

DVOBVS Regiis Causidicis, tertium addi non est refragatum. x. Cal. Martii. M. CCCC. LXV. Tertius Regis Aduocatus.

IIII.

OLEARIVM, Regis, extra ordinē, Causidicum admiserunt. III. Id. Martii. M. CCCC. LXXI. Idem.

V.

OLEARIO, Regio Causidico, munere cum vita defuncto, huiusmodi munus, quod extra ordinem creatum esset, antiquari placuit. Cal. Septembr. M. CCCC. XCII. Sed pridie Cal. Mart. insequentis à Principe recreatum est. Idem.

VI.

VT Regio Cognitori subcognitorē, ita & Causidico subcausidicū dare licere. Itaque à Regio Causidico suffectū admitti, & suffectionis tabulas in acta publica referri placuit. Id. Decēb. M. CCCC. LIII. Regio Aduocato vicariū dare licere.

VII.

CVM Iohannes Barbinus, Regis Causidicus, id sibi arrogaret, vt, dum vellet, Curiæ secretarium ingrederetur, & sententiam diceret: III. Cal. Iun. M. CCCC. LV. factum est Curiæ consultum, Regio neque Causidico, neque Cognitori aditus penetrandi, neque dicendæ sententiæ ius esse. Cæterùm si quid Curiam volent, per apparitorem (vt moris erat) denuntiarent. Regio neque Aduocato, neque Procuratori ius esse, Curiā penetrandi, dicendique sententiam.

VIII.

REGIAE aduocationis in Curia Triumuiro, priuatis cōsultoribus operam dare, & ab alio quàm Rege stipendia, autoramēta, congiaria auferre non licere, constitutum est, IX. Cal. Mart. M. CCCC. XXI, in persona Iohannis Rappoi, in id magistratus eo die cooptati, quadringenties vicenis assibus, annuo autoramento cōtributis: cùm antea Præsidem biēnium, Senonensis prouinciæ Præfectum aliquandiu egisset. Ius mediussidius perpetuò summa religione obseruandum: sed quod nostra ætate, nonnullorum cupiditate violatum est, ac tandem Numinis beneuolentia redintegratum. Regis Aduocato, priuatis operam dare non licere.

IX.

REGIO ad summam Curiam Causidico, ob editas à se, Regia in causa, contradictorū dissolutiones, Regiíque instrumenti confirma- RegioAduocato, ob contradictorum

dissolutiones, pecunia decreta.

tiones, pecunia decreta. VIII. Id. Mart. M. CCCC. XXXV. Quod nostro seculo factum negant: sed an summa continentia & ardenti in rem Principis, populíque charitate, an propter stipendia congiariáque, tum sanè temporis exigua, nostra verò tempestate amplissima, vt quicquam præterea captare verecundum esset, non satis exploratum habeo.

De Actuariis & Amanuensibus Curiae, TIT. X.

I.

Solum Curiæ Actuariū, Graphiariū appellandum.

NVLLI Scribarum, etiam Regiorū, præter vnum Curiæ Actuarium, Graphiarii (vt vocant) nomen vsurpare licere. XI. Cal. Decēbr. M. CCCC. IIII. Nunc autem nihil ferè proculcatius.

II.

Libelli Curiæ oblati, ab Actuario recitandi ac subscribendi.

DE libellis supplicibus exponendis, placuit, eos omnes Actuario dari, & ab eo recitatis, de consessus sententia, ex tempore subscribi: præter eos, qui maturiore inspectione digni existimarentur, quos ab ipsis Conscriptis ex attributione, enarrari voluerunt. III. Cal. Ian. M. CCCC. XL.

III.

Recensendo obsignādóq; litis instrumēto Cognitores adhibēdi.

SI ab Actuario, litis instrumentum recenseri, & cum elogio obsignari oporteat, partium Cognitoribus, vt adsint, diem esse dicēdum. Cal. Decembr. M. CCCC. VIII.

IIII.

Transactarū litiū instrumenta, nisi Principis venia, & Curiæ autoritate à Scribarum officio non auferri.

LITIGATORIBVS, tametsi deciderint, nisi bona Principis venia, pactóque conuento à Curia comprobato (quod suo quasi vocabulo forenses ὁμολογεῖν appellant) litium instrumenta, ab exhedra Scribarum auferre non licere. V. Cal. Octobr. M. CCCC. XXI.

V.

Criminosa eremodicia ad scribā Isagogicū pertinere.

IN quæstionibus extra ordinē agitādis, eremodiciorū confectionem scribæ esse causarū Isagogici. IIII. Cal. Iul. M. CCCC. LXXX.

VI.

Cōmeatuū & eremodiciorū schedaria, eodē die gerēda ac regerēda.

CONSVLTVM de commeatibus & eremodiciis factū, vt eorum schedaria, diuersis diebus, scribæ causarum Isagogico traderentur, posteaquam aliquid mali cum vtilitate (vt ferè fit in rebus humanis)

tractu temporis aduexisset: Cognitoribus ipsis libello complexis ac postulantibus, ea de re, Conscripti Patres ita censuerunt. PLACERE, vno eodémq; die, vtraque schedaria geri ac regeri: ita tamen vt postquam dictus venerit dies, triduum perpetuum interiiciatur. XIX. Cal. Febr. M.D.LI.

VII.

SCRIBAM causarum Isagogicum, quanquam Regius Librarius non esset, diplomata omnia subnotare posse. XIII. Calend. Octob. M.CCCC.XVIII. — *Scribæ Isagogico non obesse, quòd Regius non sit Amanuensis.*

VIII.

ACTVARIOS, mandata Curiæ diplomatica, cùm iis subscripserint, petentibus dare, neque irrogatos ad Signatorem mittere debere. V. Id. Febr. M.CCCC.LI. — *Diplomata, quibus Actuarii subscripserint, etiã non signata, petẽtib⁹ dãda.*

IX.

SIQVA, in vrbe cõtinentibúsue, bona recognoscere oporteat, & controuertatur cuius ea sint ditionis: fiduciariam recognitionem, ad Curiæ, non Apparitores, sed Amanuenses pertinere. III. Non. Febr. M.CCCC.LXXXV. — *Qua in specie, Curiæ Amanuẽses bona recenseãt.*

De Curiæ Apparitoribus & ministris, TIT. XI.

I.

STATORIBVS, viatoribus, aliísue quibusuis apparitoribus, præter eos, quos summæ Curiæ hostiarios appellãt, id nominis sibi vindicare, ius non esse. XI. Calend. Decembr. M.CCCC.IIII. — *Curiæ apparitoribus, hostiariorũ nomẽ peculiare.*

II.

APPARITORIBVS, nõ nisi Curialibus, ναρθηκοφόροις, vel, si malis, virgiferis esse licere. AEquitati enim consentaneum esse, eos qui Ordini Amplissimo hanc nauant operam, eo potissimùm in loco, tantò aliis apparitoribus præstare, quantò ille ordo cæteris ordinibus ac magistratibus antecellit. Cal. Iun. M.CCCC.XCV. — *Soli Curiæ apparitores virgiferi.*

III.

QVOD Recuperatorum ad Basilicam libellarium apparitor & satelles, Curiæ verbis, supplici libello adscriptis, egerat, nec ius, nec ratum esse placuit: id enim Curialium apparitorum, nõ illius muneris — *Libellorum Curialiũ denũtiationem ad solos Curiæ apparitores pertinere.*

fuisse. VI. Cal. Aug. M. CCCC. LXXXIII.

IIII.

Principi Curiæ Apparitori mādatæ pocillationes.

VIX est, tanto ex hominum numero, siue Conscriptorū siue ministrorum, vt nullus vnquam, vel matutina vel pomeridiana sessione, præsertim æstate, modici alicuius cibi potúsue indigeat. Rectissimè igitur saluberriméque constitutæ sunt, quas vulgò pocillationes appellitant. Quarum prouincia, cui mandanda esset, cùm in Curia verba fecissent: eam Apparitorum Decurioni mandari placuit. VI. Cal. Mart. M. D. II. post Martinalia.

Princeps Curiæ Apparitor quādo caput aperire debeat.

V.

PRINCIPEM Apparitorē, caput, quod pileo ex aureo pāno consuto, muribus araneis pelliculato, pinna vnionibus assurgēte, alioqui opertū habebat: dum Curiā ingrederetur, aut ad eā eiúsue Ductores verba faceret, aperire debere. XV. Cal. Febr. M. CCCC LII. Quod etiā nūc obseruari videmus, & est apparitorius iste ornatus, vnum è paucis admodū vestigiis quæ restāt, priscæ illius maiestatis, qua Ampliss. Ordo spectabilis & visēdus, nō modò Galliæ, sed toti penè orbi, summæ erat admirationi: vt iuueni mihi graphicè depingebat Genesius Lucius, pater iā senex, dum inter iuris ciuilis studia, Cognitoriam me doceret. Viderat enim integra adhuc ætate, aut certè recenti memoria audierat, disceptatoriis diebus, tribunalitios iudices, togatos ac trabeatos solitos sedere omneis: profanos (qua in parte sunt Præsides) in purpura: sacris initiatos, in colore cæruleo. Primis subselliis (quæ adhuc liliata vocāt) cum prouinciarū Præfectis ac Subpræfectis sedebāt (vt nūc quoq; sedent) emeriti Causidici, sed alii præterea nulli. Secunda, iugē causis orandis operam non nauanti, sacrosancta erant. Tertia Cognitoribus attributa. Area subselliis inclusa, quæ nunc omni hominum genere, aliis stantibus, aliis congenulatis, aliis veluti decumbentibus flagrat, nemini patebat vnquam. Princeps ille Apparitor, præter eum capitis ornatum, quem diximus, etiam purpuratus, causas ex voluminibus inclamabat. Non orabat Causidicus, nisi ceruicibus atque humeris epomidi pelliculatæ insertis. Cognitor, tomentato capitii circulo capiti imposito, & collo focali obuoluto, si ei eiúsue clienti oraretur, aut ipse verba faceret, tantùm frontem aperiebat. De trabeatis, & ita, vt antè dictum est, discriminatis,

cernere est adhuc in Numinis tabula, quæ pendet in exhedra secundanorum. Habes & vitreas in templis fenestras, & in iis atque etiam in sepulcretis monumēta propè innumera. De tertiis subselliis, Cognitoribus attributis, est in iurisiurandi formula, qua illi quotannis
» adigi solent. Iurabunt (inquit) quòd stabunt in vltimo scamno re-
» tro aduocatos suos. Posset quidem de iis atque aliis plenior aliqua fieri fides: sed quid opus est pluribus? Ad rem igitur. Posteaquam ritus illi ceremoniæque negligi cœperunt, cœpit & maiestas illa atque autoritas imminui: &, temporibus semper inclinātibus, eò tandem res deuenere, vt vix vnum aut alterum sanæ mentis inuenias, qui nostra hæc tempora superioribus commutata non optarit.

VI.

IDIBVS Iulii anno M.CCCC.LII. à Regiæ procurationis atque aduocationis Triumuiris suffecti, verba fecerunt ad Curiam, de apparitoribus, qui supplices libellos, cùm primùm iis ab Actuario, de Curiæ sententia, subscriptum esset, auferebant: quo fiebat, vt non facilè postea inuenirentur. Itaque postulabant, vt litigatoribus ea in re consuleretur. PLACVIT, ídque mulcta indicta, libellos subscriptos, non ita amplius esse auferendos, sed cognitoribus, vt ipsi reciperent, relinquēdos. Consultum certè quidem, quod ad eam litium partem attinet, consultissimum atque vtilissimum: sed quod, nostra ætate, fuerit antiquatum. Posteaquam enim apparitorū munera, vt alia multa (prò dolor) nundinari cœperunt, & solida empta (vt nostratium vulgus ait) heminatim diuendi: nonnullis eius ordinis hominibus, fortasse non satis officiosis, aùt cæteris minus gratiosis, è re potius sua quàm publica postulātibus, factum est aliud consultum: quo, veluti quodam communi diuidundo iudicio, eiusmodi libellos, aliáque id genus denuntianda, ipsi, aut eorum certi, per vices, inter se sortiuntur ac diuidunt. Qua sortitione plurimùm incommodatur litigatorum, Cognitorum, institorum, amanuensium rationibus. Enimuero præterquam quòd si in maleuolum, ac sui officii parum memorem apparitorem libellus inciderit, is forsan omnino sit interiturus: frequentissimè vnus & alter, imò etiam tertius, atque interdum septimus elabitur dies, antequam de libello quicquam audire queant: & interim (vt minora alia incōmoda missa faciamus)

Libellos subscriptos, Cognitorib. vt eos reciperēt, esse relinquē-dos: quod postea mutatum est.

Libellos, aliáque id genus denuntiāda, inter apparitores sorte diuidi.

ab improbè captante aduersario, alióue quopiam casu, supplic... r quantuncunque gnauus opprimitur.

VII.

Suis in renũtiationib. apparitores, processus (vt aiũt) verbalis nomen ne vsurpent.

APPARITORIBVS Curialibus vetitum esse voluerunt, in actis suis renuntiandis, commentarii speciem, quem processum verbalem appellant, ne vsurparent. XII. Cal. April. M. CCCC. LXIX.

VIII.

Eorũ omniũ, quæ ab apparitorib. denũtiantur, descriptum faciendum.

QVAE litigatoribus, cognitoribúsue, Curiæ apparitores denuntiabunt, eorum omniũ descriptum vt faciãt. VII. Id. Iul. M. D. XLIX.

IX.

Apparitores, nisi eorum quæ denuntiant, descriptũ faciant, nihil agere.

ET momentorum in foro captatoribus, & iuris litiúmque diri-mendarum detrectatoribus, pro sua cuiusque libidine, magno vsui fuit, quod diplomatũ, supplicúmque libellorum, cõmeatuum, eremodiciorum, & aliorum id genus, quæ apparitores denuntiare solent, ipsi descriptum non facerẽt. Variis enim modis, quos hîc enumerare nec magni refert, nec fortassis expedit, ea ratione, hi quidem longius multò lites extrahebant: illi verò aduersarios simplices interim ac minimè malos, interim etiam prudentes & forensium præstigiarum non ignaros, longè liberius ac facilius opprimebant. Cui malo, vt mederetur, factum est Curiæ consultum in hæc ferè verba:

Quæcunque litigatoribus vel Cognitoribus apparitores edent, denuntiabunt, horum omnium eis descriptum faciunto.

Si non fecerint, editio, denuntiatio irrita, infecta habetor.

Recitatum XIX. Cal. Febr. M. D. LI.

X.

Asses 20, Curialiũ apparitorũ ἡμερήσιον, diurna merces.

CVRIAE statori viginti asses in singulos dies decreti. VI. Id. Sept. M. CCCC. XXI.

XI.

Capturarum apparitoriarũ cõmunicatio.

SVAS apparitorum Curiæ inter se capturas esse communicandas. Prid. Cal. Mart. M. CCC. LXXXV. & V. Id. Sept. M. CCCC. XXI.

XII.

Omnes Curiæ apparitores, quod ad conuẽtus iu-

QVOD ad conuentus iuridicos, munúsque apparitorium in eis obeũdum pertinet, adeò Curiæ Accensum, cæterósque apparitores æquo iure censeri placuit, vt ne causarum quidem inclamãdum vo-

lumen, quæ alioqui primæ sunt Accensi partes, plus ei quàm aliis quicquam tribuat. Id enim iusti non esse officii, sed indictiuæ potius ac temporariæ functionis. Decretum factum IIII. Non. Aug. M.CCCC.II. Roberto Cacheo, Accenso, Thoma Marco, & Rodolpho Nigro, apparitoribus de ea re controuersantibus ac concertantibus.

ridicos attinet, esse pares.

XIII.

VBICVNQVE Principē agere vel diuersari contigerit, apparitori, quantuncūque Curiali, vel in ipsis ædium foribus, dicā cuiquam impingere, nisi petita venia, non licere, ego didici, & quondā Burgesius quidam, Curialis apparitor, expertus est. Quippe qui cùm ea honoris ratione aut leuiter & inconsyderatè omissa, aut petulanter & præfractè contempta, ad Principis ianuam, diem alicui dixisset: ad Curiam relegatus est, ab eáque receptus, suæ vel rusticitatis & inscitiæ admonendus, vel temeritatis & arrogantiæ condemnandus, XI. Cal. Febr. M.D.IIII. Fortassis audierat ille multò plura Curialibus Apparitoribus, quàm cæteris omnibus licere. Et certè quidem, inter alia multa, hoc quoque ipsi sibi arrogāt etiam nunc: vt & in rebus quantumlibet momētosis, nullos testes: & primariis in quæstionibus (quas informationes appellant) subscriptorem adhibeant neminem: & nihilominus sibi, perinde atque oraculo, fidē haberi volunt: quod nemo ferè iudex, quacunque præditus potestate, sibi vnquam assumpserit. Quæ קַבָּלָה (sic enim id mihi (quæso) appellare liceat, quod neque vlla lege, neque quoquā Curiæ consulto, quod sciā, comprehenditur, quódque non nisi ex auditu acceptum est) quot, quantáque hominibus pericula creauerit, atque etiam, ni medeatur, sit creatura, nemo, nisi mentis simul & corporis oculis orbatus, non perspicit. Dixerit aliquis, Horū sanè grauius, & periculosum magis, est in criminosis huiusmodi quæstionibus: at repetuntur, & cum reis committuntur testes: qui seriò magis interrogati, quid senserint enucleant, & sæpenumero se aliter sensisse deierant, quàm sit ab Apparitore relatum. Esto id quidē, per me licet: attamen interim (vt aiunt) patitur iustus: interim est alius vadatus, alius comprehensus, ductus, legibus interrogatus: quibus aliquādo, quāti sua, id non esse factum, interfuerit, vix vnquam æstimari, nedum sarciri possit.

Apparitori, etiam Curiali, vbi Rex sit, ne in ipsis quidem ædiū foribus, diem cuiquam dicere, nisi petita venia, licere.

De albo Curiæ, eiúſque miniſtro-

RVM CONSCRIBENDO, TIT. XII.

I.

Curialium, ad conſequẽda beneficia, catalogus ante c c annos conſcriptus.

QVÒD noſtra ætate, ſummus Pontifex iudulſit, Regi vt liceret, quatuor Curiæ Principes, Cõſcriptos omnes, treis Actuarios, quatuórque Amanuenſes, ſacrorum beneficiorum potentibus prodere: quò illos, quíue illorum calculis proderentur, beneficiis afficerent: aut ſi negarent, vel reſtitarent, is, cui ea prouincia mandabatur, afficeret: non ſine exemplo factum eſſe, id planè oſtendit, quòd eius rei ergô, Curialiũ catalogus reperitur fuiſſe cõſcriptus, Cal. Sept. M. CCC. III. Sed quî factum ſit, vt res tam ad farinas ollámque pertinens, tot annos intermiſſa fuerit, prudens rerum æſtimator viderit alius.

II.

Poſt Cõſcriptos omneis, VIIIviri à Libellis, in Curiæ catalogum redacti.

OCTOVIROS à libellis, velut Ampliſſimi Ordinis partẽ, ipſius quidem albo comprehendi placuit, ſed certè à Cõſcriptis omnibus poſtremos, IIII. Id. April. M. CCCC. XCVIII. Cur autẽ eiuſdem ordinis eos, qui antiquiore ſecundum Præſides, aut Proceres, Antiſtitéſue, ſi quos adeſſe contigerit, ſedere ſoleant loco, poſtremas in albo tenere viſum fuerit, non ſatis exploratũ habeo: niſi fortè quòd hi non iugem ac perpetuam, vt illi, operam nauãt, ſed honorariam, quaſíque perfunctoriam.

III.

Olim Curiæ Conſcriptus, catalogo, ad conſequenda beneficia, adſcriptus, ſed Curialiũ omnium poſtremus.

POSTVLABAT Frãciſcus Lambertus, olim Curiæ Conſcriptus, vt in albo ſcriberetur, quod ad ſummum Pontificem, ſacra beneficia obtinendi cauſa, mittere inſtituebant. SCRIBI certè quidem, ſed poſt omnia Curiæ ipſius officia placuit. V. Calend. Iun. M. CCCC. XXXIIII. Quod, veterum exemplo, factum eſſe, nemo non videt. Magiſtratu enim abeuntes, ipſum ſanè honorem ac poteſtatem deponebant: ornamenta verò priuilegiáque retinebant: nec qui geſſerant, cum gerentibus cõmittebantur: ſed inter functos, quemadmodum & maiorem quiſque poteſtatem, & antiquius geſſiſſet, ita & locum nanciſcebatur.

IIII.

Curialium, alii germani,

CVM de albo Curiæ conſcribendo, & ad nouum Regem, Caro-

lum VIII mittendo, vt suis ipse codicillis, more maiorum, eam instauraret, maioribus comitiis ageretur: Sanctromanus, Cognitor Regius ac publicus, qui sub imperiosissimo Principe, magistratu abire coactus fuerat, quòd tribunitio spiritu, & iustitiæ tuendæ, legibúsque deuoto, salutis & periculi cum Rep. societatem coiuisset: quo nomine, vt à maioribus audiuimus, & Budæus testatum reliquit, ipse sui magistratus memoriam, vel verius desyderium, cùm in hominum sermone consecrauit, tum in Curia defixit: Sanctromanus (inquam) & Alligretus, causarum capitalium Scriba, officio etiam pulsus: Lahayus Præses, nonnullíque apparitores, extra iustum ac legitimum numerum creati, postularunt, vt ipsi quoque cōscriberentur: illi, quòd Regiorum functio magistratuum comes esset vitæ insontis; hi quòd citra cuiusquam iniuriam, iusto ac legitimo numero additi fuissent atque admissi. ET EOS omneis, vt ius & æquum postulantes, exaudiri placuit. Nec ita multò pòst supplantatoribus apertè motis, supplantatos, atque indicta causa deiectos restituerunt, IIII. & III. Non. Sept. XVII. Cal. Decembr. & III. Non. Ian. M. CCCC. LXXXIII.

indicta causa ordine moti, alii adsciti tii, omnes catalogo comprehensi.

Placitorum summæ apud GALLOS CVRIAE

LIB. V.

De Curiæ Causidicis, Tit. I.

I.

VINI, quod ex vitibus suis collegerat, condendi gratia, Annæ à Terreriis, Chappearum domino, primi nominis summa in Curia Causidico, certa cùm dolia Mesium Merlanium Sequana conueherentur: Philippus Bertinus, Mæsonum portitor, posthabito mittentis elogio, portorium exegit: vnde nata est, & apud Basilicanos Recuperatores agitata, nobilissima cōtrouersia. Condicens à Terreriis id quod à se corrasum erat, dicebat se, triplici iure, portorio nō fuisse obnoxium: origine, lare, functione. Quòd ad originem pertineret,

Causidici vel Aduocati fūctionē à generis claritate non esse alienam.

nominabat patrem ſcutatū nobilem: auum, proauū, abauum, ſuperiores, poſt hominum memoriam, Equeſtris ordinis omneis: allegabat arces, ac præter cæteras, Chappearum munitiſſimam: adducebat ſtēmata, & (vt breuiter dicā) omnia nobilitatis argumenta. De lare, dicebat ſe Lutetianum eſſe ciuem: ciueis Lutetianos omneis, ob ſua maiorúmq; merita, ſiqui obſcuro alioqui loco eſſent nati, Principum diplomatis, natalibus eſſe reſtitutos. Se functione quidē eſſe Cauſidicū: ſed cuius ordinis Brolio cuidam, cùm prorſus idē negotii contigiſſet, eum vel ipſos Mæſoniani portorii dominos apud Ampliſſ. Ordinē condemnaſſe. È diuerſo proponebant Mæſoniani, autores à Bertino laudati, in quibus Iohānes Longolius, vnus è claſſiū inquiſitoriarum Ductoribus, portoriū, Principis eſſe beneficium: cuius nomine, ſuam ei fidē ipſi obſtrinxiſſent. Portorio quidē exemptū Principem, Reginā, eorúmque filium natu maximū, germanos Lutetiæ Academicos, ſacras etiam Mendicātium familias, ſed præterea neminē. Quòd ſi qui alii ob ſtemmata, portorio non tenerentur, ſua, ſi qua erant, condicenti nihil patrocinari: quòd is ea, ſua illa Cauſidici functione, nobilitati diſſentanea, inquinaſſet. Referebat à Terreriis, ea quæ Mæſoniani, de ſui illius portorii amplitudine obtruſiſſent, nil niſi mera eſſe verba. Cæterùm eius qui defendit alterum in iudicio, ſiue patronum dicas, quòd ſit orator: ſiue aduocatū, quòd vel ius ſuggerit, vel præſentiam commodat ſuam: officium eſſe laudabile, vitǽque hominum perneceſſarium. Nec eos tantùm Imperio Reíue publicæ militare credendos, qui gladiis, clypeis, thoracibus armantur: verumetiam qui diſciplinis, atque in primis iuriſprudentia, magnis laboribus ſibi comparatis, aliquam ſui fiduciam habentes, ſuis conſiliis, ſua eloquentia, ſuis commentariis & ſcriptionibus, interim de capite & fortunis, interim de ſumma rerum decertantibus opem ferunt, excitant afflictos, dant ſalutem, liberant periculis, & (ſi admittis) etiam retinent homines in ciuitate: vt cùm publicis, tum priuatis in rebus, non minus humano generi proſpicere ac prodeſſe videātur, quàm ſi armis commiſſíſque præliis, patriam, parentéſque ſeruarent. Proinde huiuſmodi hominum genus non modò nullis oneribus eſſe premendum, ſed è contrario præmiis, honoribus, priuilegiis afficiendum. Quæ omnia & veteres, iuſtis voluminibus

editis, tam apertè ostendissent, & Imperatores suis rescriptis ita perstrinxissent: vt, vel ea nescire, esset planè, quod omnes sciunt, ignorare: vel non ignorata aut dissimulare, aut agnita refellere, extremæ cuiusdam temeritatis atque impudētiæ. REBVS inquisitis ac relatis, & prolato perspectóque litis instrumento, Recuperatores rectè condictum esse pronuntiarunt, IIII. Cal. Septembr. M.D.XLIIII. Et ne non ipse solùm à Terreriis, sed & totus ordo Causidicorum, ea sententia non satis esset illustratus, nisi etiam Ordinis Ampliss. decretum accederet: nescio quis Deus Mæsonianis misit in mentem, vt prouocarēt. Quod cùm fecissent, PLACVIT perperam esse factū, adiecta temerariæ prouocationis mulcta, Cal. Febr. M.D.XLV.

II.

AD VIII. Cal. Maii, M.D.L. Aduocatis & emeritis & merentibus, alteris ad liliata Curiæ subsellia sedendi iure donatis, alteris Curiæ septo adscriptis, ex suo quibusque catalogo inclamatis, pronuntiatum est, ídque mulcta indicta, PLACERE, vt tantisper dum causis orandis, & ex tempore vel iudicandis vel constituendis vacabitur, omnes assidui Spartam exornent suam, neque quoquam aliò diuertant, præterquam ad requisita naturæ. Quod cùm à Tricipite illo magistratu postularetur, additum est ita fore, vt facilius ac commodius & responsitarent & orarent.

Dum causis audiēdis Curia dat operā, assiduitas Causidicis imperata.

III.

CREDIBILE est, ab ipsis Iustitiæ ius dicētis incunabulis, semper aliquos sua ætate fuisse Causidicos, qui alios multis numeris antecellerent: & in quos vel illud iactari posset, Hominem occiderit necesse est, qui vestra opera vti velit. Fuit Fretigneius quidam, de quo Episcopus & Sodales Tornacenses ambigerent, ab vtra parte ille staret. Dicebant Sodales, eum sibi esse à cōsiliis, antéque fuisse, quàm ab Episcopo aduocaretur: quod Episcopus quidem non inficiabatur: sed à decessore occupatum dicebat. À Sodalibus referebatur, Sodalitium permanere, Episcopum mutari. PLACVIT, vt à Sodalibus staret Fretigneius, præterquam in causis, quæ decessoris Episcopi tēpore auspicatæ fuissent. VIII. Cal. Decemb. M.CCC.LXXXIII.

Causidicum vel Aduocatū ab eo stare debere, qui eū primus occuparit.

IIII.

EIVSDEM ferè speciei & illud est: Odoardum à Molēdinis, Cau-

Idem.

ſidicum, Diuæ Virginis matris Sodalitium, Lutetiæ Pariſiorum, vindicabat à conſiliis ſuum. Defendebat Epiſcopus longè antea, cùm adhuc Morinenſis Epiſcopus eſſet, eum à ſe in conſilium ſemper adhibitum. Replicabat Sodalitium, rem qua de ageretur, non ex perſona, ſed Pariſienſis Epiſcopatus dignitate adepta metiendam. QVOD & Curiæ placuit, XIIII. Cal. Mart. M. CCCLXXXIII.

V.

Cauſidicus, aduerſario crimen obiecturus, quid antè agere debeat.

NON temerè quæ à litigatoribus, vt plurimùm animoſis ac ferocientibus, litium vel orandarũ vel conſcribendarum gratia, in commentarios referri ſolent, edenda ſunt omnia. XIII. Cal. Maias. M. D. XLIII, cùm Hardium Conquiſitorem vrbanum, Mõterellus repetundarum, per Cauſidicum, inter orandum inſimulaſſet: & à Regio publicóque actore poſtularetur, vt inquirẽdi criminis ergô, Mõterellus maleficii teſtes indicaret: ipſe reſpondit, rem ſemotis (quod aiunt) arbitris eſſe factam. Quapropter hocce tantùm placuit, vt ex Cauſidici oratione, maledicta expungerẽtur: & ita forſan aut iuri ac legibus illuſum eſt, aut (vt apibus naturale eſt) infixo aculeo euolatum. Sed hoc in commune ſancitum eſt,

Cauſidicus, ſi in cauſæ commentariis, criminoſum aliquid comperit: litigatorem, an criminis teſtes habeat, interrogato.

Si habere dixerit, crimen audacter obiicito.

Sin minus, temperato.

Qui ſecus faxit, poſtulatione, pro Ampliſſimi Ordinis arbitrio, ſubmouetor.

VI.

Vetus Cauſidicorum & Cognitorum honorarium.

AD VI. Cal. Iulii M. CCCC. VI, pro ſingulis cauſarum actionibus aſſes Cauſidicis LX, Cognitoribus XL, decreti. Nunc autẽ multíſque antè actis annis, numus illis aureus, iis aſſes quinque Pariſienſes tribuuntur. Sed quî factum eſt, vt Cauſidicis honeſto loco conſiſtentibus, de gradu Cognitores ita deiecti ſint? Certè aut illius ſeculi Conſcriptos, iniquos æſtimatores dicere oportet, aut eius ætatis Cognitores ſpectabiles & viſendos, vt & nos tyrones vidimus aliquos: noſtræ verò (vti res habet) maximam partem, è medio prodeuntes, & (ſi dicere audeo) quaſi togatæ nationis fæcem.

De Curiæ Procuratoribus, Tit. II.

I.

EX moribus maiorum Princeps in edictum transtulerat, ne cui per procuratorem, sinè Principali venia, litigare liceret. PLACVIT edicto recitando ac promulgando, Curiam neque fundum, neque autorem fore: sed consulto, quo ea res erat antiquata, stari debere. Vsum enim procuratoris (si Curiæ mentem assequimur) à iure ciuili, necessitate introductũ esse: vt qui rebus suis ipsi superesse vel nollent, vel non possent, saltem per alios possent vel agere, vel conueniri: & eius generis venias non aliò, quàm ad numariam aliquam rationem pertinere. Mense Martio, anno M. CCCC. LI.

Per Procuratore, sine venia Principis, posse litigari.

II.

CAL. Febr. M. D. XXIIII. I.B. iuris quidem ciuilis rude donatum, sed rerum forẽsium tyronem ac rudem, in Cognitorum numerum (vt ille petebat) retulerunt: ea tamen lege, vt eius amanuensis opera, qua pater, etiam Cognitor, vita functus, præcipuè vtebatur, ipse etiã biennium vteretur.

Iure prolyta, foro rudis, nihilominus Procurator admissus, certa lege tyrocinii.

III.

NEMINEM in Cognitorium ordinem ascribendum, donec is ad iustum numerum rediisset. Prid. Id. Nouemb. M. CCCC. LV.

Definitũ Procuratorũ numerum seruãdum esse.

IIII.

COGNITORVM numerum, iusto ac legitimo longè maiorem, eius muneris candidatis obesse placuit. VI. Non. Mart. M. CCCC. LXXXVII.

Idem.

V.

PRIVILEGIA à Principe suis Amanuensibus irrogata, & Curiæ oblata, vt ea promulgari, atque in acta publica referri placeret, quòd ad rem diplomaticam pertinebat, ita temperari placuit: vt Cognitoribus, quemadmodum in præteritum licuerat, ita etiam in posterum, diplomata meditari ac concinnare liceret. Id enim magna ex parte ad iustitiæ ius dicentis rationem pertinere. III. Non. Iul. M. CCCC. LXXXIII.

Procuratores diplomata posse componere.

VI.

QVOD à Gulielmo Bellouaco, suæ litis procuratione suscepta, is

Procuratores, suis ad li-

tigatores, epistolis saltem subscribere debere.

qui susceperat, nec ad nomen quidem respōdisset, ita vt aduersarius cōmeatum abstulisset: & postea mandati conuentus, epistolam, qua mandatum suscepisse fatebatur, esset inficiatus, non suam, sed amanuensis, qui se ignorante scripsisset, esse dicens: ne quis hoc amplius prætexere auderet, factum est Curiæ consultum in hæc ferè verba: Procuratores, cùm ad eos, quorum lites tuendas receperint, scribendū erit: ipsi sua manu literas exaranto, aut iis saltem subscribunto. Qui secus faxit, omni causarū procuratione perpetuò interdict⁹ esto. Consultum mediis causarum altercationibus recitatum IIII. Id. Iul. M. D. LII.

VII.

Supplices libelli à Procuratorib. subnotandi.

CVRIAE consulto, quod factum est pridie Id. Decemb. anno M. CCCC. LXXXIII, voluerunt, vt quos supplices libellos Cognitores essent oblaturi, suo ipsi chirographo subnotarēt. Vsu enim venerat (quemadmodum facile est coniicere) vt eiusmodi libellis, aliis planè frustratoriis, aliis moratoriis, ac lites mirandum in modum extrahentibus, aliis contumeliosis, & huius aut illius famam lædētibus, Cognitoribus eos sæpenumero abnegātibus, Curia, aliis grauioribus negotiis præpedita, non parum oneraretur. Cui malo nostra quoque ætate gliscenti, id etiā remedii adhiberi placuit: sed quod in dies paulatim obsolescere videmus.

VIII.

De eodē supplice libello, alia classis non tentāda.

ACCEPTO de supplice libello, classis vnius responso: eo celato, de eodem libello classem aliam tentari non debere. Itaque Cognitorem qui hoc admisisset, mulctari placuit. VI. Non. Maias M. CCCC. LXXV.

IX.

Scriptarū litium allatarum dies, epigraphis sententiarū adscribendæ.

EOS dies, quibus diebus scriptæ lites Scribarum officio illatæ forent, epigraphis sententiarum, quæ cum syngrapha clausularia, à Cognitoribus eodem deferri solent, abscribi placuit. VII. Id. Ianuar. M. CCCC. LXXVI.

X.

Quib⁹ horis Procuratores omnes ad Basilicā conuenire placuerit.

AD VIII. Calend. Maias, à Liberalibus, M. D. L, Marilliaco, Regis Causidico, de collegii sententia postulante, factum est Curiæ cōsultum, de causarum Procuratoribus: qui (vt dicebatur) dum inclama-

rentur, non modò non aduolarent, ſed nec toto die, interdum nec poſtridie adeſſent: vnde incommoda nec pauca, nec minima iuris dicendi rationibus afferrentur. PLACERE vt faſtis omnibus, hora poſt ſextam dimidia, vel ſummùm ſeptima antemeridiana, Martis autem ac Veneris diebus, hora & ſeſqui pomeridiana, Procuratores omnes ad Baſilicam conuenirent: vt quoties eos in Curiam euocari contingeret, è veſtigio reſponderent. Qui ſecus faceret, ei multa centuſſis irrogaretur: irrogata protinus exigeretur. Præclarè mediuſfidius additum (quãdo ita viſum eſt) rei iudiciariæ Colophonem. Sanè quod Princeps iubet, Ordóue Ampliſſ. decernit, hoc, veluti è Tripode dictum, nobis eſt amplectendum: & lex (vt dicitur) quanuis dura, ferenda eſt: ſiquidem iis Reipub. ſtatus vel in primis continetur. Sed non abs re fuerit, ſi eius diſciplinæ non expertes, & quos non vnius aut alterius, ſed multorum annorum vſus nonnihil edocuit, de ea re dicant quid ſentiant. Ita enim fore, vt qui ſummas rerum tenent, aliqua tãdem ratione admoneantur: & ipſæ res, aliquando fortaſſe, meliore loco ſint conſtitutæ. Non omnibus horis, omnibus cauſarum Procuratoribus in foro negotium eſt, fuit, futurum eſt. Cúmque fori frequentandi ratio quædam, non hæc ſubdura conſtaret: ſi nihil erat quod illic vrgeret, domi ſemper aliquid moliebantur, quod eò loci tam facilè tractari poteſt, quàm quod minimè: & quod tum vno, vel altero, tertióue die cõficiebatur, nũc decimo, viceſimo, triceſimo vix, aut ne vix quidẽ explicari poteſt: nec enim iuris reddendi ratio tota eſt in iis, quæ ipſo in foro agi neceſſe habent. Siue orandæ ſint cauſæ, & repræſentanda iudicia, ſiue conſcribendæ, & ex renuntiatorum, quibus attribui ſolent, breuiariis, ampliore deliberatione conficiendæ: ſemper ea nobis comparanda ſunt, ſine quibus eò perueniri non poteſt. Et tribus aut ſummum quatuor horis, quas ſolas habiturus es, etiamſi quotidie quartam matutinam anteuerteris, quid agas? quid promoueas? litigatoribus ſubinde etiam interpellãtibus, vt alia negotia, atque interdũ domeſtica, imò & requiſita naturæ miſſa interim faciamus? Dixerit aliquis, huiuſmodi iuris dicẽdi compendio, permulta expediri poſſe: ſupplices potiſſimùm libellos, à quibus innumeræ ſummis controuerſiis liticulæ agnaſcebantur, & vnde rei ſportulariæ non paruæ fiebant acceſſiones. Poſſe quidem fateor, ſed

& alia, nec longè diuersa, nec minus cōmoda ratione, imò verò fortasse commodiore: scilicet, si quid erit, cuius causa, Procuratores audiri placeat, indicta quantumlibet graui mulcta, statim (ni pareant) irroganda exigendáque; iubeantur à prandio, vel postridie mane venire, non perpetuò postes obseruare, & tēpus ita terere. Ad hæc difficile est omnes, ad omnia, semper ex tempore respōdere. At ius istud (inquiet alius) translatitium est. Iuris enim iurādi, quo Procuratores " quotannis adigi solent, formula sic habetur, Iurabūt quòd bene ma- " ne venient, & venire facient suas partes, & non recedent à Curia, quā- " diu domini sedebunt. Habetur sanè, sed iam pridem iis (vt credibile est) de causis, quas diximus, antiquatum est.

XI.

Quādo quis alium Procuratorem dare cogatur.

ANNO M. D. XLVII. Calend. April. Cognitorum vnum aliquem, in Curiæ Curiam huius ergô inductum, & hominum frequentia flagrāte auditorio, causa perorata, ac repræsentato iudicio, impensè detrectatorem, varium, ludificatorem compertum: ne queribūdus aduersarius, eiusmodi præstigiis, ab eo diutius exerceretur: cætera litis cognitione Curia iussit abstinere: dominúmque, ex Curialibus Cognitoribus, prouectis atque inculpatioribus, alium dare, qui in lite peragenda viri boni numeros impleret omneis: reo Cognitori mulcta interim irrogata, sed adempta ignominiæ nota.

XII.

Pactæ inter clientē & Procuratorē tergiuersatio-nis animaduersio.

TERGIVERSATIONIS inauditæ Cognitor quispiam appellatus excusabat, bonam diffugii partem, à cliente Aduocato clam se factam. Cæterùm id quod ipse fecerat, iussu clientis esse factum, versuram omnem persoluere polliciti: ídque syngrapha, quam ille simplex & apertus ita protulit, vt nunquam sorex suo magis (quod aiūt) indicio perierit. PLACVIT, vt & cliēte & Cognitore in Curiā inductis, syngrapha in ore atque oculis omnium dilaceraretur: & vterque disparis pecuniæ dānatus, suo munere cliens Aduocatus biennium, Cognitor annum abstineret, recepta tamen ignominiæ nota. Tres alii, etiam Cognitores, iisdem ferè scopulis impacti. Ex aliis nonnulli, quorum nomina tum inuulgari non placuit, catalogus conscribi, atque inter acta publica seruari iussus, contaminatæ opinionis atque existimationis monumentum.

XIII.

PLVTEI reíque Cognitoriæ, quam vulgò pragmaticam vocãt, nundinationem, secundum ius & fas, honestúmque ac bonum, iniri non posse iudicatum est: sancitúmque ne quis Cognitorii muneris candidatus, aliúsue vnquam quid tale auderet. Cautum tamen atque receptum, ídque certam ob causam, vt viduæ Cognitoris tum agenti, vrbanè aliquid, virorum bonorum arbitratu, quotannis à reo pensitaretur: sed ea receptione ad exemplum nunquam reuocanda. Placitum extemporarium, VII. Id. Febr. M. D. XLIII. litigatores, Iohãna Verclea, Paracletus Michaelinus.

Plutei, reíq; Cognitoriæ vel pragmaticæ vetita nundinatio.

Quibus in Curia diebus, quásque

CAVSAS AGI OPORTEAT, TIT. III.

I.

CVRIAE consulto, quod VII. Id. Octobr. M. CCCC. XXXVII, factum est, de causis agendis, quibus quasque diebus agi oporteret: PLACVIT vt iustis ac legitimis causis, hoc est Præfecturarum ius à Curia petentium, prout earum, suo cuiusque ordine, conuẽtus ageretur, Lunæ ac Martis: cæteris extra ordinẽ in Curiam inductis, Iouis dies adscriberetur: huiusmodi Iouianis litibus, pro eius, apud quem eo die fasces essent, arbitrio inclamãdis. Causidicis Cognitoribúsque mulcta indicta vetitum, eum ordinem ne turbarent, néue committerent, vt à litigatoribus vnquã turbaretur. Quod si quis eorum quid migraret, Curiæ Accẽsus obseruaret, ac, vt animaduerteretur, renuntiaret. Optimam, me hercule, iuris reddendi rationem! quam & nos tyrones solidam atque expressam vidimus: pòst autem, per aliquod tempus, vix eius lineamenta, vmbrámue cernere licuit. Tribus enim tum diebus, totis tribus horis, à septima videlicet, vsque ad vndecimam ante meridiem: & præterea Martis ac Veneris, duabus pomeridianis, à tertia, (puta) vsque ad quintam, sed à Liberalibus tãtùm, causarum altercationibus vacabatur, ídque diligentia vsqueadeò exacta, vt ferè vna eadémque machina, vno eodémque tempore, simul & committendarum altercationum horam edere, & Curiæ fores pulsando expandere, & Apparitori, ad eas classicum forense canenti, la-

Dies Lunæ ac Martis, ordinariis litibus agendis, Iouis, extraordinariis attributi.

tera mouere videretur, & introeũtium ſtrepitus horæ ipſius enumerandæ poteſtatem non faceret: nec minor erat, ea hora, ſedendi religio, quàm fuit aliquando præproperè ſurgendi libido. Vigebant adhuc leges à Carolo VI. & VII. de ea re latæ: quarum altera ſimplex & nuda illa quidem, ſed altera ab ea promanans, tam multis cautionibus fulta, tótque cuſtodibus cõmendata, vt eius vel apicẽ vnum excidere poſſe, nunquam tibi perſuaſiſſes. Nihil omnino cauſarum, niſi ex iuſti ac legitimi voluminis ſerie orabatur, præterquam ſi quid emergeret, voluminis intermiſſione vel anticipatione dignum, cuiúſque cauſa ſummus ordo eſſet, ordinem (vt aiunt) non ſeruare: quod neque de vnius faſces habentis, ſed de totius Curiæ ſententia, pro obiecta ſibi ab eis legibus religione, fieri oporteret. Suo quique tempore litigatores ventitabant, certa ſpe concepta, ſe domum non redituros, quin aut lites confeciſſent, aut ſaltem aliquid promouiſſent, quo nec itineris eos, nec impenſæ pœniteret. Cauſidici & Cognitores, ex cauſarum voluminarium numero, & explorato earum pondere, veluti clepſydris, temporum ſpatia metiebantur: ſua quibuſque negotiis tribuebant: ſic orandis, aliud agentes, deerãt cauſis, vt ad eas iugiter incumbere crederentur. In ſumma, bonarum horarum nihil vnquã cuiquã (ſi ipſe vellet) excidebat. Poſtea verò, fato neſcio quo, aliqua tẽporis intercapedine, factum eſt, vt altercationibus ferè ſemper aliquid eximeretur, interim hora, interim ſeſquihora, totus interim dies. Cauſarum volumina & iuſta & peculiaria componebantur oppidò ſpecioſa, ſed quæ ſatis eſſet fuiſſe compoſita: tam enim multis ſchedularibus cauſis interpellabantur, támque diu intermittebantur, vt vix toto trimeſtri ſpatio, ter trinæ voluminares conficerentur. Ita fiebat, vt litigatores rerum incerti penè omnes, vna tempeſtate concurrentes, ius peterent, ſibi inuicem ita officientes, vt pauci admodum exaudirẽtur: aliis, præ temporis anguſtia, poſt alios reiectis, & tanta iactura ius præſtolantibus, vt longè ſatius fuiſſet, aut nunquam intendiſſe litem, aut ea cùm primùm ſuboriretur, cecidiſſe. Fiebat (inquã) vt rebus eum in modum conuerſis, tantus, ex omni genere audientiæ candidatorum concurſu, tumultus eſſet, vt crebrò Cauſidicorum orationes, atque ipſa etiam interdum Curiæ decreta, non niſi ægrè perciperentur. Fiebat præterea, vt & Cognitoribus &

Causidicis pro suo cuiusque officio necessitas imponeretur, causas à se susceptas simul omneis concinnandi, dispiciendi, & ad eas orandas sese componendi, quas tamen non erat coniicere, quando essent oraturi: multis non horis modò, sed & diebus integris interim elabentibus, qui maximis & vtriusque illius ordinis hominum, & ipsorum litigatorum commodis cedere potuissent. Nõ enim causis tantùm orandis, & ex tempore iudicandis, iuris reddendi ratio continetur: verumetiam eis & exercendis, & modis omnibus ad iudiciũ comparandis. Cæterùm ἀδύνατόν ἐστι, hominem, nisi Mithridatica memoria præditum, rerum ita incertum, tot causas tanto tempore sic memoria tenere, vt aliquid non excidat, quod, si diceretur, fortasse ad rei summam multò maximè pertineret. Dixerit aliquis, c x i x. capite legis à Francisco Valesio latæ, mense Aug. anno M. D. X X X I X, quam à Gulielmo Poyeto, Nomophylace, qui eam suasit, Gulielminam appellant, ferè sic habetur:

» Cùm semel atque iterum ex interuallo, agẽdæ causæ dictus erit dies:
» in eos qui vel aberunt, vel agere detrectabunt, eremodicia pronun-
» tianto.
» Ea pronuntiata, vel Regio diplomate, circunduci, nefas esto.

Habetur sanè, sed & legislatoris & suasoris (quibus bene precamur) pace dixerim, longè fortasse melius fuisset non haberi. At (inquiet) vt veteres illas, ita & sanctissimas leges, noua ista non abrogat, imò verò eôdem collimãt omnes, nimirum ad summum iurisdictionis compendium. Non abrogat quidem, sed ita illis obrogat, vt, si seruetur, eas penè obruat, & captata iuris promendi methodus, in anfractus vix vnquam permeabileis, imò in ipsum propè chaos reuoluatur. Hinc, præter ea quæ perstrinximus incommoda, captiones atque oppressiones innumeræ: à quibus qui res suas cupiat tutas, oporteat, vt temporum ferè omnibus articulis, se alterum ad eas Argum, nihil minus exhibeat. Quibus de rebus, cùm in nostris Cognitorum, non ita pridem, comitiis, Regiæ procurationis Triumuiris hortantibus, habitis, nec semel aut iterum tractaretur: vna omnium sententia existimatum est, huiusmodi malis non alia ratione mederi posse, quàm si noua ista lege abrogata, veteres illæ suum sibi vindicarẽt locum. Ita enim fore, vt omnia rectè atque ordine agerentur, & cau-

ſarum cuiuſque prouinciæ volumina, ſuis quæque diebus conficerẽtur. Quòd ſi quid ex iuſtis illis voluminibus ſupereſſet (quod nõ niſi duobus, aut ſummùm tribus, puta Pariſienſi, Pictonenſi, Aurelianenſi poteſt contingere) hoc etiam ex maiorum moribus repetebamus, vt alternis diebus perendinis, eiuſmodi reſiduæ lites commentariolis iuberentur agi, earum inſtrumenta proferri, & de iis iudices in conſilium mitti. Fieret, vt detrectatoribus, iam mulctas in ſingulos cauſarum annos definitas nihil metuentibus, ſpes præcideretur cauſas in quadriẽnium vel quinquennium, atque interdum nouenniũ extrahendi, vt, voluminibus aliis ſuper alia congeſtis, veluti quodam φυγοδικούντων ἀσύλῳ fieri vidimus. quod, quantam non modò litigatoribus, Cauſidicis, Cognitoribus omnibus, verumetiã toti Reip. afferret vtilitatem nemo non videt. Ea conſilia cùm ad Triumuiros, imò etiam ad nonnullos & Præſides, & primæ notæ Conſcriptos deferrẽtur, certè quidẽ placuerũt: & vniuerſo fortaſſis Ordini, dum ſatis maturuerint, non diſplicebunt.

De Curiæ placitis vel decretis,

TIT. IIII.

I.

Claſſium inquiſitoriarũ placita, vel decreta, propriè appellari iudicia.

ἈΡΕΣΤΟ'Ν Græci dicũt, quod placet & probatur, placitum, gratum, æquum. Qua ratione Plutarchus librum, de iis quæ Philoſophis placuiſſent, & ab eis probata fuiſſent, περὶ τῶν ἀρεσκόντων inſcripſit: quod etiam Budæus vertit, De placitis Philoſophorum: vnde ille deductum exiſtimat, vt Curiæ ſententiæ, Areſta vulgò vocentur, duplici rr, cùm potius vnico ſcribendum eſſet. Ius autem, æqui & boni eſſe artem Vlpianus docet. Et verbum Dico, Varro lib. de lingua Latina 5, originem habere putat ἀπὸ τοῦ δικάζω, hoc eſt cauſam iudico. Hinc iudicare (inquit) quòd tum ius dicatur. Hinc Iudex, quòd iudicat accepta poteſtate, id eſt, quibuſdam verbis dicendo finit. Hinc à dicando (vt eſt in vulgata editione) aut fortaſſe potius à iure dicundo, iudicium, quaſi iuris dicium, ſi fas eſt ita augurari antiquitatem. Ex quibus palàm eſt ἀρεστὸν & iudicium, τὸ ψήφισμα, παρὰ μικρὸν συνώνυμα ἐστί: & vtriuſque appellatione, placitum, ſententiam, decretum, ius, æquum & bonum, etiã ſi fortaſſe non ſit, tamen ſigni-

ficari. Hinc colligi posse, Curiæ decreta, quæ ab eius Actuariis, modò aresti, modò iudicii, modò neutrius nomine, profanis summo tribunali attributis tum relata subnotantur, nomenclationis varietate diuersa, autoritate, vi ac potestate, eadem esse intelligenda: eámque varietatem, cùm è Centumuirûm numero Classis inquisitoria, quasi colonia quædam deduceretur, ea tantùm de causa fuisse inductam: vt si quippiam referret scire, huius an illius, hoc vel illud, Curiæ Classis placitum esset, id, vel ipsa subnotatione, compertum haberemus. Accidit vt Anglo, vrbe Regia & magna regni parte adhuc potiunte quidem, sed numaria difficultate laborante, ad IIII. Calend. Decembr. M. CCCC. XXXII, Nomophylax, eam ob rem in Curiā veniens, obnuntiaret fieri non posse, vt pluribus, præter Præsides, quàm duobus & viginti Conscriptis, stipendia numerarentur. Aliis, si consueta munia obire volent, sua etiam stipendia, rerum meliore successu, numeratum iri. Cæterùm Principi placere, vt in hebdomade, semel atque iterum altercationibus audiendis operam darent: & interim eorum aliqui in Classem inquisitoriam secederent, litium breuiaria, quæ inquisitoriæ disquisitionis essent, inspecturi, & ea, cum ipsis litiū instrumentis allaturi, quas ad maius postea tribunal disceptandas, reliquæ Curiæ renuntiarent. Quod cùm fieret, addubitatū est, Curiæ sententiæ, de scriptis huiusmodi litibus, sic ad maius tribunal latæ, Placita, an Iudicia essent appellanda. ET Iudicia placuit appellari: quo nomine appellata fuissent, si per eam publicæ pecuniæ angustiam, ipsi inquisitoriæ Classi, cuius earum litium propria erat disceptatio, esse licuisset. IX. Cal. Mart. M. CCCC. XXXII.

II.

REM ab altera Classium inquisitoriarum iudicatam, quòd de ea Quatuorprimi addubitarēt, à Primanorum Classe, prioribus adhibitis iudicibus, rursum disceptari placuit, XVI. Calend. Febr. M. CCCC. IX. Ex quo licet augurari (mea quidem sententia) quòd quum Amplissimus Ordo, ipsáque (vt ita dicam) Curiæ compages, quæ ex antistitibus, nobilium primoribus, & iurisperitis, aut literatis potius (hoc est, iuris omnis hominibus consultis, ciuilis, pontificii, militaris, atque adeò rerum omnium politicarū, veluti choro iudicum mixtura concinna visendo) erat composita, vrgente causarum multitu- Res ab altera Classium Inquisitoriarū iudicata, rursus à Primanorum classe disceptata.

dine, & rerum cōmoditate poſcente, in parteis diſtraheretur, duǽque primùm claſſes (altera inquiſitoria, poſtea in duas ſubdiuiſa, quòd anno M. C C C. X X. menſe Febr. factum fuiſſe tradunt) conſcriberentur: receptum fuit, aut certè intellectum, vt in primanorum claſſe ſemper eſſent faſces autoritatis, ſemper claſſes idem ſentirēt omnes: v́tque in eam rem, ſiquid noui ac perplexi ſuboriretur, eam claſſem veluti oracularem cæteræ claſſes religioſè adirent. Nec eam coniecturam parum iuuare videtur, quod quācunque claſſem etiamnunc cauſa ſortiatur, ſi quid à Principe ea de cauſa reſcribitur, ſi quid à partibus ſupplicatur, oratur, commentatur, nulla vnquam illius aut illius claſſis, decuriǽue, ſed Curiæ generatim verbis placita cōcipiuntur ac recitantur: ídque in maximo tribunali, è codice plurimùm ab Actuarii amanuenſibus: interdum autem, veluti ad Natalitia, Liberalia, & alia id genus, more maiorum viciſſim à Quatuorprimis, frequentibus Conſcriptis aſſidentibus, inſigni purpura ſpectabilibus, ex omnibus claſſibus ad certum numerum coactis, & quaſi earum aut cunctæ potius Curiæ vice fungētibus. Vnde placita non niſi maioribus comitiis, aliquando recitari ſolita, non abs re fuerit exiſtimare. Ad hæc, placita, ſi, vt exequantur, ab officio conſignata auferenda ſunt, Regiis concepta verbis, non de claſſis vllius, ſed Curiæ ipſius ſententia, ab Actuario ſubnotantur: præterquam in publicis aliíſque criminoſis iudiciis, quæ ſanguinario Amanuenſi (nam olim ſic fuiſſe vocatum audiuimus, quem nunc Scribam criminalem appellant) ſubnotante, profanis Curialibus, vel (vt aiunt) Laicis, aſcribuntur. Nobis enim (inquiunt initiati, vt eſt in Euangelio) non licet interficere quenquam. His omnibus adductus, nequeo non demirari qua mente, quóue conſilio, vir noſtra ætate clariſſimus, de re literaria optimè meritus, & quem in ore atque oculis fero, aliquo in loco ita ſcripſerit. Curia (inquit) æquabili iuriſdictione per omneis claſſes, non vſqueadeò aſtricta eſt, vt idem eadem de re omnibus cenſere neceſſe ſit: id quod nonnunquam exemplorum varietatem efficit. Eſt enim pauciſſimis de rebus, ſuus cuiuſque claſſis ſenſus, etiam perpetuus: refértque in iis ſpeciebus plurimùm ad iudicii euentum, qua quidque in claſſe iudicetur. Et alio in loco, Quibuſdam in rebus in iure ambiguis & controuerſis inter iuris autores, vnius claſſis pla-

» citum, aliis non est prærogatiuum: adeò vnaquæque classis Curiæ
» quidpiam habet sui, quod extra fines illius, exemplum non statuit.
Nequeo (inquam) non demirari, cùm ille idem alibi eodem volu-
» mine, contrà sensisse videatur. Curia (inquit) in arestis suis facien-
» dis, seipsam in posterum onerat, vt iudices obnoxios, exẽplis, & quasi
» præceptis astringit. Postea, Apud Curiam summæ iurisdictionis au-
» spicia sunt, & exempla ius dicendi prodentis. Deinde, Aresta exem-
» plaria, in iudicandis causis, citantur vt canones iuris dicendi. Quæ
sententia cùm Amplissimi Ordinis dignitati magis conueniẽs, tum
certè etiam longè receptior ac plausibilior est. Nec enim quis vn-
quam temerè crediderit fieri potuisse, vt homines numeris omnibus
ad iudicis officium pertinentibus absoluti, (aut enim fuerunt, aut es-
se debuerunt) in Curiarum Curia, Gallici orbis theatro, positi com-
miserint, vt fabula suis partibus omnibus non constaret, hoc est, Cu-
riæ consensus, & perpetui in iudicando tenoris constantia desydera-
retur. Aliter atque si diuersorum temporum, iisdem de rebus, diuer-
sa Curiæ decreta esse dicerentur: non est enim idem omnium æta-
tum sensus: & quædam necessitate, aut temporum iniquitate expres-
sa, vt olim Senatusconsulta quædam, nemo negauerit. Sed eodem
tempore, iisdem de rebus, vnum idem (vt ita dicam) Curiæ corpus,
vnum idem os, calidum (quod aiunt) & frigidum efflare, & varia at-
que interdum ex diametro pugnantia proferre voluisse, puto nemi-
nem existimaturum.

III.

SI ex decem in consilium de lite missis, vnus & alter aut etiam ter-
tius, causam consilii esse ampliúsque deliberandum existiment: nihil
obstare, quin id, quod septẽ constituerint, ab eo, qui præest, pronun-
tietur. VIII. Id. Iul. M.CCCC.XC.

Plurium sententiam obtinere debere.

IIII.

EVM qui litem enarrauerit, ea de lite, classis iudicium perscribere,
cæterísque iudicibus perlegere teneri. XII. Cal. Decemb. M.CCCC.
XXXVII. Decretum, me hercule, sanctissimum: quod quidẽ magna
cum religione, in classibus inquisitoriis adhuc obseruatur. In aliis
verò si quis est, qui eam sui muneris partem, & litigatoribus & toti
Reip. non minus vtilem quàm necessariam, in Actuariorum ama-

Placitũ à litis enarratore scribendum, palámque in classe legendum.

nuenses, suósue reiiciat: si secum ipse reputauerit, quanta mala id aliquando nobis inuexerit, eum mihi facilè persuadeo temperaturum.

V.

Placitorum pronūtiationem, morte Principis, nō retardari.

ΤΩΝ ἀρεσκόντων pronuntiationem, morte Principis, non impediri. VIII. Id. Febr. M. CCC. LXXXIX.

VI.

Placita dum pronuntiantur, libellaribus ad Basilicā Recuperatorib. silēdū.

QVIBVS diebus in solenni purpura, more maiorum, Curiæ placita recitantur, iis, perinde atque altercatoriis, libellares ad Basilicam Recuperatores silere iussi. VII. Id. Decemb. M. CCCC. VIII.

VII.

Placiti pronuntiationē, Regiis codicillis, non sustineri.

PETEBAT Iacobus Borbonius, Regiis codicillis innixus, placiti pronunciatio vt sustineretur. PLACVIT morem codicillis non esse gerendum. X. Calend. Febr. M. CCCC. VI.

VIII.

Rem à Curia iudicatā non nisi supplicatione retractari.

NIHIL profuit, rei inter Cliuensem & Oruallium iudicatæ retractationē, Principis imperio pertētasse. Nam diplomate in eam rem impetrato summotus est, qui id moliebatur, & ad iuris remediū, hoc est, supplicationem, relegatus. V. Non. Maii, M. CCCC. XCIX.

IX.

Annum exequendi placiti nō cedere, si Princeps sit impedimento.

CVRIAE placita, nisi intra annum lege agatur, intercessioni esse obnoxia, res est peruagatissima. Sed si per Principē factum fuerit, vt legis actione supersederetur: cui annus, aut quod ex eo præterierit, imputabitur? PLACVIT, vt ei, secundum quem iudicatum est (quòd per eum non steterit) nihil imputetur. Calend. Septembr. M. CCCC. VIII.

X.

Iussorū Principis repetitorum mentionem, vim notare.

EA quæ posthabitis summæ Curiæ rationibus, Principe iterum ac tertiùm iubente, palàm recitantur, atque in acta publica regeruntur: per vim atque impressionem recitata, regestáque existimari placuit. XII. Calend. Decemb. M. CCCC. XXXVII.

XI.

Quādo dies, Curiæ interfationib. præstituti, cedāt.

DIES intra quos, Curiæ interfationibus, aliquid à litigatoribus alteróue eorū fieri iubetur, nisi ex quo iis, eorúmue Cognitoribus speciatim pronuntiatæ denuntiatǽue fuerint, placuit cedere non debere. IIII. Id. Iul. M. D. XLVIII.

De Tragematis, Tit. V.

I.

xvi. Cal. Iun. M. CCCC. III, verba facta ſunt in Curia, de Tragematis, quæ litiũ inſpectoribus, dum per Curiam liceret, erogabantur: an id quod in eam cauſam impenſum erat, in ſumptibus litium æſtimandis, expenſum ferri deberet. ET non debere placuit.

Tragematũ (quas ſpecies appellarunt) in ſumptib. litiũ æſtimãdis, rationem olim non habitam.

II.

xiiii. Cal. Iun. M. CCCCIII. palàm recitatis areſtis, Petrus Boſchetus, Equeſtris ordinis, è Præſidibus vnus, Curiæ verbis edixit, ſæpenumero ipſi Curiæ allatum fuiſſe, non paucis de Cognitoribus, qui ab iis, quorum lites cognoſcẽdas ſuſcepiſſent, æris vim magnam corraderent, Curiæ nomen litiúmque, tragematis ad cataſtrophen vrgendarum, ſpeciem prætexentes, contra quàm pro Curiæ integritate, iuríſque iurandi, quo illi obſtringebantur, religione deceret. Eam ob rem, Cognitoribus, ni iuriſiurandi temeratores haberi, ordinéque moueri vellent, vetitum eſſe, ne quid eo nomine, niſi Curiæ condonatione, in poſterum exigerent: ſi fortè grauis atque inter dynaſtas cauſa incideret, cùm tragemata ad duas tréſue capſulas permitti ſolerent. O` priſcam integritatem, ſeueritatem, grauitatem, dignitatem! O fœdiſſimum (qui ille cunque fuerit) Midæ contactum, quo ſaccharum, ſaccharóue conditum (quicquid illud erat) factum eſt aurum! Fuit qui diceret (quod & peruagatum eſt) multis antè ſeculis, labores litibus iudicandis impenſos, præmiis etiam numariis penſari ſolitos, quæ dicaſtica, ſportulæ, & (quòd mercedis vocabulum nihil non ſordidum videretur) honoraria appellarentur: itaque coniiciendum eſſe, ea tempeſtate, iudicantibus omnibus promiſcuè tragemata dari ſolita: ſed ea quæ litis inſpectori darentur, veluti corollaria quædam, & ad veras ſportulas fuiſſe acceſſiones. Ego verò contrà vel hoc vno affirmare auſim, quòd aurum ſportularium, etiam nunc tragemata paſſim appellamus, & in articuloſis expenſorum in litem rationibus, adhuc loquimur in hũc modum: Pro litis (dicimus) inſpectæ tragematis, numos aureos duos, vel quotquot impenſi fuerint: neque hoc vnum tantùm aut alterum eſt, quòd nihil planè minus eſt, quàm quòd apertiſſimè ſonat.

Tragemata (quas vocant ſpecies) veteribus quando, & quatenus permiſſa.

III.

Transactarũ litium tragemata, vel (vt aiũt) species, nõ Regi, sed litigatoribus incumbere.

VENIT in disceptationem, iusta sportularia litium inspectarum, quas nescii litigatores transegissent, vtrum à Principe, an à litigatoribus exolueretur. ET id litigatoribus incumbere placuit. Prid. Cal. Decembr. M. CCCC. XCIIII.

De supplicatione, erroris obtentu,

TIT. VI.

I.

Etiã sub erroris obtentu supplicãtes, ex causa in integrum restitui.

TEMPORA aduersus Curiæ placita supplicãdi, & supplicationum lites ad calculos perducendi, legibus definita, vel ætate, vel rerum necessitate impeditis, non cedere: aut si cedant, impeditos restitui posse: Læuisio & Crussolio pronuntiatum est, arestis sextilibus M. D. LI, Vallio, ad primam inquisitoriarum exhedram, litis enarratore.

II.

Aduersus placitũ, de prouocatione à veluti abusu interposita, quando supplicare liceat.

DE PROVOCATIONE à Pontificio iudice ministróue, potestate ac iurisdictione velut abutente, interposita, & Amplissimi Ordinis iudicio confecta, supplici erroris patrocinio, cum Curia expostulantem admittere, durum quidem prima fronte visum est, nouum atque inusitatum. Quia tamen id vnde prouocatum erat, reíuindicationem implicabat, expostulationem admitti placuit. Placitum à Christoforo Thoo Cælio, de iure respondente, sine die citatum. Prid. Non. Iul. M. D. LII.

III.

Re vera errorem placito aliquando irrepsisse.

S I, quem litigatores in consilium misissent, is eos ad seipsos remitteret, litis vtcunque inter se decidendæ gratia: esset, mehercule, quod quis facilius admiraretur, quàm quod æquo animo ferret. Et ego quidem certè reclamanti statim astipularer, nisi compertum haberem, quòd XII. Cal. Aug. CCCC. VIII, lite aresto dirempta, & sub erroris titulo ad disquisitionem reuocata, ipsóque aresto rursus in consilium misso, Patres Conscripti in tam diuersa transierunt, vt de partibus ad decisionem adigendis cogitaretur. Sed tandem errorem irrepsisse conuênit.

Placitorum summæ apud GALLOS CVRIAE LIB. VI.

De summis vectigalium Iudicibus, ET QVAE SIT EORVM IVRISdictio, TIT. I.

I.

SALINATORE, eodémque Regio Amanuensi, apud summos vectigalium Iudices reo peracto: eis euocatis atque auditis, pronuntiatum est, de salinatoria quidem, quantum illi cunque vellent, iudicare licere: sed hominis caput, existimationem, Amanuensis munus, cæteráque omnia illis esse sacrosancta. Itaque dum suis partibus functi essent, hominem ad sua iura, hoc est, ad Curiam esse relegandum. XVI. Cal. Iulii, M.CCCC.XCIIII.

Olim capitale iudicium summis vectigaliũ Iudicibus interdictum.

II.

SVPERIVS placitum quidam eò referunt, quòd Regii Amanuenses eximio quodam iure sint præditi. Alii quòd huiusmodi iudicibus certo causarum, puta oblationalium atque indictionalium, generi attributis, extra eos cancellos egredi, longiúsque excurrere non liceret. Proferũt, sed sine die exemplum, cùm apud eos iudices, summæ, suæ iurisdictionis liti, quæstio capitalis incidisset, & ii vtrique iudicandæ incumberent: Principem huius rei admonitum, & illis & Amplissimo Ordini rescripsisse, illis, vt de summa lite: huic, vt de capitali quæstione decerneret. Allegát alii, in actis eorum, capitale iudiciũ ad marginem connotatum, picto lictore, capitis damnatum obtruncante. Sed vtcunque sese res habeat, hacce tempestate, in ore atque oculis omnium, in specie, quam nunc proferimus, legis Corneliæ iudiciũ exercuerunt. Treueterreo oblationem, aliúdue id genus petenti, is vnde petebatur, generis claritatem opposuit, approbauit, ac tandem vicit. Litis æstimationem postulanti Treueterreus ita præscribit, Præterquam si de ea re transegimus, & pactam eo nomine pecuniam tibi numeraui. Vt transactione, ita & nume-

Summos vectigalium Iudices capitale iudicium exercuisse.

ratione pernegata, decreta est inquisitio: decem nebulonibus testimonium à Treueterreo denuntiatur: ii pro testimonio dicunt. Corrupti falsum dixisse accusantur: διάκρισις constituitur, & ita præscriptioni quæstio capitalis agnascitur. Breuiter ii omnes, cum Treueterreo subornatore, criminis comperti, horum iudicum, etiam vltimùm iudicantium sententia damnantur: subornator, & octo ex subornatis, ad furcas: reliqui duo, ad calamitosam ἐξομολόγησιν, XVII. Cal. Iulii, M.D.LI. Quo die ad forum venalium, octo illi quadrifida furca, vna & altera, quaterni suspendio vitam finierunt. Subornator autem summa scala conscensa, quæ simplici furcæ, in medio positæ, admota erat: cùm, resti ceruicibus insertis, tantùm non strangularetur: & ad spectãtium coronam verba faciens, extrema omnia se commeritum profiteretur: præque omnibus se dolere clamaret, sua vnius causa, octo vitam morte, duobus existimationem summa ignominia fuisse commutatam, atque ita miser miserè tempus extraheret: furca, pedis vitio, cum scala, lictore, suspendiosóque collapsa, ope aliquorum adstantium, qui illi restim ac vincula consciderunt, pileúmque & vestem, ac (vt nonnulli volunt) equum subministrarunt, sese ipse iuri ac legibus eripuit.

De officio Octouirorum monetalium, et avrificibvs,

TIT. II.

I.

Ad VIII Virorũ monetalium notionẽ quæ pertineant.

INSPECTIONEM, atque alia omnia quæ aurificibus præscripta sunt, ipsa etiam eorum opificia, ad Octouirorum monetalium notionem pertinere, IX. Cal. Mart. M.CCCC.LXXXVIII.

II.

Aurificibus monetam redimere non licere, nisi VIII Virorũ monetalium arbitratu.

PRIDIE Cal. Ian. M.CCCC.XXI, in fiduciæ speciem, placuit æs signatum sublatum, conflaríque iussum, quod antiquo sestertio, nostrísue decem denariis, non pluris, indicatum fuisset, aurificibus redimere licere: monetam nequaquam. Quòd si eius indigerent, illis Octouirorum monetalium arbitratu prospectum iri.

III.

Aurifices auro, argẽto im-

SANCTIONE vetitum est, aurifices in fabricandis operibus auro,

argento improbo ne abuterentur: néue quicquam expolirent, quod antè non signassent. VI. Id. Mart. M. CCCC. XXVIII. probo ne abutãtur, néve quid expoliãt, quod antè non signarint.

De officio Præfecti vrbi, eiúsque

LEGATORVM AC RECVPERATOrum, déque Præfecto vigilum, Conquisitoribus vrbanis, Actuario & Signatore,

TIT. III.

I.

PRAEFECTO vrbi de medio sublato, censuerat Nomophylax vnà cum Prætoriano Consilio, vt quandiu eius magistratus interregnum esse contingeret, Legatus rerum priuatarum iudex, eo fungeretur. Curiæ contrà, Regio Cognitori eam prouinciam mãdari placuit, V. Id. Mart. M. CCCC. XX. Quod ad nostra quoque tempora vsurpatum est: & hoc, me hercule, nequeo non demirari. Enimuero Cognitoriũ munus & Præfectura, duo sunt magistratus tot numeris inter se dispares, vt nec alter alteri iungi, nec ambobus idem perfungi possit: quibus è numeris (neque enim omnes hîc percurrere necessarium arbitramur) satis hæc tria factura puto. Vnum, quòd iste ab Amplissimo prorsus Ordine alienus, angustis quibusdam finibus concluditur: illius verò potestas tam latè patet, quàm ditio, quàm imperiũ ipsius Ordinis Amplissimi, cui additus ac propemodum insertus est. Quod, vel hoc vno licet deprehẽdere, quòd Curialibus in prouinciis, qui res Principis agunt, huius magistratus, non suis Procognitorum auspiciis agunt: quorum etiam acta, si ad Curiæ disquisitionem reuocentur, ferè eatenus aut rata aut irrita, quatenus ab eo magistratu agnoscuntur aut abnuuntur, euadere solent. Alterum, quòd alter magistratus, alteri nihil non est obnoxius. Nam si Præfectus, dolo malo, in fraudem legis, sententiam dixisse, hoc est gratiæ, vel inimicitiæ, vel sordibus dedisse, aut in controuersiæ specie concipienda, & iure expendendo reddendóque hallucinatus fuisse, atque ita litem suam fecisse dicatur (qua in specie receptum est prouocatores iudicibus, vt priuatis, diem posse denuntiare) Regii Cognitoris primæ sunt partes, rem (scilicet) quæ

Interregno Præfecturæ vrbi, Regium præfici Cognitorem.

ſit, vt æſtimet: & ſi Præfectum, Legatúmue integrum, innocentem, officióque ſtrenuè functum inuenerit, totam eius cauſam complectatur: ſin minus, non modò eum ſuæ tutelæ relinquat, ſed & (ſi res ita poſtulauerit) in eum inſurgat, mulctámque vel libello vel oratione irroget. Quòd ſi Cognitori, inito eo interregno, tale quippiam contingeret: dubio procul oporteret eum, aut duas eadem in ſcena ſuſtinere perſonas, aut Cognitoriam interea deponere. Dixerit aliquis, Subſtitui poſſet, qui tãtiſper dum ea res ageretur, pro Cognitore fungeretur. Scilicet ſubdititius ille (vt ferè hominum mores comparati ſunt) non apud ſe reputaret, magiſtratum, cauſam de exiſtimatione dicentem, nullum non moturum lapidem, nihil non moliturum, quo vel ſuperior euaderet, vel vtcunque, etiam per paluſtria (quod aiunt) ſeſe reciperet, quos ſibi infenſos fuiſſe exiſtimaret, odiis poſtea exerciturus? At ſubdititia illa iuſtitiæ machinula, non niſi organis duobus illis, Regiis Cauſidicis moueretur. Moueretur quidem, ſed neque hoc omni ex parte, fortaſſe ſatis tutum. Tertium, quòd tanta eſt, tam magna, tam ardua hæc Cognitoria perſona, vt cui ea cunque impoſita fuerit, ſi parteis eius omneis perluſtratus, germanum in modum eas agere inſtituerit, vix oneri ferendo ſe parem, vix (inquam) auſit affirmare: tantum abeſt vt etiam Præfecturæ ſufficere valeat. Is enim magiſtratus (Cognitorium dico) ille eſt (vt graphicè depingit Budæus noſter) in quem omnes ſuas actiones Princeps, populus, vniuerſi, tranſcripſerũt: aſylum legum, arx iuſtitiæ: innocentiæ aut vim paſſæ, aut iudicio circunuentæ propugnaculum: interceſſor rerum malarum, ſuaſor rerum bonarum, præſentis ſemper animi actor & defenſor, de ſententia iuris & æquitatis. φορτίον νὴ Δία βαρύτατον, & cui leuando, non ſine magna ratione, Cognitori dati ſunt duo illi, quos ipſe habet à conſiliis atque orationibus.

II.

Apud quem nouus vrbi Præfectus ſacramento dicere habeat.

PRAEFECTVM vrbi, à Curia, non etiam à Nomophylace, tyrocinii ſacramento rogari ius eſſe. Itaque ea pars codicillorum, qua id Nomophylaci mãdabatur, inducta, quódque de accepto iureiurando adſcriptum erat. Prid. Nonas Febr. M. CCCC. XXI.

III.

PVBLICANVM, qui, ob vectigal, pro sua libidine non solutū, in macellarii, procul Lutetiam properantis, vasa viatoria equósque manū iniecerat: & ad Præfectū vrbi in ius vocatus, ac fori præscriptione summotus prouocauerat: PLACVIT rectè atque ordine summotū fuisse. Enimuero ad iudicis huius cognitionem pertinere, ne à quoquam, Regiæ vrbis annona vsquam attentetur aut vexetur. Et insolita vectigalia exigere, quid aliud est, quàm macellarios vel deterrere, vel tepefacere, atque adeò vexare annonam? Ex tēpore, ad exhedram rerum capitalium, IIII. Nonas Iulii, M.D.LI.

Macellariorū vndecunque Lutetiā properantiū tutelā, ad Præfecti vrbi curā pertinere.

IIII.

ID quod vulgò dicitur, Præfecto vrbi ius esse de iis rebus, quæ eo signatore aguntur, & consequentibus cognoscendi: à paciscentibus & eorum hæredibus, ad tertios possessores non produci placuit. Ex tempore, III. Id. Mart. M.D.XLIX. Riantio & Roberto causam orantibus.

Signatoria Præfecti vrbi iurisdictio quousq; producatur.

V.

PRAEFECTO vrbi, viarum purgandarum curam imponi placuit: potestate ei facta, quoslibet, etiam priuilegiarios, omni intercessione atque etiam prouocatione sublata, coërcendi. X. Cal. Sept. M.CCCC.LXXVI.

Viarum purgandarum cura Præfecto vrbi mādata.

VI.

VIARVM in vrbe Regia purgandarum impensam ciuibus ipsis, pro ædium cuiusque ratione, incumbere placuit, IX. Cal. April. M.D.VI. Quod longo pòst tempore, ipso ab Ordine Ampliss. repetitum, tandem in legem à Principe translatum est, Gulielmo suadente Poyeto, Nomophylace. Ex qua lege, certi numi singulis ædibus sunt impositi: quibus exigendis, eámque in rem impendendis, certi ex mechanicis (quos vocant) vicissim per vrbis regiones assignantur: eius rei cura nostris AEdilibus, hoc est, Regionariis Cōquisitoribus, sub Præfecti vrbis potestate constitutis, attributa. Puto equidem neminem non esse memorem, quam ipse prouinciam susceperit: neminem in officio non perstare arbitror: sic enim omnes (quādiu (quod dicitur) nihil aliud paret) de omnibus existimare debemus. Sed verò dum rem cùm ciuibus tum peregrinis iucundissimam ac

Viarū purgandarū impensa quibus imposita.

ſaluberrimam, tam bene conſtitutam, tam diligẽter cogendis in nummis, cætera tam negligenter adminiſtrari videmus: facere nequeo, quin aliquid mihi de concepta minuatur opinione.

VII.

Præfecto vrbi, quòd admittẽdo apparitori operam dederit, nihil deberi: Amanuẽſib⁹ & Signatori contrà.

PRAEFECTVM vrbi, quòd oblatos apparitorii muneris codicillos perlegerit, eos apud ſe palàm recitari paſſus ſit, viatorem ſacramento rogauerit, quicquam ab eo capere non poſſe: Amanuenſes, pro earum rerum elogio, Pariſiorum quatuor aſſes: Signatorem totidem poſſe, interfatum eſt, VIII. Cal. Febr. M. CCCC. XXII. Poſtea verò ſummæ rei iudicio decretum, VI. Id. Maias, quæ proximæ fuerunt.

VIII.

Delibatam Suppræfecturæ vrbi iuriſdictionem aliquãdo redintegratum iri.

CVM M.V. Præfecti vrbi, quòd ad priuilegiorum à Regibus Academiæ irrogatorum aſſertionem vindicationémque pertinet, vicarius, ætate florens ac valens, I. M. Legatum rerum priuatarum iudicem, iam ætate prouectum, corporéque nonnihil obnoxium animaduerteret: à Rege poſtulauit, vt altero eorum vita excedente, munus muneri inſereretur. Euocato I. M. atque audito, Rege ipſo, in ſanctiori interiorique conſilio diſceptatore, ſupplicator poſtulatione excluſus eſt: edictóque ſtari placuit, quo Rex Franciſcus Valeſius primus conſtituit, vt eo decedente, qui hoc munere fungeretur, delibata decerptáque iuriſdictio Suppræfecturæ rerum priuatarum, vnde excerpta fuerat, reſtitueretur. Decretum palàm in Curia de Regis imperio recitatum, XII. Cal. Febr. Anno *

IX.

Suppræfecturæ vrbi Recuperatores, qua hora, & quomodo ius dicere habeant.

AD XIII. Cal. Mart. M. CCCC. XXIIII. factum eſt Curiæ conſultum, de præfecturæ vrbis Recuperatoribus. PLACERE vt ii à decima ad vndecimam ſederent:

Vt cauſa ab vno cognoſci exorſa, alteri ſancta eſſet.

Vt cauſæ, ab ipſis earum Cognitoribus, non ab eorum amanuenſibus agerentur.

X.

Ab ipſo vigilum Præfecto, ſuas officii ædes eſſe incolendas, nõ locandas.

DOMICILIVM Præfectis vigilum Lutetiæ, non abs re à maioribus, vbi eſt, fuiſſe conſtitutum. Stat enim vrbe media, ad caſtellum Præfecto vrbi, iuri dicundo attributum: quò & vigiles ipſi cõuenire

ſolent. Itaque eas ædes locari non licere, ſed ab ipſo Præfecto vigilum Suppræfectóue, ſui muneris iugiter obeundi cauſa, perpetuò incolendas eſſe. Ex tempore VII. Id. Ian. M. D. XLVIII.

XI.

VRBANOS Conquiſitores ac regionarios, de rebus controuerſis, ſine cuſtode, inquirere non poſſe. IIII. Non. Ian. M. CCCC. LXXXVII. Ab vrbanis Cõquiſitorib. de rebus cõtrouerſis, ſine cuſtode, rectè non inquiri.

XII.

PRAEFECTVRAE vrbis actuario vetitum, pro inſtrumenti ex indice recognitione (quam vulgo collationem appellant) quicquam accipere: niſi id illi iudex æſtimandum eſſe duxerit. III. Non. Apr. à Martinalibus M. D. VII. Pro inſtrumẽti recognitione, actuario nihil deberi, niſi iudex æſtimauerit.

XIII.

SIGNATOR vrbi Præfecto deſtinatus, illicitarum capturarum poſtulatus eſt: quòd publicas prædiorum in auctionibus addictorum autoritates, à ſe conſignatas auferri non pateretur: niſi duobus Pariſiorum aſſibus, in quanque membranam perſolutis, totidémque in ſingulas creditorum interceſſiones, ſiue addictionem præceſſiſſent, ſiue eam eſſent inſequutæ. Defendebat Signator, ſic à maioribus eſſe factitatum: ideóque id ſe ſuo iure ſibi vindicaſſe. PLACVIT, pro cuiuſlibet autoritatis conſignatione, etiam ſi mille membranas occupet, vltra duos aſſes, nihil deberi. Omnibus enim, ſuo cuiuſque ordine, bitumine commiſſis, poſtremæ, quaſi ea vna cæteras complectatur, vna manu, non niſi vnum appendi ſignum. Pro qualibet interceſſionũ addictionem inſequentium, totidem aſſes eſſe præſtandos: quòd apud Signatorem fiant, & is eas in commentarios referre teneatur: aliarum addictionem antecedentium, rationem haberi non licere: quòd ad Signatorẽ nihil omnino pertineant. Cæterùm quòd ille aſſiduus non eſſe diceretur, certis ac ſtatis horis, hoc eſt, à ſeptima ad vndecimam matutinam, & à ſecunda ad quintam pomeridianam, iuſſus eſt in officio permanere. Ex tempore, XVIII. Cal. Ian. M. D. LII.

Signatoris Præfecturæ vrbi ſalariũ, quòd ad publicas prædiorum addictiones attinet, conſtitutum.

Signatori vrbicæ præfecturæ aſſiduitas imperata.

De Præfectis prouinciarum, & aliis REGIIS IVDICIBVS, TIT. IIII.

I.

Prouinciis Præfectos aliquando per vicarios, in Curia, sacraméto dixisse.

NOSTRA memoria, qui prouinciis præficiūtur, antequam ineant magistratus, à summa Curia, præsentes solenni iureiurando adigi solent. Verùm inuenimus, nec vnum aut alterum, superiore seculo, per vicarium sacramento dixisse: puta, iuridicum Tolosatem, IIII. Non. Octobr. aquis saltibúsque Præfectum, XIII. Cal. Nouembr. M.CCCC.XVII. Diœcetam Carcasianum. Prid. Calend. Martii M.CCCC.XVIII.

II.

Litiū, de stationibus & aliis id genus imperatis, germanam prouinciis Præfectorum esse iurisdictionē.

SI stationes, stipendia peditum, fossores, equos tormentarios, viaticum, aliúdue id genus, Princeps imperauerit: iísque de rebus lites vllæ suboriantur: germanam earum cognitionem ad iuridicos prouinciis Præfectos, non ad Oblationales vel indictionales pertinere.

III.

Suis in Curia prouinciarū dieb. Præfectos adesse debere.

PROVINCIARVM Præfectos statis ac legitimis diebus suis in Curia adesse debere. Id. Decembr. M.CCCC.LIII.

IIII.

Vnum è celebrioribus placitis, Prætorū & prouinciis Præfectorum cōtrouersias dirimentibus.

FVIT, me hercule, nostra patrúmque memoria, vt, aurei illius seculi vestigiis aliquot adhuc manentibus: magistratus hominibus, non homines magistratibus ornarentur, nec quisquam ad honores sordibus eueheretur: vtque Iustitiæ, à suis (vt ita dicam) sacerdotibus, maioribus semper hostiis litaretur. At verò posteaquam rei (vt prætexere solent) numariæ difficultate, magistratus muneráque publica nundinari cœperunt: præter innumeras malorum myriades, quæ hinc Reip. inuectæ sunt, hoc quoque nec minimum obrepsit: vt administri Iustitiæ dati, à ciuium litibus minuendis ac conficiendis, ad suas de magistratibus, muneribus, eorúmque iuribus texendas, saxúmque iudiciale voluendum auocarentur. Itaque factum est, vt nō modò eorum litibus, atque in primis Prætorum & prouinciis Præfectorum, sæpenumero Curia flagraret, sed & cæteris propè tempus eximeretur. Inter cætera, iis de rebus, Curiæ placita, illud in primis celebratur, quod recitatum est IX. Calend. Ian. M.D.XLIII,

Litigatoribus Maturino Galtero, & *

V.

POLITICAM in Turones iurisdictionem cùm Prætor à prouinciæ Præfecto vindicaret, dicebat, Si veteres Prætorum cum Præfectis prouinciarum ea de re controuersias instaurare liceret, esséntque rationes vtrinque repetendæ: posse, vel prima actione, nec admodum magno negotio, planum se facere, Prætorũ causam multis semper numeris fuisse superiorem. Sed celeberrimo Francisci edicto, quod à Cremio nũcupabatur, explosis omnibus omnium Præfectorum rationibus: & contrariis vel legibus, vel moribus, vel decretis quibuscunque antiquatis: huiusmodi iurisdictionem disertè ac nominatim Prætoribus esse attributam. Edictum non modò summa in Curia, verumetiam Turonibus palàm recitatum, & in acta publica regestum, ac religiosissimè obseruari iussum: neque vnquam à quoquam fuisse reclamatum. Quæ cùm ita se haberent, quid Præfectis superesset, cur adhuc alienam iurisdictionem vsurparet? Præfectus contrà, Post Turones natos, edictúmque promulgatum, ea se iurisdictione semper vsum: atque ita è re cùm Regia, tum publica factum oportuisse. Turones enim penè omnes, quòd ad primariam iurisdictionem attineret, diuersarum esse ditionum: paucos admodum, aut certè nullos, Principis: alios Antistitis: alios Gacianei, alios Martiniani Sodalitiorum: alios Iulianei, alios Maioris monasterii cœnobiorum: quorum Iuridicos, tametsi Principalibus inferiores, quis vnquam Prætori, à quo Præfectus prouocaretur, putaret esse parituros? quod prudenter animaduerterant, qui Turonibus Helionoræ, Francisci viduæ, assignatis, rem eius Turonicam constituentes, hanc suam Præfecto permiserant ἀστυνομίαν. In summa, Prætoris iurisdictionem, omni memoria, vsque adeò fuisse leuem, obscurã, & contemptã: vt non aliter, quàm in priuati conductis ædibus, ius illi dicere licuisset. PRONVNTIATVM est, amplius esse deliberandũ: interea tamen Prætoris, vtpote qui Principis edicto niteretur, politicam fore iurisdictionem. Cæterùm placere, vt quo Præfectus loco ius diceret, eodem & Prætor, sed aliis diebus, dicere posset. XVII. Cal. Febr. M. D. LIII.

De politica in Turones iurisdictione, secũdũ Prætorem dictæ vindiciæ.

Eodem loco Prætorẽ, quo prouinciæ Præfectum, sed aliis diebus, ius dicere posse.

L.iii.

De honorariis Iudicum obnoxiæ

SENTENTIAE, TIT. V.

Sportulæ, tragemata, species (vt vocant) iudicibus qualiter habendæ.

DISPLICVIT Ambœsiæ Præfectum, vim auri à litigatore, tragematum nomine, semotis (quod aiunt) arbitris accepisse: illíque vetitum est, nequid in posterum tale committeret. Cæterùm rem tragematicam ita constitui placuit, vt litium, quas postulantibus litigatoribus ille inspexisset, iudicasset: tragemata, non suo vnius arbitrio, sed de omnium sententia, qui illi in consilio adfuissent, æstimarentur. AEstimata, darentur Actuario: à quo ille acciperet, séque accepisse testaretur, breuiculo sententiæ adscribens, quod, à se & aliis, qui sententiam dixissent, subnotatum, apud acta deposuisset. Sic enim omnem absore sordium suspicionem. Placitum extemporale, pomeridianum, VII. Cal. Sept. M. D. XXX.

De Regiis Subcausidicis & Procognitoribus,

COGNITORIBVS, TIT. VI.

I.

Regio Subcausidico & Procognitori, quòd in causa priuata, Regi dederint operam, à priuatis nihil deberi.

AMBOESIAE Præfectus Regiis apud se Causidico & Procognitori, quòd criminosæ liti publicam operam dedissent, honorarium in priuatos litigatores æstimauerat, exigíque iusserat, omni posthabita prouocatione. PLACVIT perperam esse factum, vetaríque ne vnquam tale quicquam admitteretur. Placitum extemporale, pomeridianum, VII. Cal. Sept. M. D. XXX.

II.

Vt Regius Subcausidicus & Procognitor sua consilia vnà cõmunicent: & si dissideant, quid facere habeant.

CAVSIDICI & Cognitoris munera, vel publica, vel priuata, quãquam & nomine & functione inter se differunt: intentione tamen ac fine copulantur, & eodem vtrunque collimat. Proinde oportet eos summa fide continentiáque præditos, sua consilia vnà communicare: & per se ipsos (si qua ratione fieri possit) aut (si res ita postulauerit) Palæmonis alicuius, pluriúmue interuentu, semper in idem conspirare. Qua in re cùm à quibusdam Regiis Subcausidico & Procognitore grauiter peccari allatum fuisset: eos, videlicet, penè omnibus horis, omnino diuersa atque ex diametro pugnantia sentire facerèque: Regiæ ac publicæ procurationis Triumuiris postulantibus,

huiusmodi Subcausidico & Procognitori, Curiæ verbis imperari placuit: vt quæ ab eis è re Principis populíque agẽda, postulanda, persequenda, defendenda esse viderẽtur, inter se conferrent. Si quidẽ consentirent, rem bene se habituram: si verò dissiderent, vnum ex veteranis primi nominis Causidicis adsumerent, cuius autoritati parerentur. Imperium Ordinis Ampliss. si detrectarent, eum facinus grauiter animaduersurum. Ex tempore XVII. Cal. Febr. M. D. LIII.

De Militaribus rerum capitalium

QVAESTORIBVS, TIT. VII.

I.

PRAEFECTORVM prouinciarum, in militares rerum capitalium Quæstores, placuit imperium esse nullum. Ex tempore, III. Id. Decẽbr. M. D. XLVIII. Litigatores Suppræfectus Laudunensis, & Laurentius Polalerius Quæstor.

Militares rerum capitalium Quæstores, prouinciarum Præfectis nihil esse obnoxios.

II.

REGIORVM codicillorum, vel noxæ reos eximentium, vel insontes commendantium comprobationem, ad militares rerum capitalium Quæstores, tametsi alioqui sua sit iurisdictio, non pertinere. Eodem die, iisdémque litigatoribus.

Venialiũ & aliorũ id genus diplomatũ cognitionẽ ad militares rerum capitalium Quæstores nõ pertinere.

De inquisitoribus in genere,

TIT. VIII.

I.

INQVIRENDI, aliúdue agendi prouincias, non aliis quàm Curialis ditionis magistratibus esse decernendas. Prid. Id. Ian. M. CCCC. XCIIII. Quod ad nostra quoque tempora valuit, sed nunc paulatim abit in desuetudinem: tametsi optima ratione introductum esse videatur. Siquid enim animaduersione dignum, suscepto in munere admissum fuerit: planum est, facilius esse huc eum euocari, qui nostræ, quàm qui aliæ sit ditionis: quod non sine alîus Curiæ, vel Principis venia fieri solet. At eã impetrare, neque minimi semper est sumptus neque negotii.

Inquirendi prouincias Curialis ditionis magistratibus, nõ aliis, decernendas.

II.

DE controuersia, quam Turonicus Inquisitor, certis de sui mune-

Regulariter, Inquisitoris

esse, de omnibus sui fori cõtrouersiis, quæ facti sint, inquirere.

ris iuribus, habebat cũ Iuridico eius prouinciæ maiore, PLACVIT vnius Inquisitoris partium esse, de omnibus facti cõtrouersiis inquirere: præterquam de quibus eam sibi Iuridicus prouinciam reciperet: quod cùm faceret, Inquisitore, non alio, subscriptore vteretur. Cæterùm si litigatores inquirendi prouinciam peregrè mandari postularent, esse audiendos. IX. Cal. Febr. M. CCCC. LXXXVIII.

III.

Ne Inquisitor, sine obseruatore, testem roget.

INQVISITOREM seorsum ab optione, aut alterum ab altero non rogare testes, quanti nostra intersit, nemo non videt. Hoc igitur mulcta graui denuntiata, iure optimo, Curia vetitum voluit, V. Id. Febr. M. D. XLVII.

IIII.

Inquisitiões, quas vulgò Informationes appellãt, priuatim nõ habẽdas, sed apud acta deponendas.

REORVM elogia priuatim nemo habeto.
Ea apud acta publica deposita sunto.
Curiæ consultum, factum IIII. Id. Ian. M. CCCC. LXXXVII.

De pactorum Perscriptoribus,

TIT. IX.

I.

Pacta, corã paciscẽtibus à Perscriptoribus (quos Notarios vocãt) perscribẽda, perscriptáq; perlegenda.

PVBLICOS pactorum Perscriptores, quos nostri homines Notarios appellant, coram paciscentibus pacta perscribere, perscriptáque perlegere oportere. Prid. Non. Septemb. M. CCCC. XXIII.

II.

Ad Pactorũ Perscriptores spectare, bona recognoscere, familiam erciscere, cõmune diuidere.

PACTORVM Perscriptoribus, non etiam Quæsitoribus vrbanis ac regionariis, bona recognoscere, familiam erciscere, commune diuidere ius esse: Quæsitoribúsque vetitum, ne quid contrà moliri auderent. VI. Id. Apr. Anno à Martinalibus. M. CCCC. XXIII.

De secundariis, vel non Regiis

IVDICIBVS, TIT. X.

I.

Iuridici Alẽconii ducis conuẽtus vt agerentur, & quib. de reb. in eis iudicare fas esset.

ALENCONIO Duci Iuridicos agere cõuentus, quod Scacarium appellant, Curiæ decreto licuit quidem: sed verò quodam modo mutilos, nihílque non obnoxios. Nã præterquam quòd duntaxat quædam autoritas erat, iudiciúmque fiduciarium: nõ antè licebat, quàm

maioribus, nẽpe Regiis, captis auſpiciis, veniáque impetrata aliquot è Curiæ Conſcriptis cooptandi: qui, cùm aliis à Duce deſignatis, deſignandíſue, prædiarias lites, aliáſque legibus ac moribus patriæ comprehenſas, vltimùm iudicarent: receptis interim de vi, à Duce ſuíſue eius mãdatu illata, agnitáue, iuríſque pernegatione, iudiciis: ac Epiſcopatuum, Regaliorúmque, & iuris prodendorũ ſacerdotum, in locum demortuorum ſufficiendorum, controuerſiis: maieſtatis etiã aliorúmque criminum ſpeciebus eximiis: nulláque ſummi imperii captione. Placitum recitatum VII. Id. Iulii, M. CCCC. LXXXVII.

II.

PENES collegia iudicum, Regiis auſpiciis iudicantium, id honoris ſemper fuit: vt eorum acta, decreta, placita, in cuiuſque collegii verba, nullius iudicum nomine perſtricto, conciperentur: neque vlli alii iudices eo honore digni ſunt habiti. Quapropter & multis Curiæ Conſultis, vetitum eſt, conditionis obnoxiæ conuentus agẽtibus, ne quid edant ſine ſui nomenclatura.

Alios à Regiis, conuentus agentes, nihil edere debere, ſine ſui nomenclatura.

De viatoribus, Tit. XI.

I.

ELEGANTER & rectè à maioribus celebratum eſt, ſuum digno cuique honorem eſſe tribuendum. Et ſi cui dicendus eſt dies, vel in eum lege agẽdum: quid viatori, vel etiam Principis ipſius abrogatur dignitati, ſi eum, in cuius ditione id fieri contingit, viator primùm ſalutauerit, ab eóque petierit, vt ſibi ea in re, imò verò Principi, cuius miniſter eſt, non modò per ſuos adſit, ſed per ſe quoque, ſi res ita poſtulauerit? Quod cùm à viatoribus negligi, Dux Vindocinenſis quereretur: illis omnibus vetitum eſt, ne quid intra ditionis illius fines, niſi petita venia, pro poteſtate agerent: præter eas ſpecies, quæ in lege, à Philippo Pulchro, de ea re lata, ſunt enumeratæ. Ex tẽpore, Pridie Id. Aug. M. D. LII.

Viatores aliquid pro poteſtate acturi, vbi, & quãdo, veniã petere habeãt.

II.

AD III. Id. Sept. M. CCCC. XXVI, viatoribus initiatis imperatum eſt, vt intra Candelalia & vxores ducerent, & perſonã, x. Calend. Nouembr. quæ proximæ fuerant, ei ordini præſcriptam, induerent: alioqui fore, vt ipſi ordine mouerentur. Quæ quibus de cauſis conſtitui

Viatorib. vxores ducendæ, & certæ induẽdæ perſonæ.

debuerint,temperamus: finem tantùm dicimus, quem præcipuum existimamus,vt,ſcilicet, eiuſmodi homines, ſancti verticis præſidio, ſua ſponte caſſi, & facilius continerētur, & ſi quicquam ſecus admitterent,ad pœnas commodius repoſcerentur.

III.

Viatores renuntiare debere, nō modò quid cuiuſque nomine fecerint, ſed & quo rogante,vel inſtigante.

SATIS exemplorum editum eſt vnius in Repub.mali,vt non minus ei,quàm cæteris medendum eſſet. Enimuero fuerunt (vtinā amplius non ſint) homines multi, tam improbè litigioſi,vt aduerſarios propriis litibus exercentes, non antè ſuo ſatis animo facerent, quàm ſi alienis, aut redemptis ex profeſſo, aut vſurpatis clanculum, etiam diuexarēt. Inter cæteros,quibus id calamitatis à foro vſu venit,fuere, nec vnus aut alter, quibus ipſi Cognitoriam operam impendimus. Vnus præcipuè, cùi ob litem vſqueadeò infenſus fuiſſet aduerſarius, vt in iuueniles hominis annos curioſius inquireret:& multis iam annis decretam corporis comprehenſionem, non modò ſuis partibus planè defunctam,ſed & reo iam olim comperendinato, exuſcitaret, efficerétque vt is duceretur:iis,ad quos ea res pertinebat,nec opinātibus. QVA DE RE poſt alia multa inter priuatos lata iudicia,tandē in cōmunem omnium vtilitatē, ad VI. Id. Iul. M.D.XLVI,factum eſt Curiæ Cōſultum:quo apparitores iuſſi ſunt omnes,lege cùm egerint, non tantùm quid cuiuſque nomine fecerint, renuntiare: verumetiam quo inſtigante, cuiúſque per manus id acceperint, vnde à ſe lege ſit actum.

IIII.

Viatori,de rogante,vel inſtigāte renuntianti, fidem adhiberi: niſi ex formula,falſi coarguatur.

APPARITORI, ſe, alicuius rogatu,ſui muneris quidpiam feciſſe renūtianti,eius, qui rogaſſe dicitur, abnegationem,fidem non abrogare:niſi etiam qui abnegat,eo ſe nomine,lege Cornelia,De falſis, actūrum, ſolenni profiteatur inſcriptione. Eius rei placita multa quidem, ſed ἀνώνυμα, laudabat Franciſcus Marilliacus, ſumma in Curia Cauſidicus,dum Lucæ Lodunæo,aduerſus Iacobum Chaſteum ſcriptitaret.

De carcerum custodibus & carceratico, TIT. XII.

I.

CVSTODIAS, seu sacras, seu sacris initiatas, à suis Pontificibus ad trãslatitii criminis quæstionẽ postulatas, carcerariæ mercedis specie, negari non debere. Profanas enim res suas, hoc nomine, Pontifices hypothecæ dedisse intelligendos. Id. Decemb. M. CCC. XCII.

Põtifices, custodias ad se reiici postulantes, tacitã, pro carceratico, hypothecam contrahere.

II.

REX Henricus Valesius secundus sanciuit edicto, quod Nonis Ian. M. D. XLVII, palàm in Curia recitatum est, atque in acta publica regestum: ne posthac pro carceratico, Phylacistæ, plusquam per octo dies, custodias remorentur, interea dum de earum fortunis, compendiaria disceptatione cognoscatur: vt si ad incitas redactæ comperiantur, vectigalibus quæ à Phylacistis Regi penduntur, id eatenus imputetur, quatenus est edicto comprehensum. Si contrà idoneæ, ipsæ, pignorum captione coërceantur.

Custodias, pro carceratico, plusquã per octo dies, nõ esse retinendas.

De Magistratibus municipalibus, TIT. XIII.

I.

EDICTI palàm in Curia recitati, Cal. Ian. M. D. XLVII, atque in acta publica regesti, capite primo, sancitum est ab Henrico Valesio secundo, summarum Curiarum principes, Curiales, aliíue vbi vbi à Rege administri Iustitiæ dati, Causidici, Cognitores, Pragmaticíue, magistratus municipales ne ambirent, néue in eos allegerentur, néue eos inirent, caperéntue. Altero capite, inferiores vllæ aliæ ciuitatum publicæ functiones, præterquam in rem cuiusque ciuitatis publicam, ne venirẽt. Qua quidem sanctione, bona Opt. Principis venia, eorúmue qui eam Principi suasere: præter cõmunem omnibus, ex secũdo capite, auaritiæ notam, togatorum penè omnium nomini labes, nec certè leuissima videtur aspersa. Nã Iuridicos omneis, præsertim Curiales, in quibus nõ secus ac militibus, strenua obeundi muneris assiduitas in primis commendatur, in aliquam (vt ita dicam) emansionis suspicionem vocat, & captatæ non modò popularis auræ,

Togati penè omnes magistratib. municipalib. interdicti.

Minores ciuitatum vel municipiorũ functiones, præterquam in rem ciuitatis vel Municipii, ne veneant.

verumetiam aulicæ gratiæ interim aucupatæ: quod tamen Principibus ipſis, noſtra patrúmque memoria, aliquando vſui etiam fuiſſe compertum eſt. Cæteros, atque in primis Cauſidicos (nam ii ciuilem, & certè frequenter, Quatuoruiratum apud nos inierunt) nec obſcurè quidem perſtringit. Alios, quòd primi in foro nominis, καὶ ἐν τοῖς δώδεκα (vt nonnullis forſan imprudentibus aliquando excidit) capturis ad Baſilicam inhiantes, Rempublicam nonniſi perfunctoriè adminiſtrauerint. Alios, quòd ſi per doctrinam & eloquentiam, eiuſmodi vitæ inſtituto, rem eis in foro ſuam facere licuiſſet: ita ſunt homines, vt ad publicam nunquam ſeſe contuliſſent. Omnes fortaſſe, quòd fori moribus, vt comparati ſunt, impediri magis Reipub. moderatio, quàm iuuari poſſet: & iuriſprudentia, quæ Reipub. maximè cōſtituēdæ cauſa, tot ſeculis tantíſque ſudoribus collecta eſt, eò tādem ferè detorta ſit: vt eam, ad Rem ipſam publicam, litibus in dies ſuccreſcentibus, non modò perturbandam, verumetiam euertendam, conflatam eſſe dicas. Sed ſi Deus Opt. Max. aliquando dederit, ἔσται πάντα καλῶς.

II.

Municipali ordine deleto, ac poſtea reſtituto, in nouis magiſtratib. creādis, nihil obeſſe filiis, patres in vniuerſum fuiſſe exautoratos.

Etiā in creandis municipiorum magiſtratib. referre, ſi pecunia numerata fuerit: & quo autore, qualitérque ſit factum.

PRAEFECTO, Patribus, Decurionibus Rupellanis, ob rebellionem exautoratis: ipſóque ordine deleto, & poſtea Principis indulgentia reſtituto: nouorum magiſtratuum creationem ciues indixerunt. Habito delectu, creatíſque magiſtratibus: prouocatis nonnullis, à prouocatoribus obiiciebatur, infecta exautoratorū radice editos: & qui pecuniam (ciuibus licet autoribus) numeraſſent, eiuſmodi honore eſſe indignos. Reſpondebant prouocati, ordinis reſtitutione, labem rebellionis elutam. Cæterùm, ſe nihil pecunia tentaſſe: ciuibus ſuis tantùm paruiſſe, qui dum creationem indicerent, addiderant, eorum qui crearentur, quemlibet, Reipub. gratia, centum numeraturum. PLACVIT, rebus infectis factis, ab integro creari magiſtratus: nec patrum exautorationem, quòd ordinis reſtitutione, veluti poſtliminio quodam, filii priſtina iura recepiſſent: nec pecuniæ numerationem, quòd electioni cauſam non dediſſet, prouocatis vllatenus obfuturam. Ex tempore v. Id. Iun. M. D. L.

De publicis Iuris Professoribus,

TIT. XIIII.

I.

MORIBVS, à nonnullis vel statutis, vel Curiæ decretis, in academiam Aurelianicam, haud ita pridem inductis, comparatum est, vt cùm primùm iurisprudentiam profitentes magistratum inierint, eorum munera in caduci causam cessisse existimentur. Contigit vt Iohannes Truchius, Iurisconsultus, homo lectissimorum omnium sententia, omnibus virtutis, doctrinæ, eloquentiæ numeris absolutissimus, eo ex ordine ad Regem euocaretur. Cúmque tum magistratuum nihil aliud esset, quo eum opportunè Princeps optimus exornaret: longè meliora merentem, speraréque iussum, Curiæ interim ascripsit Allobrogicæ: gratiámque fecit professorii muneris, ad tempus, per vicarium obeundi: vt intra id temporis, facto periculo, constitueret vtri se functioni addictum mallet. Quod alii professores vt audiunt, extemplò collegam non de se modò, academia, ciuibus, verumetiam vniuersa Rep. optimè meritum, & quem par erat eius rei antea commonefacere, professorio munere cassum euulgant, alium in eius locum sufficiunt, aliáque complura designãt, aut certè malus aliquis, eorum nomine, genius. Quis enim sibi facilè persuaserit, huiusmodi viros, qui æqui boníque notitiam profitẽtur, quicquam vnquam nimium festinanter, quicquam temerè, quicquam inconsyderatè fuisse facturos? At Truchius, domum ad res componendas reuersus, facit, vt prouinciæ Præfectus, Regiis verbis, professoribus edicat, vt gratiæ pareant. Prouocatione res ad Curiam defertur. Decernit interea Princeps, vt tametsi Truchius, gratia nondum à Curia cõprobata, magistratum inierit, ea tamen rata sit, & cõtra eam designata, irrita facit omnia. Euocantur professores: mirũ quot personis scena succreuerit, quot litigatores in litem sese demiserint, quæ tragœdia inde fuerit excitata. Re admodum semel atque iterum concertata, addidit Petrus Lizetius, Curio summus, vir multis (vt palàm est) nominibus clarissimus, atque inter cætera, pro ingenii acumine, in tractandis, &, cùm res ita postulat, repræsentandis iudiciis solertissimus, academiam non Regiis tãtùm, sed etiam Apostolicis fundatam au-

Principem, si publicum iuris professorẽ auocet, professorii muneris per vicariũ obeundi gratiã facere posse, dũ ille oblati magistratus periculũ faciat.

Ius publicè profitẽtis vicarius, quam fructuũ partem accipiat.

ſpiciis : itaque non alterutrius, ſed amborum gratia, autoritate, potentia niti. Eam ob rem videndum, Regíſne ſolius eſſet, an etiã ſummi Pontificis, morum, ſtatutorúmue academicorum gratiam facere. Conſurgitur in conſilium, diſceptatur, & iudicibus non ſatis inter ſe conuenientibus, comperendinatur. Tandem ad VII. Calend. Mart. M. D. XLVIII, fit Curiæ decretum. Comprobatur vtrunque diploma. Recipit Truchius ſarta tecta omnia, atque in primis profeſſorii muneris fructus: tempus de functione conſtituendi, à decreti recitatione auſpicandum: poteſtatem per vicarium interim profitendi, eam fructuum partem, quæ areſto, anno M. D. XII, pronuntiato, huiuſmodi vicariis attributa eſt, accepturum. Quæ omnia, cùm ob exemplaris decreti nobilitatem, tum etiam propter eius, ſecundum quem factum eſt, celebritatem, exiſtimauimus eſſe digna, quæ non modò noſtris qualibuſcunque commentariolis, verumetiam tabulis æneis exciperentur.

De medicis, Tit. XV.

I.

In medicũ, ſiquid audacius ac vehementius conſtituerit, animaduertendum.

VLP. lib. primo opinionum ſcripſiſſe traditur, ſicuti medico imputari euentus mortalitatis non debet, ita ei id, quod per imperitiam commiſit, imputari debere: prætextu enim humanæ fragilitatis, delictum decipientis in periculo hominis, innoxium eſſe non debere. Traditur (inquam) ille idem lib. XVIII. ad edictum, Proculum retuliſſe dicentem, ſi medicus ſeruum imperitè ſecuerit, vel ex locato, vel ex lege Aquilia competere actionem : & Caium lib. VII. ad edictum prouinciale tradidiſſe ferunt, idem iuris eſſe, ſi medicamento perperam vſus fuerit. Sed quid, ſi neque imperitè, quia doctus : neque omnino perperam, quia morbi genus perſcrutatus ſit: inierítque rationem, cur hoc, quàm illo potius remedio vteretur: verùm audacius aliquid ac vehementius conſtituerit? ET medico eius audaciæ inſimulato, atque idcirco in Curiam inducto, denuntiatum eſt, ni temperaret, eam in illum animaduerſuram. Neque enim & hoc erat rectè, ſed quadantenus prauè perperámque medicari. VII. Calend. Maias, M. CCCC. XXVII.

De Gymnasiis & Gymnasiarchis, TIT. XVI.

I.

ΓΥΜΝΑΣΙΑΡΧΙ'ΑΝ, ludíue literarii principatũ, inter sacra (quæ vocant) beneficia, visum est non esse connumerandũ, sed τοῖς οἰκονομίαις adscribi debere: quibus, qui eas instituerint, eorúmue successores, quos præficere libuerit, possint. Itaq; litigatoribus summotis ambobus, Huxo (scilicet) ac Saluagio, & foro ac lite exẽptis: hoc, quòd plus in prouentibus haberet, quàm quod scholæ Parisiis Turonicæ, de cuius administratione controuersia erat, legibus liceret: illo, quòd ταύτην τὴν οἰκονομίαν à summo Pontifice, veluti beneficium impetrasset: eam curam Lodoico Querculo, Hebraicarum literarum professori doctissimo, mandauere, tantipser dum gymnasii res peruersè constitutæ, in ordinem restituerẽtur. Primæ inquisitionum Classis decretũ, Maynardo litis enarratore, pronuntiatum VII. Id. Maii, M. D. LI. Gymnasiarchia, ludíue literarii principatus, beneficium sit, an œconomia.

II.

QVOD Thrasunculus aliquis, indignatus à viatore se monitum, ad Diuæ Virginis matris, vt inter sacra deambulare ac confabulari desineret: ipsi viatori, è gymnasio quodã struxisset insidias, & eum ad necem propè vulnerasset: Aduocatione Regia postulante, factum est Curiæ Consultum in hæc ferè verba: Gymnasiarchæ, ludíue literarii magistri, quid saluti Reipub. præstare habeant.

Gymnasiarcha, neminem in gymnasium, gymnasiíue partem, nisi qui fide bona, literis operam dare instituerit, admittito.

Ianitorem, qui introeuntes & exeuntes Cerberea diligẽtia obseruet, adhibeto.

Vno quoque die, omnia gymnasii cubicula perlustrato.

Suorum omnium, per singulos menses, regionario Conquisitori nomina edito.

Ex tempore, v. Id. Iun. M. D. LII.

Politica alia quædam, Tit. XVII.

I.

PVBLICIS supplicationibus decretis, venit in cõtrouersiam, quà Ordo ad publicas sup-

plicationes pertinens.

hetæriarchos & Cœnobitas Martinianos & Germanianos: quà Quinqueuiros rei vrbicæ constituendæ, Buleutas, Regionarios, Centuriones, Quinquagenarios, Decuriones incedere deceret. Et Martinianos à Germanianis dextra, Ciuiles magistratus, omnémque eorũ comitatum ab Ordine Ampliss. læua, paulóque inferius, gradum facere placuit. XI. Cal. Iul. M. D. XI.

II.

Sues vrbe abigendi.

AD XV. Calend. Iun. M. CCCC. publici nosocomii sues vrbe abigi placuit. Quod quàm politicũ esset, quámque necessarium, vt fortè prioris, ita & posterioris temporis euenta docuere. Nam præter cætera, quæ de ea re nostra ætate allata sunt: hoc ipsi cõpertum habuimus, Infantem (scilicet) ad nosocomium è regione expositũ, fasciis, quibus erat inuolutus, de tabernæ prominente mensa, qua iacebat, pendentibus, à sue Antoniana in pauimentum pertractum, faciéque depasta, miserè exanimatum.

III.

Lue venerea laborãtes vrbe exacti.

EA lues, quam Galli modò Hispanicam, modò Neapolitanã: Itali & Hispani Gallicam: nostri verò medici, vt aliquò tandem nominis consisteret, scitè quidem veneream appellarunt: seculi huius auspiciis, vsqueadeò tetra ac contagionis plena iudicata est: vt illa qui laborarent, perinde atque elephantiacos, vrbe exigi placuerit. IIII. Non. Mart. M. CCCC. XCVI. Sed postea, successu nescio quo, tam crebra, támque familiaris facta est, vt sua cõsuetudine, hocce consultum in desuetudinem abire compulerit.

IIII.

Molituræ merces numaria.

MOLITVRAE mercedẽ non amplius triticariã, sed numariã fore. XIII. Cal. Mart. M. CCCC. XIX, & IIII. Cal. insequentis April.

V.

Pistorib. & molitorib. omni inter se commercio interdictum.

PISTORIBVS interdictum est, molitores ne essent, néue molitoribus operam darent, néue cum eis societatem inirent: centies vicenis assibus interminatis, ac numellari ad forum venaliũ versatione. V. Id. Iul. M. CCCC. XX.

VI.

Pistoris, panẽ deminuẽtis, pœna.

PISTOREM, panem iusto ac legitimo minorem venditantem, pecunia primùm, deinde numellari ad forum venalium versatione,

poſtremùm exilio mulctandum eſſe. Prid. Cal. April. anno à Martinalibus, M. CCCC. XVIII.

VII.

VINVM conducere vehendum, & poſtea illud aduerſus conductionis fidem delibare, diluere, conſpurcare (quod planè furtum eſt) tam erat eius artis hominibus frequens ac familiare: vt quoties illi id aſſumerent, viderētur quodam modo ſuo iure ſibi vindicare. Vſqueadeò (inquam) in iis rei alienæ contrectationibus conniuebant penè omnes: vt eas tandem in mores dixiſſes eſſe abituras, niſi aliqui eius generis fures, in ipſos Curiæ Conſcriptos hoc quoque audere cœpiſſent. Auſos igitur ac criminis cōpertos, Haqueuillano reos peragente, calamitoſa exhomologeſi, fuſtibus, æréque mulctari placuit: vectoribúſque omnibus, ſi quid amplius tale deſignarent, ſuſpendium interminari: atque eam in rem decretum per compita, portus, foráque vinaria Curialis ditionis omnia, præconio promulgari. IIII. Id. Febr. M. D. L.

Vini vehendi conducti, & à conductore delibati, diluti, cōſpurcati, pœna.

VIII.

SI publica neceſſitas vrgeat, non modò priuatos, verùm ipſum etiam Principem, eam ſubleuare teneri placuit: vtpote cùm anno M. CCCC. XIX, Lutetiæ, maxima ligni penuria laboraretur, VI. Cal. Decemb. factum eſt Curiæ Conſultum: Regem, ex ſyluis Bondiſia & Senartia, ſuis, ad LX. iugera venundare teneri: binis quibuſlibet iugeribus ſexies, aut ſummùm octies vicenis aſſibus indicatis: lege etiā mercatoribus dicta, ne pluris ſeptem aſſibus & ſemis, ligni confecti modulum: vicenis, cētenos lignorum maiuſculorum faſciculos diuenderent. Quæ à nobis accuratius recitata, moroſus fortaſſe quiſpiam πάρεργα eſſe dixerit. Sed ſpero non defuturos, quibus interim non ſit iniucundum habere, quo temporum demirētur varietatem: atque in primis Curiam, Regiis de rebus tum ita decernentem, nunc autem in ordinem coactā: & ligni multò maiorem, noſtra, quàm illa ætate caritatē, tametſi hactenus tanta eius inopia non fuerit. Nec lōgè diuerſum paulò pōſt (Non. ſcilicet Decēb.) conſtitutum eſt, in eos, qui vicina Lutetiæ nemora habebant: nempe etiam vendere, ſed æquabili pretio, teneri.

Ad publicā neceſſitatem ſubleuandā, nō modò priuatos, verùm ipſum etiam Principē teneri.

IX.

Chirurgi, eiuſdémque tonſoris viduam, per atrienſes, tonſoriam exercere poſſe: cætera nõ niſi per experiẽtes & approbatos.

ID iuris ac dignitatis, quod à viris in fœminas transfundi, atque etiã poſt fata quadantenus veteres manere voluerunt: in exemplum eouſque protractum eſſe videmus, vt fœminæ, viris opificibus & tabernariis ſacramento adactis viduæ, eorum artes per famulos idoneos paſſim exerceant. Eius rei exemplum editum eſt, XIII. Calend. Decemb. M.CCCC.XXVII, Iohanna Alano Poquelino vidua, & tonſorum collegio, de ea re diſceptantibus. PLACERE vt ea vidua, per atrienſes, tonſoriam exercere poſſet: non autẽ ſecare, aliúdue chirurgicum audere, niſi per experientes, nec antequam ii recuperatoribus à Curia dandis ſeſe approbaſſent.

X.

Interpolatorib. puro pãno veſtimenta ſarcire, intérque promercalia habere vetitũ.

CONTROVERSIA, quam & Pannarii & Sartores interpolatoribus mouerant, inficialiter conſtituta: interpolatoribus interea vetitum eſt, puro panno veſtimenta ne ſarcirent, quæ inter promercalia eſſent habituri. IIII. Id. Iun. M.CCCC.XXVII.

XI.

Pelles, præterquã martium, ſcheda non contegendas.

NON vt martium pelles, ita etiam alias, ſcheda contegere licere. Itaque publicationis, mulctǽque arbitrariæ indictione ſancitum eſt, ne quis pelles in eam formam cõtectas venum exponeret: pellione, qui ſecus fecerat, interim pecuniæ damnato, & pellicularia biẽnium abſtinere iuſſo. XVII. Cal. Aug. M.CCCC.XXI.

XII.

Proxenetarũ certũ numerum eſſe debere, corúmque approbatorũ, & qui ſatiſdederint.

ΤΟΥ'Σ προξενητὰς Reipublicæ quidem códucere palàm eſt, ſed non omnes. Rectè igitur placuit certo numero definiendos eſſe, qui ſeſe inſpectoribus approbarent: & non modò prædibus, ad certam pecuniæ ſummam cauerent, ſed & laudatores darent: quod ſpeciatim de re pannaria decretum eſt, XVI. Cal. Maii, M.CCC.LXX. poſt Martinalia.

XIII.

Perſonarũ, laruarum vetita nũdinatio.

PERSONAS, quas adhuc multi facies ementitas, alii, & vulgatius quidem, maſcas (forſan παρὰ τὴν σκιαμαχίαν, voce mutila & ſyllabis inuerſa) vocant: inter ea, quæ Reipub. non modò nihil proſunt, verumetiam obſunt quàm maximè, neminem puto non connumeraturum. Hiſce nanque (vt ita dicam) tectoriis, & quibuſdam veluti

præſidiis, nulla non ſtupra, nulla non adulteria, nulla non latrocinia, nullæ non cædes, nulla non alia facinora, noſtra quoque ætate, deſignata ſunt. ITAQVE placuit, earum nundinatione vbicunque, atque in primis ad Baſilicam, omnibus interdici. VI. Cal. Maii, M. D. XIIII.

Placitorum ſummæ apud GALLOS CVRIAE

LIB. VII.

De ſtatu hominum, Tit. I.

I.

VIX vnquam aliquis prima fronte laudauerit, eum, eámue, quem quámue, quis quǽue, quantumlibet ſolutus vel ſoluta, ex adultero vel adultera ediderit vel ſuſtulerit, iuſti ac legitimi, iuſtǽue ac legitimæ, filii filiǽue iure donari. Hoc enim adulteria & ſtupra non modò non eſt coërcere: verumetiam homines, ad malum ſatis alioqui procliueis, quodammodo inuitare. *Sed ſi Principis ſupra leges* conſtituti poteſtatem penitius introſpexeris, & quàm penes eum ſit arbitrium & ius & norma ab altero bonis alterius ſuccedendi: huiuſmodi veniam, ſi tamen eam perrarò dari contigerit, nemo facilè improbauerit. Quamobrem eius generis veniæ, quam filiæ, Bellouacæ primùm, à patre putatiuo, deinde ab ea venia, Leſtandartiæ nuncupatæ, parens naturalis impetrauerat, morem geri placuit. Areſtis Liberalibus, M. D. LI: magna omnium (vt videbatur) audientium admiratione.

Etiam ex adulterio natum, poſſe, Principis indulgentia, fieri legitimũ.

II.

À PRINCIPE, Theob. Lucemburgius, Laudunenſium Antiſtes, impetrauerat, vt filii naturales, quos ipſe, antequam ſacerdos crearetur, ex concubina ſuſtuliſſet, pro iuſtis ac legitimis haberentur: effecerátque vt veniæ diploma non modò apud rationum Præfectos, verumetiam apud ſuum partium iudicem, in acta publica relatum eſſet. Quia tamen non etiam illud Ampliſſ. Ordo compro-

Legitimum patri factum non intelligi, niſi, viuo patre, ſolennia omnia fuerint obſeruata.

baſſet: & ipſe filiis teſtamento legata ſcribens, eos quoque naturales, aut (vt vulgò dicitur) baſtardos appellaſſet: ea re à Carolo Lucemburgio, Briennæ Comite, in controuerſiam adducta: tam naturales haberi placuit, quàm ſi à Principe nihil eſſet impetratum. Diplomatum enim non impetrationem, ſed exequutionem attendi: quæ niſi numeris omnibus abſoluta ſit, oleum & operam luſeris. Quod & ipſum teſtatorem non præteriiſſe, facilè fuerit coniicere: alioqui neque naturales appellaturum, neque eis legata, ſed ipſam hæreditatem fuiſſe relicturum. Areſtis Natalitiis, M. D. X L V.

III.

Alienigenæ, in habendis hæredibus obnoxia conditio.

AVT G. Benedicti ſententia, toties decantatum caput enarrantis, quod Raynutius appellatur: aut rumor quidam falſus, ille fortaſſe qui & Benedictum fefellerat: fecit, vt quodam alienigena, qui apud Guiſianos domicilium contraxerat, vita functo: Carolus Rohanius, Comes Guiſianus, eius hæreditatem, etiam aduerſus filium, quem ille iuſtum ac legitimum reliquerat, τῆς ἀποξενώσεως, vel (vt cum Cicerone & Vlpiano loquar) peregrinitatis iure (quod vulgò Albinagium vocant) ſuam eſſe contenderet: ratus alienigenarum, qui apud nos morarentur, decedentium hæreditates vel ad Principem, lege imperii, vel ad dominos Principe inferiores, ex priuilegio vel antiqua conſuetudine, propinquis omnibus ac neceſſariis, ipſis quoque liberis excluſis, pertinere. Sed ex ipſa lege, quæ religioſè cum aliquot aliis Lutetiæ apud Rationales aſſeruatur, rem aliter ſe habere compertum eſt: Nempe pietatis ratione, mortui liberis hæreditatẽ permitti: eámque ab eis ad, recta in perpetuum linea, non autem ex tranſuerſo, deſcendentes tranſferri: & omnibus iis deficientibus, ad Principem reuerti: illis interim omni rerum eius hæreditatis alienatione interdictis. ITAQVE alienigenæ patris hæreditatem filio adiudicari placuit, VII. Cal. Mart. M. D. XV.

IIII.

Conſobrinũ indigenam, ſororẽ alienigenã, hæreditate excludere.

SED ſi Princeps alienigenam indigenæ iure donauerit, videamus an ad eius hæreditatẽ non modò liberi, verumetiam, poſt eos, propinqui, & qui eorum admittantur. Cùm * Ramelotus, ex alienigena, Principis indulgentia, factus indigena, diẽ ſuum obiiſſet: Gulielmula Ramelota, ſorore, & Roberto Tortiano, conſobrino,

de eius hæreditate contẽdentibus, dicebat Ramelota, se eodem, quo defunctum, patre natam: & vt sanguinis ratione propinquiorẽ, ita & hæreditatis iure potiorem. È diuerso Tortianus, se vno quidem gradu remotiorem, sed indigenam: Ramelotam verò esse alienigenã. Cui Ramelota, Equidem alibi natam me non diffiteor, sed quæ ante fratris mortem, Galliam incolo: imò & mihi ius indigenæ Princeps est impertitus. quod beneficium, apud Rationales, cùm in acta publica referri iuberetur: hoc ipsi addiderunt, Modò beneficiaria, imperii Gallici fines incolat. Tortianus contrà, Incolis tu quidem, sed antequam ius indigenæ impetrares, delata mihi erat hæreditas, eam ego creueram: ius alicui quæsitum, Principis beneficio non tolli. Lege peregrinaria, non satis esse, cùm defertur hæreditas, ex trãsuerso propinquum Galliam incolere: sed oportere vel omnino indigenã esse, vel iure indigenæ donatũ. PRIMAE inquisitionum Classi placuit, summota sorore, consobrinum hæredem pronuntiari, VII. Id. Sept. M. D. XXXIIII, ST. Mommirallio litis enarratore.

De minoribus viginti quinque annis, TIT. II.

I.

MINOREM viginti quinque annis, qui ob præsentem pecuniam rẽmue aliam sibi datam, alioqui futuram dantis hæreditatem eiurauerit: hæreditatem postea petere non posse, sed ne ius naturæ quidem, sæpissimè responsum & iudicatum esse, ego didici, & Chartarius affirmat, his potissimùm rationibus. quòd scilicet (vt in prouerbio est) vnum aliquod præsens futuris duobus antecellit: & euenire est, vt qui nunc dat, vniuersum pòstea patrimonium decoquat: aut eius hæreditas ære alieno exhauriatur: aut tale quidpiam accidat, vt ne floccus quidem ad hæredem peruenturus sit. Et hæc quidem, quòd ad prouincias, quæ moribus reguntur, pertinet: nam legibus & iure ciuili Romanorum, aliter constitutum est.

Minorẽ xxv. ann. futuræ alioqui successioni, aliquo dato & accepto, efficaciter renũtiare.

II.

ADVLTAE virginis, orbæ parẽte, ac dote cassæ, fundum, ob eam nuptui collocandam, de gentilium & propinquorum sententia, sine decreto tamen, tutor sic alienauerat, vt veluti à futuris coniugibus

Etiã collocãdæ puellæ causa, nec de propinquorum quidem

ſententia, res eius, ſine decreto, non eſſe alienandas.

partus haberetur. Soluto matrimonio, vxore de patrimonii alienatione conquerente: tametſi palàm eſſet id à maioribus factitatum, placuit tamen alienationem contra ius eſſe factam. Areſtis Natalitiis, anno M. D. XXXV.

III.

Remiſſam lege, mobiliũ excuſſionẽ, minores non cõprehẽdere.

ANXIAM illam, in lege agendo, mobilium excuſſionem, Franciſci Valeſii primi conſtitutione ſublatam, ad prædia minorum diſtrahenda non pertinere: ideóque minoris prædium, noua formula captum, plurimóque licenti, ſolennibus etiam programmatis omiſſis, addictum, auferri placuit, menſe Ian. M. D. XLV, Regnartio ex Cauſidicis altero.

De Verborum ſignificatione,

TIT. III.

I.

Hominis appellatione, ex Gallici ſermonis proprietate, fœminam non contineri.

ANDIVM moribus ita cauetur, Homo genere clarus, ſi ſacris fi- »
liam ceremoniis addixerit: pars hæreditatis alioqui filiæ cõpetitura, »
filio natu maximo acquiritor. Ex hoc Duretallius maior, aduer- »
ſus fratrem natu minorem colligebat ac contendebat, ſororis, quam mater addixiſſet, partem ad ſe omnino pertinere: quòd hominis appellatio promiſcua eſſet, & maſculino vocabulo etiam fœminæ cõtinerentur. Minor contrà, eam non eſſe Gallici ſermonis proprietatem, vt ſi quis hominem diceret, fœmina quoque intelligeretur. Cæterùm, mores contra ius commune comparatos ſtrictè eſſe accipiendos, exhæredationes nõ adiuuandas. Qui mores conſcripſerant,
ſi de vtroque cogitaſſent, dicturos (vt aſſolet) fuiſſe, Homo, fœmináue, »
clarus, claráue. BENIGNE placuit natu minorẽ, cum maiore, ad ſo- »
roris partẽ admitti. Placitũ, Gabr. Marilliaci poſtea Regii ac publici, tunc autem priuati Cauſidici patrocinio conflatum: Hoſpitali Conſcripto, litis enarratore, vt ipſe Marilliacus, ſine die tamen, indicauit.

II.

His verbis, Eorúmq; liberis ex legitimo matrimonio natis ac naſcituris, etiã futu-

ΕΜΦΥΤΕΥΣΕΩΣ χάριν, datus eſt fundus Mæuio & Titiæ cõiugi, eorúmque liberis ex legitimo matrimonio natis ac naſcituris. Controuertebatur an liberi, quos alter coniugum, altero vita functo, ex alio matrimonio ſuſtuliſſet, edidiſſet, iis verbis comprehende-

rentur. ET PLACVIT esse cōprehensos: aliter atque si constantis tum matrimonii mentio tantùm habita fuisset. Arestis Liberalibus, M.D.LII. Collierius admonuit. rum matrimonium cōprehendi.

III.

BONIS ecclesiasticis, non quidem diuinis & sacris (quod vulgò spiritale) sed humanis tantùm ac profanis (quod temporale vocant) cùm res ita postulat, manum iniicere licere, antiquum est, ac certè religiosum: sed vnde nōnunquam malignandi arrepta fuerit occasio. A viatore in sacerdotem, sacrísue initiatum, his ferè verbis lege actum erat: Quandoquidem tu iudicatum soluere detrectas, prouentui & temporali tuo manum iniicio. Iniicis tu quidem (inquit detrectator) & ego Amplissimum Ordinem appello. Huius prouocationis causa reddebatur, ET copulæ naturam esse, diuersa coniungere. Viatorem & prouentui, hoc est spiritali (sic enim detrectator intelligi volebat) & temporali, cùm alterum non liceret, manum iniecisse, atque adeò perperam esse factum. Respondebatur ET copulam non solùm diuersa coniungere, verumetiam aliquando interpretari, facereque positū inter duo appellatiua, aut, si mauis, substantiua, significationis non omnino diuersæ: vt alterum eorum in substantiuum conuertatur, non secus atque si ex prouentu & temporali, prouentum temporalem dicas. PLACVIT detrectatorem prouocatione summoueri, addita temerariæ prouocationis pœna. Ex tempore XIII. Cal. Mart. M.D.XXXV. ET, particulā, non modò cōiunctioni, sed & interpretationi deseruire.

De prædiis clientelaribus & Patronis, ET CLIENTIBVS, TIT. IIII.

I.

FVNDVM inferiorem, prouinciæ, in qua situs est, moribus: non eius in qua superior, Curiæ placuit esse moderandum. Litigatores, Patroni à diuo Simone: Michaëlis Chartarii hæredes, Clientes. Iacobus Spifama, litis enarrator. Placitum recitatum VII. Id. Septēbr. M.D.XXXVII. Prædiū cliētelare quibus moribus sit moderandum.

II.

CLIENTI Causidico aduersus Patronum, ab eo stare, cui à consiliis antè fuerit, non prohiberi: modò ne clientela ipsa controuer- Quibus in causis Cliens aduocatus,

aduersus patronum, ab alio stare possit.

tatur, aliúdue, quo, nomini Patroni quicquam inuri possit. VIII. Id. Mart. M.CCC.LXXIIII.

III.

Oppressum à Patrono Cliẽtẽ, clientelæ eximi.

IOHANNEM Elbieum, quòd à Nannetensi Antistite suo fuisset oppressus, antistitii clientelæ ac iurisdictioni eximi placuit, quoad oppressor ille communi spiritu frueretur. V. Id. Iun. M.CCCC.LV.

IIII.

In prædiorũ clientelariũ successione, an ex sorore nepotes, cũ nepotib. ex fratre, eodẽ iure censeãtur.

STEPHANVS Dous, Fraxineus (quẽ, propter patrimonii amplitudinẽ, nostri homines sacerdotũ ditissimum appellabãt) vita excedens, treis ex fratribus, totidémq; ex sororibus, nepoteis, hos cognatos, illos agnatos, ab intestato hæredes reliquit. Inter eos, de fundis clientelaribus lite exorta, cognati, retinendæ possessionis interdicto, ius experientes, dicebant, explosa iuris ciuilis asperitate, & XII. Tab. æquabilitate repetita, illi, & hoc lege noua, additum esse, vt gradus vnus, vnáue persona, à iure cognationis in ordinem agnatorum trãsferretur: & non modò filii, filiǽue fratris mei, ad hæreditatem meam, vt agnati, venirent, verumetiam & sororis filii: & hi omnes ex æquo mihi succederent. Defendebant agnati, tametsi hoc ita esset, municipiorum tamen moribus esse cõparatum, etiam sorores, ad fundos clientelares ex transuerso obueniẽteis non admitti: neque eas suo fato functas, ad filios, plus iuris trãsmisisse, quàm ipsæ haberent. Hisce consentire feudorum (quæ vocant) consuetudinem, quæ agnatos duntaxat, non etiam cognatos admittit. A cognatis referebatur, media illa iurisprudentia, vnde fortassis mores promanarunt, non alia ratione factum esse, vt persona fœminea, quæ gradum consanguinitatis excessisset, iure agnationis ad hæreditatem non admitteretur, quàm quod commodius esse videbatur atque vtilius, frequentiores ad masculos, quàm ad fœminas hæreditates confluere: propterea quòd vtiliores se masculi præstent Reip. dum aut bella gerunt, aut sacra faciunt, aut publicis funguntur muneribus. Se verò esse qui hæc omnia præstare parati essent: nec matrum ante fratrem mortuarum rationem haberi licere: sed eorum ipsorum, qui, eo tempore, quo is, de cuius hæreditate agebatur, mortuus erat, eodem gradu, ei proximi, quo & agnati fuissent. Cæterùm, eam beneficiorũ consuetudinem, barbaram atque inhuma-

nam esse: neque nos eo iure vti solere. Post Libellarium ad Basilicam Recuperatorum sententiam, appellata Curia: cùm de rebus, quas ad Carnutum mores exigere oportebat, essent in litis instrumento, rerum ab ipsa Curia similiter iudicatarum exempla quædam: de nostratibus autem nihil extaret, quo satis compertum haberent, an ea pars morum, quæ fœminas arceret, ad earum quoque filios produceretur: suopte Iudicum impulsu, & sine vlla interfatione, itum est ad Præfectum vrbi, sciscitatum ab eo, eiúsque fori pragmaticis, de ea re quid fieri soleret. TANDEM, quòd ad res in Carnutum agro positas attinebat, agnatos quidem superiores, in cæteris verò inferiores esse placuit. Arestis Natalitiis M. D. L.

V.

Commissum vxori patronæ prædium fructibus adnumerari.

VNIVERSORVM vxoris prædiorum (moribus quidem nostris) constante matrimonio, virum velut vsufructuarium esse, nostrorum hominum nemo est qui nesciat. Accidit vt clientelaris fundus, perfidiæ, alióue nomine, Patronæ vxori committeretur. Disceptabatur, commissi fundi ius & autoritas, vxorísne fuisset, an viri. ET VIRI fuisse placuit: id enim fructibus adnumerari. Citabat Chartarius, de iure respondens.

VI.

De cliẽtelari prædio ludere, nostrũ, quàm latè pateat.

PRAEDIVM beneficiarium, perexiguo solario vectigali (teruncio puta) cum fide recepto, intercedentibus aliquot millibus nummûm, Cliens alii tradiderat. Bochardus, prædii Patronus, è vestigio illi manum iniicere atque incumbere: quoad vsque iusta quintanorum ac subquintanorum persoluerentur, solenniáque alia fierent omnia. E contrario Cliens intercedere: occlamitare, se, de prædio velut corio (quod aiunt) suo, citra autoratrices exuuias, ludere potuisse. Patronus Clientem fraudis insimulare: dicere, libellario contractu, fraudem manifestari. CAVSA acriter acta atque defensa, secundum Clientem pronuntiatum est. De qua re, cum Curia, supplici erroris patrocinio, Bochardus expostulauit. Placitum à Chartario de iure respondente prolatum.

VII.

Clientelaria maiestatis damnati præ-

QVIDAM existimauerũt, maiestatis dãnati fundos cliẽtelares, qui in fide ac patrocinio Principis, siue μέσως, siue ἀμέσως essent, omneis

dia omnia principi quidem adſcribi, ſed perpetuō, non niſi quæ Regii purè ſūt beneficii.

publico Principis patrimonio, in perpetuū eſſe adſcribendos, hoc eſt (vt aiunt) vniēdos, ac in Regiæ coronæ corpus referendos. Dicebāt enim huiuſmodi beneficia, quæ initio à Principe manaſſe certum erat, ad eum omnino omnia, maieſtatis crimine reuerti, quoſcunque Cliētes, ex eodem beneficio, primarius Cliens ſibi poſtea deuinxiſſet: vt cui, quod ſui admiſiſſent, quodammodo eſſet imputandum. Sed aliter viſum eſt Selectis Iudicibus, qui ad exhedram in Baſilica recuperatoriā, quod Reginæ cubiculū appellant, de Regis imperio, maieſtatis iudiciū in Biezium, Tribunū militum, exercuerunt. Cùm enim hominem capite plectendum eſſe decernerent, res eius beneficiarias omneis, Principi quidem commiſſas eſſe cenſuerunt: ſed eo nexu, quem antè diximus, non niſi eas, quæ Regii purè beneficii, non alîus interpoſiti, eſſe comperirentur. Quæ ſententia cùm apertè benignior, tum certè quidem verior eſt. Nam præterquam quòd inhumanū eſt, nos alieni criminis dare pœnas, quis vnquam beneficium à Principe acceptum, vni vel pluribus, totum vel in partem, cliētelæ nomine poſtea dediſſet, ſi beneficium, partémue illius, per quaſcunque manus id ambulare contingeret, non ſua, ſed Clientis culpa, ſe amiſſurum exiſtimaſſet? Sufficiat ergo, maieſtatis crimen, autoris ſui ſanguine expiatum eſſe: ſufficiat, rebus eius beneficiariis omnibus, læſæ maieſtati litatum. Ita fiet, vt Principe huiuſmodi beneficia, ſibi quidem commiſſa, ſed publico patrimonio non perpetuò adſcripta, à ſe poſtea (vt ipſe facere tenetur) abdicante: benefico domino, cui, ex alio crimine, clientela cōmitti poterat, ius ſuum integrum maneat: non ſecus, quàm ſi à beneficiario, ad eius hæredes, ſucceſſione: vel ad alios, quocunque contractu perueniſſet. Placitū pronuntiatum III. Non. Aug. M. D. LI.

De prædiis ſolario iure vectigalibus, TIT. V.

I.

Cenſualis eſſe iuriſdictionis, prædii, ſolario iure vectigalis, poſſeſſorem, ad profeſſionē adigere.

TAMETSI ſolario iure domini, quem vulgò cenſualem appellant, propè inermis atque exanguis ſit iuriſdictio: ſuopte tamen imperio, placuit eum, obnoxii fundi poſſeſſorem, ad fundum profitendum poſſe compellere. Ex tempore * Iun. M. D. XLVIII.

I I.

REGNOTIVS Royerio filiam in matrimoniū collocaturus, certam pecuniam, dotis nomine, ſe daturum ſpoponderat: partes circiter duas, numeratò: reliquam, prædio vrbano, tanti æſtimato, filiæ hæredi futuræ prærogando: ſed ea lege, vt quando ipſe cunque pernumeraret, prædium redhiberetur. Hocce cùm ſolario iure dominus olfeciſſet, vt ſunt id genus homines captātiſſimi, è veſtigio fructus aduentitios petere occœpit, dationem in ſolutum, atque adeò vēditionem inſimulās. Quod quidē Libellaribus ad Baſilicam recuperatoribus, ea de re aditis, æquū eſt viſum: ſed verò Curiæ à Royerio appellatæ contrá. Perſcripta, prolata eſt autoritas, v. Id. Iun. M. D. X L V I I I.

Cenſuali domino nihil deberi, quòd prædium æſtimatū, pro pecuniæ dotalis parte, datum fuerit.

De priuatis vectigalibus & penſitationibvs,

TIT. VI.

I.

CONTENDEBAT Parthenaius, ſi quis ex ſuis hominibus aliquà tranſiens, vectigal non dependiſſet: etiam vi armata, ſe vniuerſitatis bona poſſe pignerari: ídque de more, quem certè præſidenter vſurpabat. Sed eum morē damnari, explodíque placuit: & id quidē optima ratione. Lege nanq; nec diuina nec humana cuiquam fas eſt, ſibi ipſi ius dicere: nemini licet, id quod ab alio ſibi deberi putat, niſi per iudicem repoſcere: neque rem, quantumlibet ſuam, armis, niſi per Principem vindicare. Quorum alterum qui committit, præter diuinam vtriuſque vindictam, in legem, de vi priuata, Iuliam incidens (neque enim vis eſt ſolùm, ſi homines vulnerentur) omne crediti ius amittit: qui verò alterum deſignat, in Iuliam, de vi publica, delapſus, præterquam quòd publicè quoque ſcelus exequimur, omnem etiam rei iacturam facit. I I I I. Id. Iun. & X V I I I. Cal. Iul. M. C C C. L X X X I X.

Nemini ius ſuum armis, nec aliter, quàm per iudicem, exequi licere.

I I.

SI frumentum, quod in ſingulos annos, dominus à villico pactus eſt, tempore ſolutum non fuerit: villicum, non quantiplurimo frumentum ab eo tempore venierit, ſed in communem cuiuſque

Æſtimationē quantiplurimo, à villico, niſi interpellato, non deberi.

anni tantùm æſtimationem teneri placuit. Ex tempore, Menillio & Durantio cauſam orantibus, Pridie Non. Febr. M. D. XLVIII. Quod (niſi maximè fallor) nec eſt ἀκριβοδίκαιον, nec ἐπανόρθωμα τοῦ νομίμου, ſed ἔνδοσις quædam, quæ tandem in aliquam fraudandi licentiam facilè ſit exitura, moribus hominum ſemper in deterius prolabentibus. Fiet enim, vt villicus, olim fidelis & apertus, nunc fallax & ſimulationis artificio eruditus, diem de die ducat, vſque dum nactus opportunitatem, magno frumentum vendat, & poſtea minimo redemptum, domino perſoluat. Dixerit aliquis, Extitere domini, qui, villicis moras nectentibus, non eorum, ſed ſua ipſorũ gratia indulgerent, atque ita temporis articulum captarẽt, quo villicos frumento carentes, pretii magnitudine obruerent. Ego verò aut extitiſſe, aut extare poſſe non negauerim, neque id inſignis cuiuſdam eſſe malitiæ: ſed cui villicus occurrere, quòd dominici fundi fructus collegerit, poſſit: &, quòd obligatum dies ſatis interpellauerit, etiã debeat. Quòd ſi villici magis, quàm domini, rationẽ haberi debere viſum eſt, vereor ne villico ipſi hoc etiam acceſſerit incommodi: vt dominus, in exigendo vectigali, antea moderatus & mitis, aſper & durus eſſe cogatur, & tum villicũ vrgere, cùm ſe fortaſſe ille minimè poſſit liberare.

III.

Penſitationis pretiũ, vt certo tempore, cúmue emptori libuerit, reſtituatur, paciſci non licere.

IN penſitationis venditione, paciſci non licere, vt certo tempore, cúmue libuerit, emptor à venditore ſortẽ poſſit exigere. Foret enim quod eſſe noluerunt, cuiúſque auertendi gratia, vẽditionis ſpeciem obduxerunt, non clàm, non diſſimulanter, ſed palàm & apertè fœnerari. XVII. Cal. Iul. & poſtridie. M. CCCC. XXV.

IIII.

Frumentaria penſitatio, poſt XXX annos, ad legitimũ pretiũ reducta, eiúſque redimendæ poteſtas facta.

ANNVVS frumenti modius, anno M. D. X, vectigalis nomine, centies vicenis aſſibus, aut, ſi mauis, centum (quod aiunt) venditus libris, habita ratione temporis, toleratus eſt quidem, ſed temperatus tamen, quaſíque in ordinem coactus: eúmque debitor perinde pendere damnatus, atque ſi ſinguli, in ſingulos quindenos aſſes, conſtituti fuiſſent: poteſtate facta, vectigalis quotieſcunque redimendi. Ex tempore, Riantio & Rupefortio cauſam dicentibus, III. Id. Martii M. D. XLIX.

V.

EX prouētibus vectigalis pecunia constituti, aliud vectigal, perinde atque anatocismum, hoc est, ex vsuris alias vsuras, comparari nō posse, nemo dubitat. Sūt enim huiusmodi vectigalis prouentus vsuris finitimi: hócque ab iis tantùm distant, quòd vectigal in venditionis speciem conceptum est, & in eius, cui eo nomine pecunia data est, arbitrio positum, quando eam rependat, atque ita vectigal redimat. Sed verò controuersum est, prædii venditio, in prouentuū solutionem facta, an valeret: prædio, scilicet, eiúsque fructibus, vectigalis ex alterius vectigalis prouentibus comparati instar habētibus. ET valere placuit: fieri enim potuisse, vt ex ea pecunia, qua prouētus persoluti essent, dominus vectigalis, ab ipso debitore, statim prædiū sibi compararet: & duos actus, nihil interim sibi contrarios, quid vetat eodem tempore, pactóque eodem explicari? Quin (vt ait Vlpianus) si ex causa mandati, pecuniam mihi debeas, & conuenerit, vt eā crediti nomine retineas: videtur mihi data pecunia, & à me ad te profecta. Placitum recitatum * M. D. XLVIII. Litigatores hæredes Stephani Doi, & *

Prædii vēditionē, pro pēsitationis pecunia creatæ, prouentibus factā, vsurarū vsuris cōparatarū instar non esse.

VI.

SI toto inter præsentes decēnio, vel inter absentes vicēnio, vectigalis emptor nec à venditore, vel eius hæredibus annua, nec à tertio hypothecarum possessore, nominis nouationem exegerit: possessorē, vsucapione se tueri posse, nemo ambigit. Sed quid si à venditore, hæredibúsue, singulis annis, vectigal emptori pensitatum fuerit, vt nihil esset quod conquereretur? ET possessorem, vsucapionis præscriptione, placuit esse tutum. Meritò sanè: debuit enim emptor vigilare, & suis rebus diligentius prospicere. Placitum tertiæ Inquisitionū Classis, conflatum III. Cal. Mart. M. D. XLIX. Cuius recitati dies, ex proxima placitorū pronuntiatione repetēdus erit. Alteri litigatorum, hæredes Francis. Nouiodunēsis. Litis enarrator Lodoicus Mommirallius.

Tertium hypothecarum possessorem, nō interpellatum, vsucapere liberationem, etiā si vectigalis emptori, quotannis alius pensitet.

VII.

VECTIGAL, si ea lege cōstituatur, vt lui perpetuò possit, luitioni eius nullo tempore præscribitur. Non enim suæ conditionis non esse potest, nēpe semper redhibitoriæ: aliter atque cùm ex interual-

Vectigalis creationi inserto redhibēdi pacto nullo tempore præscribi.

lo, facta est luẽdi potestas. Nam cùm nihil magis naturale sit, quàm res ad sua redire principia: dum factæ potestati præscribitur, vectigal ad ius illud suum primarium, hoc est perpetuum, quodam quasi postliminio reuertitur. Quam in sententiam extat Curiæ placitũ, paradoxum illud quidem, sed Classibus consultis omnibus perscriptum, pronuntiatum VI. Id. Martii M. D. XLVII. litigatoribus Rapoello & Carpentario, litis enarratore Cantaclario.

De vsu nemorum, Tit. VII.

I.

Vniuersitatẽ vsu nemorũ mulctatam, quòd ab ea, cõiuratione, víq; armata, deuastata fuissent.

EXEMPLIS propè innumeris exploratum habemus, ab ingratis hominibus, eò improbitatis esse deuentũ, vt beneficos, eorúmue nepotes munificẽtiæ suæ, etiam si nolint, tamen pœniteat. Inter eius farinæ homines, nec postremæ notæ fuerunt, quibus olim nemoribus vti concessum est. Rebus enim vtendis tam proteruè, tam libidinosè, tam nequiter abusi sunt, vt nouarum legum sanctione, iudiciorúmque seueritate opus esset: ipsis alioqui rebus non modò pessum prorsus ituris, sed & morbo fortasse longius latiúsque grassaturo. ITAQVE vsuarios, ob nemora, coniuratione, víque armata, ab vniuersitate deuastata, ipsorum nemorũ vsu, ac litis æstimatione, eiúsque impendiis mulctari placuit. Neque frustra coniurationis mentionem habuimus. Ea enim, ex Curiæ interfatione, quæsita ac comperta, damnandæ vniuersitatis causam præbuit: alioqui singulares, non vniuersitas plectenda erat. Placitum pronuntiatum III. Non. Iun. M. D. XXX. litigatoribus, Lodoico Hangestio, Maria ab Athiis, eius vxore, petitoribus: Ciuibus Royæ, comopolitanis ac vicanis Amici magni, Amici parui, aliísque reis: Petro Brulartio, litis enarratore.

II.

Vsu nemoris, certa illi' parte cõpensato, reliquũ nemus domino permissum.

VSVM suapte natura solidum, & totum (vt aiunt) in toto, & totum in qualibet parte, in arctam nemoris partem, sed vsuario mancipi futuram, benignè contrahi placuit, vt reliquum nemus, liberum ad dominum reuerteretur. Placitum pronuntiatum III. Non. Mart. M. D. XXXI. iisdem petitoribus, Petro Videlaneo reo, eodem Brulartio, litis enarratore.

III.

ASCETRIIS ad Trecas Fœssianis, cùm Aquæ Quercúsque Millotiæ vicani, de retinenda vsus possessione interdixissent: postularũt Ascetriæ, vt, nulla summæ quæstionis prærogatiua, vsus, de quo controuersia esset, tertia nemoris parte circũscriberetur. Quod cùm Basilicani Recuperatores pronuntiassent: vicani prouocarunt, ac contenderunt, vt repræsentato iudicio, perperam iudicatum esse diceretur. PLACVIT de prouocatione, veluti de scripta lite, solenni clausula, Iudices in consilium quidem mitti: sed interea sententiæ parẽdum esse. Ex tempore, pridie Idus Februarias M. D. LIII. Vilcoquio, Causidicorum altero. Vsus, vicanis tertia nemoris parte circunscriptus.

IIII.

VICANOS vsuarios, non quoslibet esse intelligẽdos, sed eos duntaxat, quorum domus ante quadraginta annos essent extructæ, aut veteribus fundamentis, ab eodem tempore superstructæ. Placitum pronuntiatum * Id. Septembr. M. D. XLV. litigatoribus, Lenuncurtio Cardinale, diui Remigii Rhemensis Hetæriarcho, & vicanis Giuriensibus, Classe Regio patrimonio adscripta disceptatrice. Vicanis vsũ nemorũ sibi defendentib. qui vsuarii sint accipiẽdi.

Placitorum summæ apud GALLOS CVRIAE

LIB. VIII.

De dote, Tit. I.

I.

DOTIS cautæ nec tempore numeratæ, marito, qui sumptibus suis vxorẽ exhibuerit, vsuras deberi: aliter atque soluto matrimonio non restitutæ, nisi conuenerit, vtriusque iuris est, & exploratissimi. Sed ecce, Lucius Titius Mæuiæ nothæ suæ decem millia, vnde se exhibere posset, meliúsque in matrimonium collocare, testamento legauerat. Mæuia, nec cùm nupsisset quidẽ, sed certè iam vidua, Lucii Titii hæredibus legatum non præstãtibus iudicium intendit, qui litem etiam aliquot annos extraxerunt: an præter legatum & vsuræ deberentur? Quãti interfuisset, dotẽ dicto tempore numerari, adiudicatũ.

N.iiii.

ET quodammodo deberi iudicatum est. quod enim interfuerat Mæuiæ, legatum tempore præstari, tanti æstimatum est, quanti Curiæ visum. Placitum pronuntiatum Calend. Mart. M.D.XXXVIII. Litigatores, Guidona, notha Caluignia, Lodoica Borbonia, Lodoicus Tremollius, alii nonnulli.

De donationibus propter nuptias,

TIT. II.

I.

Orphanotrophos, minorib. apud se, vita excedentibus nō succedere.

Vtranq; propter nuptias donationem (quod doarium appellāt) paternos hæredes sequi.

Donationis propter nuptias, statæ vel præfinitæ (quod doarium vocāt) optionem ad hæredes trāsferri.

De stata propter nuptias donatione, aut vulgò doario, quantocunque tēporis interuallo ad nos perueniat, interdicto vti possidetis agi posse.

DONATIONIS propter nuptias (quam nonnulli ἀντιφερνὴν, vulgus doarium appellat) nostris Parisiorū moribus, duæ sunt formæ. Altera, statæ atque ipsis moribus introductæ: Altera, pacto conuento præfinitæ ac constitutæ. Stata, ipsísque moribus introducta, est semissis prædiorum omnium, quæ vir habet, quo die vxorem ducit, quæque illi postea, constāte matrimonio, à parentibus ac maioribus obueniunt. Præfinita ac constituta rursus in duas parteis diuiditur, quarum vna est certi ac definiti vectigalis, annuæue pēsitationis, interim perpetuæ, interim redhibēdæ: altera certè pecuniæ semel vxori, si viro superstes fuerit, persoluendæ: vtraque specie aliquādo vxoris, ac eius hæredum cōmodis cessura prorsus, aliquando ad viri hæredes post mortem vxoris reditura. Et quanquam vtriusque formæ propter nuptias donationis par est ratio, idémque argumētum, conditione tamen sunt longè dissimiles. Nam præfinitæ ac constitutæ ratio non habetur, nullíque ex ea sperandi sunt fructus, nisi ex quo in iure, quod donatum est, petitum fuerit. Stata verò ac moribus introducta, iure vsqueadeò est eximio, vt tametsi in diem, & sub conditione facta sit, nempe dum vir, vxore superstite, liberísque existentibus, fatis concesserit: res tamen donatæ, ex ipso ductæ vxoris articulo, traditæ atque vsucaptæ intelliguntur: & earum, tam nexu, mancipióque liberi sunt domini, vt etiam eiurata vtriusque parentis hæreditate, omni eorum ære alieno, à nuptiis contracto, liberas omnino recipiant. Hoc posito fundamento, Florentius Theobaldus Mariam Grandem præfinita, vel, si illa volet, stata propter nuptias donatione à se ornatam, vxorem ducit. His de medio sublatis, vnicam eorum filiam, à cognatis & propinquis oblatam, Regiæ vrbis Orphanotro-

phi,quos à sancto Spiritu nuncupāt,suscipiunt, alunt, exhibent,donec illa adhuc infans,vita decedit. Protinus Gasperna & Massetus,eorúmque vxores, infantis vita functæ amitæ (qui, si viuenti tam officiosi fuissent,quàm fuerunt eius hæreditatis amantes,litis saltem molestia,magna ex parte, carere poterant) duo iudicia intendunt. Alterum in Orphanotrophos,de iusta hæreditatis possessione: alterum in emptorem,certarum rerum,per statam propter nuptias donationem, vindicatione. Et ne fabulæ à personis quicquam desyderaretur, prodierunt Philippus & Caterina Grandes, auunculus & matertera, contendentes se,ex sorore neptis hæredes pronuntiari: ac donationis propter nuptias optionem,à sorore in neptē,& à nepte in se esse trāsmissam: atque ita præfinitam, quam optabant,sibi adiudicari postulantes. Vtrisque opponunt Orphanotrophi,suos se orphanos non educare modò, verumetiam pro cuiusque modulo artibus instruere,quibus & sibi & Reipub. aliquando prodesse possint. Cúmque suæ tutelæ facti sunt, se sua illis, quæcunque acceperint,restituere. Quòd si minores x x v. annis,in Orphanotrophio diem suum obeunt, reculas eorum (nec enim huic loco commendari solent,quibus res est ampla domi) veluti quasdam exuuias, & nonnullam educationis mercedem ad Orphanotrophium pertinere: non secus atque si vir, aut mulier,liberos non habens, monasticam vitam elegerit, & monasterium ingrediatur: bona eius ad monasterium,quod ingressus est,Iustinianeis constitutionibus spectare iubentur: séque post conditum Orphanotrophium, eo iure esse vsos. Cæterùm nec agnatos, nec cognatos, de ea (vt ita dicam) hæreditatula digladianteis, esse ferendos: qui tutelæ atque educationis onus omnes vsqueadeò detrectassent,vt Orphanotrophio infantem, imò verò lactentem adhuc, offerētes, eam propemodum exposuisse videretur. Referunt agnati, Orphanotrophos pupillis,instar tutorum: adolescentibus,instar curatorum, legibus quidem esse constitutos: posse res eorum & in iure & extra ius, sine satisdatione tueri: bona descripta atque æstimata, si fortè æs alienum vrgeat,vel res sint tempore perituræ, vendere atque alienare: pretia seruare: nullis rationibus neque tutelaribus neque curatoriis esse obnoxios: sed de rebus eorum Orphanotrophio, vllo modo adscribendis, ne ἰῶτα quidem vel apicē vnum inueniri. Quod

auté de infante Orphanotrophio oblata, ac propè expoſita obiiciebatur: id à mulierculis duabus, amitis quidem illis, ſed quid agerent planè ignorantibus, eſſe factum. Cognatos porrò omnino eſſe indignos, qui vel ſpectarentur in ſcena. Donationem enim ſiue ſtatam ac moribus introductam, ſiue pacto conuento præfinitam, à patre profectam eſſe: matrem in re donata nihil, præter vſumfructum, habuiſſe: ideóque eam ad paternos hæredes, maternis exploſis, rediiſſe. PLACVIT agnatos (Gaſpernam dico ac Maſſetum, eorúmque vxores, infantis amitas) in omnibus eſſe ſuperiores. Ex quibus hæc quatuor colligimus. Vnum, Orphanotrophos minoribus XXV. annis, apud ſe de vita decedētibus non ſuccedere. Alterum, propter nuptias donationem, ſiue ſtatam, ſiue præfinitam, vt à patre proficiſcentem, agnatos, aut (ſi mauis) paternos hæredes ſequi. Tertium, alterutrius optionem ad hæredes trāſferri. Poſtremum, de ſtata propter nuptias donatione, quantocunque interuallo ad nos perueniat, interdicto vti poſſidetis agi poſſe. Quartæ Claſſis placitū, Sennetonio litis enarratore, pronuntiatum areſtis Natalitiis, M. D. L I.

II.

Sententiam, de donatione propter nuptias, ſeu vulgò, doario, latam, etiam in tertium poſſeſſorem, prouocatione non ſuſtineri.

LATA ſecundum viduam, περὶ τῆς ἀντιφερνῆς ſententia, indéque interpoſita prouocatione: petebat vidua, vt prouocationi non cederetur, proferens legem, de huiuſmodi ſententiis prouocatione non ſuſtinendis. Dicebat prouocator, actionem non in perſonam, ſed in rem eſſe conceptam: ſe neque viri hæredem, neque fundum à ſe poſſeſſum, τῇ ἀντιφερνῇ vllo modo eſſe oppigneratum. Referebat vidua, vbi lex nihil diſtingueret, nec nos diſtinguere debere. PLACVIT ſententiam prouocatione non ſuſpendi. Ex tempore XIIII. Calend. Decembr. M. D. XLIX. Simone Heruillio & Iohanna Billoræa diſceptantibus.

III.

Alium pro alio, eiúſue parte, fundū, donationis propter nuptias, vel (vt aiunt) doarii iure, vtēdum fruendū dari, ex cauſa receptum.

VIRI hæredem, cùm ἀντιφερνῆς, moribus comparatæ, iudicio, vxor vidua ſuperaſſet: petiit, vt ille iudicatum faciens, ex prædiis omnibus τῇ ἀντιφερνῇ obnoxiis, quod eam contingebat, traderet. Ab hærede reſponſum eſt, nihil ſe morari iudicatum, præterquam quòd è prædiis certum, litem hæreditariam componendo ac decidendo, permiſerat aduerſario: æquè boni, aut melioris prædii conditionem

ferens. Sed conditione vidua vti noluit, hæredem fraudis insimulãs, quòd is, post acceptum iudiciũ, prædium alienasset: dolúmque pro possessore damnandum. TANDEM lata pro conditione pronuntiatum est. Enimuero ἀντιφερνῶν vsusfructus instar habere: ideóque id hæredi, penes quem eius rei dominium, mancipiúmque esset, licuisse: imò verò &, si non licuisset, tamen fuisse condonãdum. Litigatores Iohanna Bellaïa, Claudius Castillionius. Litis enarrator, Iohannes Cerarius. Placitum recitatum pridie Id. Febr. M. D. XLIII.

De commissa inter coniuges

RERVM COMMVNITATE, TIT. III.

I.

NOSTRA in Gallia, neque lege, neque testamẽto tutores, sed tantùm ex inquisitione dari receptum est. Itaque parentum superstiti, filiis tutores petere non minus incumbit, quàm olim iure Romanorum, matri: quæ, si id facere neglexisset, ius non esset habitura vindicãdorum bonorum, quæ filii intestati reliquissent. Tutores (inquam) petere, qui confestim officio suo fungentes, repertorium (quod vulgò inuentarium appellatur) conficiant: &, si non fecerint, nec necessariam & iustissimam causam allegare possint, cur factum nõ fuerit, in id teneantur, quod pupillorum intersit, ex iureiurando in litem æstimandum. Iure igitur optimo, magnáque prouidentia, Parisiorum moribus inductum est, vt altero coniugum vita functo, relictis liberis minoribus XXV. annis, si superstes repertorium non fecerit, vel aliàs commissæ matrimonio rerum communitati non derogauerit, ídque liberi è re sua esse putẽt: petere possint communicationem rerum omnium superstitis, cùm pecuniæ, tum soli, quas comparauerit, vsquequo repertorium confecerit, etiam si aliud matrimonium iniuerit. Sed qualecunque repertorium, an numeris omnibus absolutum & solenne desyderes, cùm alioqui ex actu nullo etiam voluntas declaretur? ET PLACVIT, ad vitandam huiusmodi communitatis prorogationem, absolutum ac solenne deberi, quãtumlibet angusta res communis esse dicatur. Placitum pronuntiatum x. Calẽd. Ian. M. D. XXIX. Chipartius doctiss. mihíque amiciss. admonuit.

Ad vitandam communitatis, quæ inter cõiuges fuit, prorogationem, repertorium absolutum ac solenne deberi.

II.

A' repertorii ſolennibus nec mulierē quidē excuſari.

ETIAM à muliere, quantuncunque iuris ignara, iſtac in ſpecie, ſolennia omnia exigi placuit. Placitum pronuntiatum XII. Calẽd. April. M. D. XLII, Boqueto & aliis, in Mallarium, communitatis pro rogationem intendentibus. Cuius deſcriptum mihi fecit Collierius noſter, rerum inſignium iudicatarum obſeruantiſſimus.

III.

Si prædium à viro cõparatum, mulier ſibi com mune defendat: cõparantis domiciliũ, non prædii cõparati locum ſpectari.

NOSTRARVM diœceſum alias moribus, alias iure ciuili Romanorum regi, nemo eſt qui neſciat. Vbi autem moribus agitur, puta Lutetiæ, vt animorum ac corporum, ita & vniuerſæ pecuniæ & prædiorum duntaxat quærendorum, inter coniuges initur ſocietas: vbi verò iure ſcripto viuitur, vt Lugduni, ſuas quiſque ſibi res habet, præter dotem, quæ à muliere, vel alio pro ea, marito datur, ipſi vxori, ſoluto matrimonio, vel hæredibus eius reſtituenda. His in modũ præuiæ cuiuſdã inſpectionis habitis, Titio & Mæuia coniugibus Lugdunum incolentibus, Titius prædium vrbanum Lutetiæ comparauit. Eo vita functo, petiit Mæuia, Lutetianis moribus innixa, dimidiam quæſiti prædii partem. Defendebant Titii hæredes, neque pacto conuento, neque iure ſcripto, quo quidem Lugduni vterentur, vllam Titio cum ea, rerum interceſſiſſe cõmunitatem. LITE ſupra quàm dici poſſit exagitata, tandem Mæuiam petitione ſummoueri placuit. Nam in eiuſmodi controuerſiis ſpectari non oportere, quid eò loci agatur, quo res parta iaceat, ſed quo, qui quæſiuit, larẽ tum familiarẽ habuerit. Placitum quod à diua Maura nuncupatur, cõflatum auſpicante Martio, M. D. XLIX. Bœleueo litis enarratore, pronuntiatum *

IIII.

Dotalis pecuniæ, prædiis vxori cõparandis, inſumẽdæ obligatione, à cætero communi ære alieno nihil differre.

SI conuenerit, vt vir in prædia vxori comparanda, dotalis pecuniæ partem inſumeret, nec fecerit: ſoluto matrimonio, eam pecuniam, velut æs alienum, ex rebus ſocietatis inter virum & vxorẽ moribus inductæ, ſoluendam eſſe, & reſponſum & iudicatum eſt.

V.

Cõmune eſſe nomen, ſi pecuniã, ex prædii vxorii vẽditione conflatam, vir in ali⁹ emptio-

SED, quæſo, videamus, erítne aliquid diuerſum, ſi vir vxoris prædiũ vendiderit, & ex pecunia inde confecta, promiſerit ſe aliud empturum, quod eodem iure ſit vxori ac venditum: & antè deceſſerit, quàm ſe liberaret. ET placuit nihil eſſe, quo diuerſum quicquã ſtatui opor-

teret. Siquidem vtrunque eſſe nomen, quod ex rebus ſocietatis eſſet diſſoluendum. Placitum pronuntiatum x. Calend. Ian. M. D. XXV. Litigatoribus Caterina Bourtia, & Gulielmo Parente, Claudii Parentis tutore.

VI.

TEMERE inſtitutæ prouocationis mulctam, inter virum & vxorē, eorúmue hæredes diuidi placuit. Pridie Id. Ian. M. CCCC. VI.

Temerariæ prouocationis mulctā, cōmune viro & vxori eſſe nomen.

VII.

MORIBVS noſtris, ſtatim à iuſtis rei vxoriæ peractis, communicatio pecuniæ, æris etiam ſui & alieni in præteritum itidem in poſterúmque: rei autem prædiariæ in poſterum tantùm procedere cenſetur. Itaque mortuo viro, dimidiam æris alieni perſonalis, ab eo contracti, partem, vxor diſſoluere tenetur. Quòd autem æs alienum perſonale, ſcripti mores ita perſtringerent, vt nullam hypothecarii facerent mentionem: ſæpenumero controuerſum eſt, an eiuſmodi ære vxor etiam teneretur. ET pro vniuerſo Claſſium Curiæ conuentu decretum eſt teneri, ſed quatenus è prædiis communibus ad eam perueniſſet: alioqui futurum, vt prædiorum, quorum fortaſſe coëmendorum gratia, æs alienum vir contrahens, hypothecas dediſſet, pars apud vxorem libera maneret, atque ita cum aliena iactura, ipſa locupletaretur.

Ære alieno viri hypothecario, an, & quatenus vxor teneatur.

VIII.

LVCIVS Titius, priore conſtante matrimonio, fecerat nomen. Eo ſine liberis mortuo, à ſecundæ vxoris hæredibus, pars nominis dimidia petebatur. Dicebant hæredes, defunctam nihil cum creditore contraxiſſe. Referebat creditor, L. Titium etiam tum, cùm altera vxor in manum conueniret, eum nihilominus fuiſſe, qui ab initio fuerat, debitorem: & ob commiſſam inter eos municipii iure communitatem, vxorem tacitè medium iniuiſſe nexum. CVRIA, conſilii rem eſſe pronuntiauit: & interim hæredes, accepto repromiſſore, iuſſit quartam dependere. III. Cal. Mart. M. D. XLVII.

Æris alieni, primo viri matrimonio contracti, ſecunda vxor quatenus rea fiat.

IX.

SOCII mei ſocius (inquit Vlp.) ſocius meus non eſt. Cùm enim ſocietas conſenſu contrahatur, ſocius mihi eſſe non poteſt, quem ego ſocium eſſe nolui. Itaque ſi ſocius meus eum admiſit, ei ſoli ſo-

Prorogata, obrepertoriū non confectum, ſocietate, quis ſo-

cii socius intelligatur. cius est: & qui eum assumpsit, communicabit: nos cum eo nõ communicabimus. Regulam (nisi maximè fallor) certissimam, perpetuam, & quæ nulla vnquam exceptione subuerti possit. Sed in specie, quam nunc proponimus, quis ille socii socius habendus esset, diu multúmque dubitatum est. Puteanus Fontanã sibi vxorem adiunxit: ex qua cùm liberos aliquot sustulisset, his relictis, diem suum obiit. Fontana, repertorio solenniter non confecto, Mallario iterum nupsit: póstque aliquod tempus, eo superstite, mortua est. Cùm igitur vnam & alteram, duobus matrimoniis Fõtana, societatem coïuisset, priorísque societatis prorogatio moribus esset inducta: quæso, quam earum præcipuam societatum, quémque Fontanæ sociæ socium esse dixisses: eiúsne liberos ex priore matrimonio, an verò Mallariũ, cui secundò nupsisset? quorum vtrunque defendebatur, vt illi de dodrãte rerum omnium communium, hic de semisse contẽderet. RE mirãdum in modum concertata, & prolatis omnibus, quæ vsquam reperiri potuerãt, rerum antea iudicatarum exemplis, potiorem Mallarii, secundi viri, & Fontanæ vxoris societatem haberi placuit: ac Fontanæ ex priore matrimonio liberos, sui patris hæredes, non Mallarii, sed Fontanæ vxoris & sociæ socios esse. Proinde bonorum omnium inter Mallarium & Fontanam communium, semissem esse Mallarii: ad defuncti autem viri liberos & hæredes alterum semissem, non petitum dodrantem, pertinere: puta quadrantem iure prorogatæ cum Fontana societatis, & alterum quadrantem, vt Fontanæ ipsius etiam liberis hæredibúsque delatum. Placitum pronuntiatum XII. Calẽd. April. M. D. XLII. Boqueto & eius vxore, nonnullísque aliis cũ Mallario, ea de re ambigentibus: illud idem, cuius à Collierio dati supra mentionem habuimus.

De diuortiis, Tit. IIII.

I.

Diuortii causa pendente, & vxorem & res apud virum esse debere.

AEQVVM ac bonum esse, Curiæ visum est, vt dum diuortii causa cognoscitur, vir & vxor in matrimonio sint, mutuóque in officio contineantur: & quemadmodum vxor, ita & res apud virum esse non desinant. ITAQVE Sandouillano & Florigniæ vxori pronuntiatum est placere, vt nulla summæ quæstionis prærogatiua,

Florigniæ, quæ diuerterat, interim reuertendum esset, atque etiam ab ea reddendæ res, quas ipsa, inito diuortii consilio, amouisset. v. Calend. Mart. M. CCCC. XCII.

II.

CVM T. à C. viro suo diuertisset, eíque diuortii libellum misisset, prorsus idem placuit. XV. Cal. Septembr. M. D. XXXVI. Idem.

III.

EXTEMPORALI iudicio, nihil diuersum abstulit G. Marthanus, à quo Marqueta vxor diuortium fecerat * Quod tolerabile quidem est, quantùm ad res attinet: sed de personis, est profectò prima frõte, quod durum videri possit. Vix enim est qui ferat, dies & noctes eius vti consuetudine, à quo sit accersitus, vel quem ipse capitis accersiuerit: nisi Euangelicum illud, totis animi viribus amplexatus sit, Diligite inimicos vestros: benefacite iis qui oderunt vos: aut saltem vel humana ratione, futurum speret, vt eiusmodi consuetudine mitescat animus: & (vt in prouerbio est) amantium iræ, amoris redintegratio sit. Decreuit id quidem (vt videre est) semel, iterum ac tertium, aut fortasse frequentius Amplissimus Ordo: sed certò scio Marquetam, superstite diuortii causa, seorsum à viro, vita excessisse. T. illam, quam proximè dixi, in eodem adhuc hærere luto: neque id omnino improbatum fuisse. Toleratum enim, imò verò iudicatum, vt, cùm sui ipsius, tum etiam vnius aut alterius filiarum, eo matrimonio editarum, alendarum exhibendarúmque gratiâ, rerum suarum partem sibi haberet.

Diuortii causa pendente, vxorem seorsum à viro agere, rerúmque suarum partẽ habere, aliquãdo indultum.

IIII.

QVOD exemplo certè non caruit. Paulò enim ante primum illud decretum, nempe x. Calend. Febr. M. CCCC. XCII. Nouoburgio & vxore, de diuortio ambigentibus, interea dum ea lis conficeretur, res inter eos communes apud maritum placuerat esse debere: sed si dimidia ex parte, ab eo caueretur. Cæterùm pecuniæ ducẽtas, quas Parisiis libras appellant, subsidii causa vxori esse numerandas. Cuius decreti partem, quæ ad satisdationem pertinet, magni equidem faciendam esse duco, aduersus eos, qui operæpretium arbitrantur se facturos, si Oceano aquam importent, hoc est, si vndique corradant, quo fiscum alioqui exundantem adaugeant. Aiunt Idem.

enim moribus, res omneis, quæ mobilium appellatione continentur, ſimul etiã quæſita, in mariti iure ac mancipio eſſe: proinde eum, ſi capitale quid admiſerit, ea, vt cætera omnino ſua, ipſo cum homine committere. At verò nulli cauemus, niſi cui (ſi ita eſt vt ait) ius ſit, aut eſſe poſſit ea in re, cuius nomine nobis ei cauendum eſt. Et eiuſmodi mores (qui fraudẽ nominatim abeſſe voluerunt) quamobrem ea, quæ alioqui illis ipſis moribus, inter coniuges ſunt cõmunia, maritis permiſiſſent: niſi vt quoties iis (quæ plurimùm maritorũ laboribus parantur, parta, vxorum diligentia conſeruantur) vtendum eſſet, liceret quidem: neque neceſſarius eſſet vxoris conſenſus, fortaſſe plus æquo tenacis, aut viro non vſquequaque morigeræ: fide tamen bona, & ſine vlla vxoris captione, quam etiam (vt Neruæ & Caſſio placuit) ſocietas vitæ, rerum mariti quodam modo dominam faceret? Vulgò quidem certè in vtranque ſententiam, prolata fuiſſe decreta ferunt: ſed quòd de iis nihil certum habemus, temperamus.

De donationibus inter viuos,

TIT. V.

I.

Donationẽ, quam abſenti, publicus pactorũ perſcriptor ſtipulatus fuiſſet, olim valuiſſe.

Vſuſfructus retẽtionem, poſſeſſionis trãſlationem operari.

IN donationibus, quas inter viuos appellant, quid ſit obſeruandum, ex legibus à Franciſco Valeſio primo, & Henrico ſecũdo latis, facile eſt deprehẽdere. Sed quòd ad donationes antea factas attinet, XVII. Calend. Feb. M. D. XXXVIII, litem dirimendo, quæ Petro Tabonæo cum Iohanne Pellione, Criſpini Clementis tutore, interceſſerat: tertiæ inquiſitionum Claſſi, pro axiomate placuit, donationem abſenti factam, quam publicus pactorum perſcriptor, illi ſtipulatus, accepiſſet, ratam eſſe: ac per vſufructum, quem donator ſibi recepiſſet, rei poſſeſſionem in eum, cui perſcriptor ſtipulatus fuiſſet, quantumlibet abſentem ac ignorantem, vſqueadeò fuiſſe tranſlatam, vt, donatore vita functo, etiã tum denique cognita donatione, interdicto retinendæ poſſeſſionis, rectè poſſet cũ quocunque contendere.

II.

Res filio, alioqui ſucceſſuro, à patre donatæ, cuius naturæ efficiantur.

PATER alteri liberorum, maiorem prædiorum ſuorum partem, quàm ille hæreditario iure habiturus eſſet, donauerat. Cúmque res eò deueniſſet, vt ambigeretur, ídne omne quod à patre donatum

erat, filii patrimonium esset, an verò quæsitum haberetur: semel, iterum atque iterum placuit, eatenus patrimonium existimari, quatenus patri filius hæres futurus erat, si donatum non fuisset: reliquum autem, quæsiti naturam imitari. Placitorum alterum tertiæ Classis, pronuntiatum arestis Sextilibus M. D. L I I. Berthelotio litis enarratore: Alterum *

I I I.

PVBLIVS Mæuius Actuarii, & pactorum Perscriptoris, & Saltuarii munera, quatenus eius patebat imperium, Lucio Titio, eiúsque vxori, ac filio, ob Lucii Titii benemerita, dederat. Imperio venditione mutato, & muneribus à nouo domino aliis assignatis: disceptatum est, ea ἀντιδῶρα an auferri potuissent, quòd ad donatoris tempus viderentur esse restringenda. Quibus erant ablata, dicebant, perinde esse atque si fundi vsufructu pro parte mihi dato, tu postea fundum alii purè vẽdideris, vsumfructum nihilominus deberi: emptore victo, ad te (si libuerit) reuersuro. PLACVIT ἀντιδῶρα, quæ veluti quoddam sunt permutationis genus, esse restituenda. I X. Cal. April. M. D. L. Francisco Vindocinensi, Claudio Subminio, & aliis ambigentibus, Goeurotio litis enarratore. Officii, munerísue donatione, ob benemerita, facta, etiã singularem successorem stare debere.

I I I I.

DIPLOMATE muneris, ob benemerita, Lucio Titio dati, sic habebatur, Vtendũ fruendum quoad viues, & in nostro famulitio eris. L. Titio munus ablatum repetẽti, nihil obesse placuit, quòd is neque in donatoris, neque in noui per venditionem domini famulitio esset. I X. Cal. Apr. M. D. L. Francisco Vindocinensi, Claudio Subminio, & aliis disceptantibus, Goeurotio etiam litis enarratore. In officii, munerísue, ob bene merita, donatione, hæc verba, Quoad vixeris, & in nostro famulitio eris, vt intelligantur.

V.

IMPP. Constantius & Constans Orfito P. V. rescripserunt, tandiu valere donationem, quandiu donatori liberi extarent nulli. Sed donatori Molineo, primæ notæ Iurisconsulto, donationem, liberorum causa reuocanti, frater, cui donatum erat, obiiciebat, ad rem nihil facere rescriptum: quòd dum is matrimonium contraheret, ille interueniens vel donasset, vel antea se donasse professus fuisset: & publicè interesset quàm maximè, ne vxores huiusmodi donationibus fidentes, earúmue liberi deciperentur. PLACVIT donationem, sine vlla Donatori, liberis extantibus, quatenus donationẽ liceat reuocare.

vxoris, liberúmue fraude reuocari: ſcilicet, ſi, & quatenus eius, cui donatū erat, facultates, donationi à ſe vxori propter nuptias factæ (quod vulgò doarium appellant) non eſſent ſuppetituræ. Areſtis Liberalibus M. D. L I. Berthelotio litis enarratore.

De legatis, & mortis cauſa donationibvs, Tit. VI.

I.

Quibus non poſſum', eorum liberis nos dare legare poſſe.

QVIBVS non poſſumus, eorum liberis nos dare legare poſſe (qua de re valde ambigebatur) celeberrimo Curiæ decreto receptum eſt, quod Quinetanū appellatur, pronuntiatum V. Cal. Iul. M. D. XLVII. Litigatoribus, Guliel. Craſſo & Alyſia Matiſſona. Cuius decreti cauſas Chartarius & Alberius duas eſſe putant. Alteram, quòd moribus noſtris, nobis per filios noſtros non adquiritur. Alterā, quòd res liberis datæ legatæ, ad parenteis, nō niſi mortalitatis ordine turbato, peruenire poſſunt: & caſum aduerſámque hominum fortunam ſpectari, neque ciuile neque naturale eſt. Ex eo decreto fluxit & aliud, quod pronuntiatum eſt VII. Id. Septemb. M. D. LIII, eodem Craſſo illius exequutionem perſequente.

II.

Idem.

NEC diuerſum, ex tempore iudicatum eſt, Margaritæ Iubertiæ XIIII. Cal. Mart. M. D. LII. Ecce enim, Viri filiæ, quam ipſe ex alio matrimonio ſuſtulerat, vniuerſam pecuniam (quæ vulgò mobilia vocant) vxor teſtamento legauerat. Legatum petenti hæredes obiiciebant, moribus eſſe cautum, ne vir vxori, vxórue viro quicquam donare legare, néue vllis, rectè vel obliquè, alter alterum commodis augere poſſet. Vxorem, à viro paupere, blanditiis eò pellectam fuiſſe, vt morbo decumbens, quo intra quintum diem interierat, ædes, quæ ex euerſo eadem opera patrimonio ſupererant, ipſa etiam venderet: in id venditione commenta, vt vir, adumbratæ filiæ nomine, mobilium legato, quicquid æris, poſtrema illa venditione conflatum erat, exhauriret. Itaque legatum eſſe nullum: aut ſi quà conſtaret, aſſe ad quincuncem redacto, legatum ad vnciam eſſe reducendum, quòd amplius quinta patrimonii parte, moribus legare non liceret. CAVSA, vt ſperabatur, inficialiter conſtituta, & ambigentibus ad Præfe-

ctum vrbi relegatis: vindicias vtrinque petitas, ita dici placuit. Secundum legatariam, solenni testamẽto præditam, ex vncia quincuncis, hoc est, quinta controuersæ pecuniæ parte: secundum hæredes moribus innixos, ex reliquo quincunce.

III.

CVIVS patri dari legari non potest, ei nos dare legare posse receptum est quidem: sed vt in cæteris, ita in hoc quoque dolum abesse oportet. Quid enim si vxor, cùm vbicunque, municipii iure, marito potuit, tum etiam vbi non licuit, eius filiæ donauit? ET eius generis donationem non valere placuit: fraudem enim & re & consilio apertè interuenisse. Arestis Liberalibus, M. D. LI. Anna Fagia & Alacribus de ea re disceptantibus, Iacobo Viola litis enarratore. Ei nos dare legare quidẽ posse, cuius patri nõ possumus: sed ita demum, si dolus absit.

IIII.

BRICIA testamento legatum ita reliquerat: Ex fundo Suppliciano, frumenti modium & sesqui, nosocomio Lutetiano do lego: sed ita, vt si pueros diuinæ Triadi nuncupatos, seorsum ab eo agere cõtigerit: nearocomium mediam legati partem, imò verò solidum consequatur, si testamenti mei curatores volent, atque ita decernãt. Accidit vt conditio extaret: & nearocomii curatoribus integrum legatum petentibus, testamenti curatorum alter nosocomio, alter nearocomio suffragaretur: ob eámque dissensionem nosocomium, mediũ legatum retinere contenderet. CAVSA perorata, Curia rem esse consilii pronuntians, vindicias secundum nearocomium dixit. XVII. Cal. Maii, M. D. XLVIII. Vni vel duobus, testamẽti curatorũ arbitratu, legatũ, an ideò sit diuidẽdũ, quòd curatores dissentiãt.

V.

ALEMANAE, res sibi à Carpentario, viro suo, mutua donatione solenniter datas, à donatoris hæredibus tradi postulanti, ita præscriptum est, Præterquam si tu ipsa quod petis, habes: & tibi in hæredẽ, qui iuris, non etiam rei sit possessor, agere liceat. Dicebat Alemana, se habere quidem, sed certè sic habere, quasi non haberet: nempe in testamenti causam, cuius curam, testatoris iudicio gerebat: quod cùm pium esset ac religiosum, petenti nihil officere deberet. Hæredes contrà satis esse, sibi, per eam, quacunque ex causa, habere non licere. PLACVIT, præscriptioni morem esse gerendum. Ex tempore III. Non. Mart. M. D. XXXIIII. Hæredẽ, nisi vt iuris, ita & rerũ possessorem, donatariis vel legatariis non respondere.

VI.

Idem.

SED quid ſi per alium ab eo, qui petit, fiat, quominus hæres vt iuris, ita etiam rei poſſeſſor efficiatur? ET nihilominus idem eſſe placuit. III. Non. Decemb. M. D. XXXV.

VII.

Hæredem, vt iuris, ita & rerũ poſſeſſorẽ, primùm fieri oportere: ſed breui manu, donationem legatúmue præſtare teneri.

Teſtamentũ, in ſpeciẽ ſolenne, ſi quis nullũ, falſúm ue eſſe dicat: interea legatũ, accepto repromiſſore, deberi.

AT verò (vt ferè fit) poſteaquam hic iuris æquiſſimus ordo ad iniquum trahi compẽdium occœpiſſet: & rebus in hæredum mancipio poſitis, ii lites mirãdum in modum extraherẽt: atq; ita eos quibus vel donatum vel legatum erat, fruſtrà haberent: XIII. Calend. Maias, M. D. XLIII, Iohanne, Barbara, Antonina, Trunconibus, & Iohanne Monterello, diſceptantibus: extemporali iudicio introductum eſt, vt hæres, nexu, mãcipióque dominus quidẽ efficeretur: ſed breui (quod aiunt) manu, nulláque interpoſita mora, legatum donationémue præſtaret, etiã ſi donatio vel teſtamẽtum falſum, nullúmue eſſe diceretur: niſi vitium tam apertum eſſet, vt vel manu (quod dicitur) reperiri poſſet: qua in ſpecie, petitorem ſatiſdare oporteret.

VIII.

Idem.

EX teſtamento in ſpeciem ſolenni conſignatóque, quantumlibet falſum illud, aut certè nullum hæres contenderet: interea tamen, ducto à contractibus ad ſupremas voluntates argumento, placuit, accepto repromiſſore, legatum præſtari debere. Ex tempore, XIIII. Calen. Mart. M. D. LII. Margarita Iubertia & Mathur. Caëneo diſceptantibus.

IX.

Ex teſtamẽto, cui iudex Põtificius, ex inquiſitione, fidem pub. irrogauerit, eo poſtea in controuerſia poſito, an interim legata debeantur.

SED ſi teſtamento, ſua vel aliena manu exarato, teſtator ſubſcripſiſſe dicatur, atque etiam illud, deſtinato ſpeciatim à Curione ſacerdoti, vt ſuum, ſub mortem tradidiſſe: & publico teſtamentorum procuratore, fortaſſe appoſito, poſtulante, iudex Pontificius, ex inquiſitione clam hæredibus facta, teſtamentum eſſe pronuntiauerit, eíque fidem publicam irrogauerit: an eo in controuerſia poſito, legata interim præſtanda ſint, cùm ex chirographo, teſtibus quantuncunque probato, controuerſam pecuniam, fiduciario iudicio, dependere non ſoleãt? ET Lucæ Ruioo, Iohanníque Gentili, & eorum vxoribus pronuntiatum eſt non liquere, ampliúſque eſſe deliberandum. XVI. Cal. Mart. M. D. LII.

X.

ETSI teſtamentum manifeſto vitio careat: legatum tamen, intereadum de eo controuertitur, etiam ſi ſatis offeratur, non ſemper eſt præſtandũ. Quid enim ſi ei, eiúſve filio, filiæve legatum ſit, quem hæredes, ſi protinus non reuincant, tamen anticipatis teſtificationibus in ſuſpicionem vocent, ei teſtatricem, dum ipſe viro eius eſſet à ferculis, quaſi dominam ſeruo, ſeſe miſcuiſſe: & poſt viri mortem, ementito matrimonio, in ea turpitudine, quoad vixit, perſeueraſſe? Qua in ſpecie, fiduciariæ præſtationis liticulam, ad ſummam controuerſiæ reiici placuit. Placitum pronuntiatum XVIII. Calẽd. Iul. M.D.XLVIII. Litigatores, Allegrei, Iohannes Fagius, Iohanna filia. Litis enarrator G. Burgoinus.

Ex teſtamẽto, quod manifeſto vitio careat, intereadum de eo eſt cõtrouerſia, non ſemper legatum deberi.

De curatoribus teſtamentorum,

TIT. VII.

I.

TESTAMENTI curatores à teſtatore deſignati, ſi, quo tempore tabulæ ſunt apertæ, deſyderentur, alios in eorum locum ſubſtitui poſſe placuit: & factum eſt, cùm mortuo Carolo VI, nemo eorum extaret, quos ipſe arbitros teſtamentarios, & ſupremorum ſuorum mandatorum procuratores fecerat. XII. Calend. Nouembr. M. CCCC. XXII.

Aliis alios teſtamẽtorum curatores, ex cauſa ſubſtitui poſſe.

De conditionibus inſertis,

TIT. VIII.

I.

SVSANNAE Borboniæ, cùm ſtirpe Regia, tum multis aliis nominibus illuſtriſſimæ, Claudius Rieuxius, nominis, inter Aremoricæ Britanniæ proceres, celebratiſſimi, in matrimonii gratiam, ex prædiis ſuis certa, ad tria millia annua dederat: & ea ſe, precario Borboniæ nomine, poſſidere conſtituerat. Qua donatione perfecta, eodem tamen contractu, mera Borboniæ liberalitate factum erat, vt ſi ex eo matrimonio filius extaret, aut liberi extarẽt nulli: vſuſfructus tantùm, quòd ad ſe pertineret, donatus intelligeretur. Et ſi futurorũ coniugum ſobolem deficere contingeret, res ad donatoris agnatos

Conditionẽ, Si ex eo matrimonio filius extabit, an ſufficiat ſemel extitiſſe, etiã ſi non durauerit.

& gentiles reuerterentur: nisi si quis ex ea sobole, de ea re quidpiam aliud constituisset. Biennio (vltra quod Rieuxio, per fata, eo in matrimonio esse non licuit) illi, è Borbonia nati sunt filius filiáque. Filio, cùm adolesceret, de medio sublato, filia verò superstite: inter Borboniam & filias, quas Rieuxius ex priore matrimonio sustulerat, cõtrouertebatur, donatio an perpetua foret. Dicebat Borbonia, quòd liberi extitissent, & filius interiisset, vsusfructus conditionem euanuisse, & se primario iuri redditam esse. E' diuerso respondebatur, vt ea vsufructuaria maneret, sufficere conditionem semel extitisse, etiam si momento tantùm durasset, hoc est, filiũ fuisse natum, etiam si statim occubuisset. A' Borbonia referebatur, liberalitatem, quam in filium, si quis ex se nasceretur, exercere voluerat, iniquum ad cõpendium non esse cõtrahendam: nihílque minus æquitati consentaneum, quàm existimare, turbato ordine mortalitatis, se, cum filio dulcissimo, res quoque mancipio nexúque suas perdere intellexisse: & contra votum parentum, ac naturalem erga suos charitatem, eas potius ad extraneos transferre, quàm superstiti filiæ seruare voluisse. PLACVIT eius filii, qui viua matre decessisset, rationem non haberi: ítaque res à matre ad filiam peruẽturas: &, si filiæ soboles deficeret, quò conuentum erat, tum demum redituras. Aniorrano litis enarratore. Prid. Non. Aug. M. D. L.

II.

Testamento legandi, mortísve causa donãdi potestatẽ, his verbis, Dum vixerit, nõ cõprehendi.

ILLIERSII, iuuenis ac valentis nuptias Grauillia iam vetula, cùm larga effusáque donatione redemisset: ille vtcunque memor & gratus, antequam illam duceret, concesserat, vt certæ partis rerum donatarum, dum ea viueret, eius esset arbitrium. Eam postea partem Grauillia testamẽto legauerat, ac decesserat. PLACVIT non valere legatum. iis enim verbis DVM VIVERET intelligendum, Grauilliam inter viuos donare, vendere, pignori dare potuisse quidem, sed non testamento legare, mortísve causa donare: nempe legato siue mortis causa donatione in id tempus collata, quo res, iuris testatoris donatorísve non esset. Placitum pronuntiatum *

III.

Absẽtis dãnatio, an mortis instar habenda sit.

SALAZAREA, transactis in alio matrimonio melioribus annis, nouum cum Pocario, ætate florenti, matrimonium initura, illi eo

nomine fundum ita dederat, vt si fatis prior ille concederet, fundus ad se reuerteretur. Cúmque Pocarius, homicidii reus absens delatus, indicta causa damnatus esset, eiúsque bona omnia publicè possiderentur: dicebat Salazarea, absentis damnationem mortis instar habere, séque ante pœnam esse. Opponebatur, inter donandum, de ficta morte nihil actum. Itaque de vera ac naturali intelligendum. Posse etiam Salazaream prius mortem oppetere, sícque fieri, vt nullus reuersioni relinqueretur locus. HENRICO Valesio II. cum Proceribus, vniuersáque Curia, pro tribunali sedēte, iúsque palàm dicere auspicante, hominum frequentia flagrante auditorio, & causa à Seguerio, AEmerio, priuatis, Marilliaco, Regiæ aduocationis triumuiro, pro consessus dignitate atque amplitudine, argumentíque ratione, passis facundiæ copiæque dicendi velis, perorata: Nomophylax, Iohannes Oliua, consulto Principe, Proceribus, Cōscriptis, pronuntiauit, Principi non liquere, ampliúsque esse deliberandum. Bona tamen interim, vti publicè possidebantur, ita & possideri debere. IIII. Non. Iun. M.D.XLIX.

IIII.

MATRIMONII pactis comprehensum erat, vt si marito superesset vxor, bonorum omnium, quæ ad eum spectarent, ipsa vsumfructum haberet: liberos, si quos ex ea sustulisset, alēdo exhibendóque. Accidit, vt mortuo marito, filiis exulantibus, Iohannes Tillius, Curiæ Actuarius, multis nominibus commendatissimus, & à quo magnum aliquid expectatur: Tillius (inquam) qui exulāteis, ob calumniam, pecuniæ condemnauerat, rem iudicatam exequens, ea bona pignori auferret. Tum mater intercedere, dicere, filiorum exilio, quod mortalitati comparabat, plenum vsumfructum se consequutam. Tillius contrà, huiusmodi vsufructu, eam in domo prærogatiuam, qua viuente marito, vxor vtebatur, solùm intelligendam, ideóque eum ad alimenta esse contrahendū: reliqua omnia ad filios pertinere. Cæterùm qualis ille cunque vsusfructus esset, filios re vera viuere: rem iudicatam, mortis fictione non esse frustrādam. QVIBVS de rebus, siue à dubio atque euariante iure, siue à studiis & gratia (quod alicui excidit: ego autem cùm pro Tillii ipsius integritate, tū etiam pro Amplissimi Ordinis dignitate nunquam existimauerim)

Fictū, in suo casu, nō semper tam valere, quàm verum (puta)

Vsufructu, filios alendo, vxori concesso: ad eū plenè cōsequēdū, filios exulātes, pro mortuis non haberi.

Exilii cum morte cōparatione, rem iudicatam nō esse frustrandam.

vix minor in iudicando, quàm in agendo controuersia fuit. Nam ad maius tribunal primùm, deinde in prima inquisitionum Classe, calculi adæquarunt. Sed tandem cùm ad Secundanos deuentum esset, ii colophonem addiderunt, & Tillium in causa superiorem esse cẽsuerunt, Harlæo & Hospitali alternantis aleæ decretoribus. Placitum pronuntiatum, prid. Cal. Aug. M. D. L.

De fideicommissariis hæreditatatibus,

TIT. IX.

I.

Fictionẽ idẽ operari in casu ficto, quod veritatem in casu vero (puta) Filiũ, nuptiis insequutis, legitimũ factũ, etiã fidei cõmissi verbis, de filio, ex iusto ac legitimo matrimonio procreãdo, cõtineri.

IN Fuxii testamẽto ferè sic habebatur. Gasto, dulcissime fili, mihi ex asse hæres esto. Sed, cùm morieris, te rogo, vt si quis tibi filius, ex iusto ac legitimo matrimonio natus erit, hæreditatem ei restituas: sin nullus, Iohãni fratri tuo. Mortuo testatore, institutus hæres ex quadam puella, cuius consuetudine abutebatur, puerum sustulit: quem postea, dum illam duceret vxorem, sacris nuptialibus ȧdhibuit, vt filius sibi æquè ac iustus & legitimus foret. Tum Iohannes, hæredis instituti frater, hanc in se cudi fabam animaduertẽs, fratri iudicium intendit: petit vt huius filii, veluti qui ante matrimonium natus sit, rationem haberi non licere pronuntietur. Defendebat institutus, filium, per matrimonium quod erat insecutum, legitimum esse factum, & iuris (vt vocant) fictione (quod rectius atque elegantius mihi Placentinus dicere videtur, iuris artificium) perinde esse, atque si ex iustis nuptiis editus fuisset. Referebatur, filium quidem ita legitimum esse habẽdum, vt suus patri, non item auo, hæres futurus esset: id enim saluo testatoris iudicio fieri non posse. ET huiusmodi filium, testatoris iudicio placuit esse comprehensum. VII. Id. Iun. M. D. XXXVIII. Macrulo litis enarratore.

II.

Filius, hæreditatẽ restituere grauatus, quid detrahat.

DIV multúmque dubitatum est, an filio hærede instituto, & alio illi substituto, existente substitutione, præter legitimam, hoc est, tertiam bonorum partem, quæ iure naturæ, ex nouella Imp. Iustiniani constitutione debetur: etiam reliqui bessis quartam, ex Senatusconsulto Trebelliano competentem (quæ partes semissem faciunt) detrahere liceret. ET tãdem licere placuit: alteram, vt suo ac legitimo

hæredi, qua nec ipſe fraudari potuiſſet: alteram, vt cuiuis extraneo, ſi hæres inſtitutus fuiſſet. Nec aduerſus hanc facere, quòd teſtator ita loquutus eſſet, Volo omnia mea bona ad ſecundum hæredem peruenire. Generalibus enim teſtatoris verbis non adimi, quod lege, vel Senatuſconſulto nominatim conceditur. Et obſcura verba ſic eſſe interpretanda, vt, quoad eius fieri poſſit, leges habeant locum. Imò verò in dubio, veriſimilius eſſe, teſtatorem à legibus & Senatuſconſultis recedere non intendiſſe. Itaque generalia illa verba ita fuiſſe accipienda, vt de omnibus bonis, quæ ex Senatuſconſulto ſupereſſent, intelligerentur. Et qui eam quartam detrahi nolit, oportere, eum id expreſſè quaſíque conceptis verbis prohibere. Dixerit aliquis, otioſa ergo illa: ſuffeciſſet enim ſecundum hæredem nominaſſe. Sed (quæſo) quid prohibet, pluribus verbis idem inculcare, & (vt Græci dicunt) ταυτολογεῖν? Verùm otioſa ſint licet, planum eſt tolerabilius eſſe, hoc (vt ita dicam) vitiolum admittere, quàm Senatuſconſulto non eſſe locum. Inter cætera huius argumenti decreta, extat illud, quod pronuntiatum eſt Cal. Februar. M. D. XLIX. Sanctandreano, Tribuno militum, & Monrenartiis ambigentibus, Clerico litis enarratore.

De hæreditatibus, quæ ab inteſtato DEFERVNTVR, TIT. X.

I.

HAEREDITATEM non aditam non tranſmitti, regula quidem eſt, ſed quæ hanc in primis exceptionem admittit, PRAETERQVAM IN FILIIS, propter naturalem parentum in filios obligationem. Itaque placuit patris hæreditatem à filio non aditam, ad nepotem eſſe tranſmiſſam. Areſtis natalitiis, M. D. LI. Patris hæreditatem, à filio non aditam, ad nepotẽ trāſmitti.

II.

MATRIS hæreditatem, liberorum maximus, cæteris eam agnoſcentibus, cùm repudiaſſet: controuerſum eſt, an proximus ab eo, in erciſcunda familia, is habendus eſſet, cui, moribus, ſuum, ætatis nomine, ratum eſt præcipuum. Dicebat hic, ſe in maximi ius ac locum intraſſe, ſimul atque ille hæreditatem omiſiſſet: perindéque eſſe ac ſi aut nũquam extitiſſet, aut ante delatam hæreditatẽ, de medio ſubla- Liberorũ maximi, hæreditatẽ repudiātis, partẽ, cæteris, ex æquo, fratribus ac ſororibus accreſcere.

tus fuiſſet. Hanc fratris à maximo maximi, reliqui tum fratres, tum ſorores, intẽtionem depellebãt, ſed longè diſpari ratione. Illi quidem potius fingendũ eſſe, fratrum omnium maximum, poſt aditam hæreditatem, ſine liberis vita exceſſiſſe, atque ita ius ſuum ad ſe, nempe trãſuerſarios hæredes transtuliſſe: in quo ſuccedẽdi genere, pro more ciuitatis, fœminarum ratio non habetur, neque inter maſculos, præcipui ius vllum ſibi vindicat locũ: aut certè non petentis partẽ, velut è tranſuerſo venientem, ſolis maſculis accreuiſſe. Hæ verò, nihil eſſe affingẽdum, nihil quod morti rectè cõpararetur, nihil quo naturæ veritatem imagine obumbrare oporteret. È trãſuerſo nihil obueniſſe: vnam liberis omnibus, matris hæreditatem eſſe delatam, quam ſi qui vel omiſiſſent, vel repudiaſſent, cæteris, pro ſua cuiuſque parte, ius eſſet accreſcendi. PLACVIT liberorũ omnium maximi partem cæteris omnibus, ex æquo, fratribus ac ſororibus accreuiſſe. Placitum pronuntiatum v. Id. Septembr. M. D. LII. fratribus ac ſororibus Bocheriis ambigentibus, Alberto litis enarratore.

III.

Regulæ, Paterna paternis, materna maternis, nõ eſſe locũ, niſi inter eos, qui ſunt in eodẽ gradu.

TITIO per patrem, Mæuio per matrem, Sempronio cognatis, de eius hæreditate contendentibus, dicebat Titius ſaltem ſibi deberi paterna, quo defunctum genere contingebat, tametſi vno gradu, ab eo longius abeſſet. A Mæuio referebatur, regulæ, Paterna paternis, materna maternis tribuenti, non eſſe locum: quòd ipſe, quãquam materno genere, vno tamen illo gradu propior eſſet: neque moribus Titio liceret, patris perſonam induere. * Curiæ claſſi, cæteris claſſibus (quòd ea res ad exemplum ſæpius reuocatum iri videretur) conſultis ac conſpirantibus, placuit Mæuium ex aſſe hæredem eſſe. Placitum pronuntiatum *

IIII.

Cognatum propius ſobrino, per auum & auiã, defunctũ cõtingentem, à rebus paternis, conſobrinum, per ſolam auiã cõiunctum excludere.

FRANCISCO Roſſello ſine liberis mortuo, eius hæreditatem, aut certè bona, quæ illi à patre obuenerant, petebat Nicolaus Roſſellus, propius ſobrino. Defendebat Iacobus Geraldus, defuncto cõſobrinus, ea ad ſe pertinere, quòd hoc vno gradu petitorem anteuerteret. Anteuertis quidem (referebat petitor) ſed quæ controuertuntur, non ab auia Lunella, per quam ſolùm tu defunctum, non etiam per auum (vt ego) contingis, profecta ſunt: imò verò ſunt patris

labore parta. SECVNDVM eũ vnde petebatur, Præfectus vrbi pronuntiauerat: ſed Curiæ contrà placuit, res controuerſas paterno petitori paternas adiudicari. v. Id. Septembr. M. D. LII. Fauierio, litis enarratore.

V.

SOLIS nepotibus, ex pluribus vel fratribus, vel ſororibus, vel vtriſque vtrinque coniunctis, patruo ſuo, diſpari numero, hæredibus exiſtentibus: Azo, cæteríque eius ſectæ Iuriſconſulti, omnes in capita ex æquo: diuerſæ verò ſcholæ autores, vt Placentinus, Accurſius, tametſi auditor Azonis, Bartholus, & alii, eos in ſtirpes vocari cenſuerunt. CVIVSMODI cõtrouerſia cùm reſortitione in Curiam veniſſet, III. Idus Mart. M. D. XXII, ſecundæ Claſſium inquiſitoriarum placuit, ſecundum Azonianos eſſe pronuntiandũ. Prouocatoribus Iohan. Camuſatio & eius vxore, Nicol. Galcheri Faii vidua, aliíſque litis conſortibus prouocatis: Luuiario, litis enarratore. Quod cùm aliis ambigentibus, puta Renato Cloteto & Marg. Quadrilibria, in diſceptationem rediiſſet: ambabus Claſſibus (neque enim tum plũres erant inquiſitoriæ) prorſus idem placuit: ídque fore perpetuum, niſi aliud moribus, aut aliter caueretur. x. Cal. Ian. M. D. XXVI, Bonauentura à ſancto Bartholomæo, litis enarratore. Sed & hoc, in conuentu Ordinum Imperii Romani, Spiræ habito, anno M. D. XXIX. Carolum v. Imp. edixiſſe ac conſtituiſſe, refert Claud. Cantiuncula, Iuriſconſultus, Inſtitutionum Imperialium paraphraſtes doctiſſimus iuxtà ac elegantiſſimus, qui antea multis argumentis, diuerſæ ſententiæ ſubſcripſerat.

Plurium fratrum, vel ſororum nepotes, patruo vel auunculo, in capita, nõ in ſtirpes, ſuccedere.

Familiæ erciſcundæ, Tit. XI.

I.

DVORVM fratrum filii, patrui hæreditatem, moribus ita diuiſerant, vt qui fratrem natu maximum referebat, beſſem: cæteri trientem auferrent. Inter hos ex triente hæredes, poſtea controuerſum eſt, de eiuſdem trientis beſſe, quem eorum natu maximus ſuum eſſe dicebat. Reſpondebant alii, vnam patrui hæreditatem, quæ patruelibus ſemel omnibus obueniſſet, vnum & alterum non ferre præcipuum. Referebatur, eandem quidem eſſe hæreditatem, ſed du-

Etiã in ſubdiuiſiõe, ſuũ, cuiuſque familiæ natu maximo, ratũ eſſe præcipuum.

plici obnoxiam diuisioni: & quemadmodum in priore, duos fratres, patres suos, fratri hæredes extitisse finxerāt, ita & in posteriore fingēdos eos, quod ex ea hæreditate accepissent, ad suos, cum cæteris aliis rebus suis, transmisisse: vt iam inter se quodāmodo nō patrui, sed patris sui hæreditatem quique diuiderent. PLACVIT, in ea subdiuisione, fratrum natu maximo suum, ætatis nomine, ratum esse præcipuum, Iordanio & cohæredibus ea de re ambigentibus. XVIII. Calend. Maii, M. D. XXXVII.

II.

Fundū, licet æstimatum, hæredi futuro prærogatū, in specie conferendū esse.

FVNDVS hæredi futuro prærogatus, licet æstimatus fuerit, tamen hæreditatem postea diuidēdo, etiam in specie conferendus est. Cuius rei extant multa insignis memoriæ placita, atque illud in primis, quod pronuntiatum est x. Calend. Ian. M. D. XXIIII. Claudio Dezassio, Curiæ conscripto, Renato Picardo, & eius vxore litigatoribus, Macrulo litis enarratore.

III.

Fundus, futuro hæredi prærogatus, si alienatus fuerit, satis esse præsentem illius æstimationem conferre.

SED si, cui prærogatus est fundus, is eum alienauerit: an redimere cogendus est, vt conferat, nec antè ad diuisionem admittendus? ET placuit sufficere, si, qui fundum in specie conferre nequit, eius conferat æstimationem, habita temporis, quo conferendum est, ratione. Placitum pronuntiatum, III. Calend. Mart. M. D. LI. Stephano Darrautio, Margarita Harniconia vxore, & aliis ambigentibus. Collierius admonuit, exemplóque dato fidem astruxit.

IIII.

Dotalis pecuniæ vsuras non cōferri.

FILIAM in erciscunda familia, dotalem quidem pecuniam, non etiam vsuras conferre teneri, iudicio Curiæ recuperatorio pronuntiatum est. XII. Calend. Septembr. M. D. XLVI. Antonio Trollartio, Iacoba Bubertræa vxore, & Iohanne Bubertræo, de ea re controuertentibus: Iohanne Coruino, litis enarratore.

V.

Collationis controuersia, cautionibus interpositis, diuisionem nō sustineri.

MORIBVS nostris comparatum est, nemini licere, familiæ erciscundæ iudicium intendere, sed ne nomen quidem hæredis vsurpare, nisi conferendo, siquid eum conferre oporteat. Sed quid, si non est expeditum, quid conferendum sit? ET placuit dubiam huiusmodi collationem, interposita satisdatione, rebúsque hæreditariis

certæ futuræ collationi manentibus obnoxiis, diuiſionem non remorari. Sic enim abundè cohæredibus proſpectum eſſe. Placitum extemporale, pomeridianum, XII. Calend. April. M. D. LII. Menilio, altero Cauſidicorum.

Placitorum ſummæ apud GALLOS CVRIAE

LIB. IX.

Apud quem rei venditæ autoritates, SIVE CAVTIONES, ESSE debeant, TIT. I.

I.

LVCIVS Titius Publio Mæuio, litem decidēdo, fundum trāſcripſerat. Contendebat P. Mæuius à L. Titio, ſibi dari conſignatas fundi autoritates. Cui L. Titius hanc ferebat conditionem, ſi cautæ nominatim autoritati cedere vellet, quod petebatur, ſtatim ſe daturum: ſin minus, eam in rem, ſe ſibi ac P. Mæuio habiturū: non ſecus atque traditum eſt, vendita hæreditate, hæredem, teſtamenti exemplum quidem dare debere: tabulas verò authēticas, ipſum retinere, aut in ædem deponere. Mirum quàm vario Marte res agitata ſit. Nam qui prima ſortitione vicerat, ſecunda victus, P. nempe Mæuius, tertia, eáque ſuprema, iterum vicit. Sed & hoc addi placuit, vt L. Titio P. Mæuius deſcriptum ac recognitum faceret: in ſéque reciperet, vt cùm res exigeret, ipſæ autoritates exhiberentur. Ex tempore, Anguechinio & Bucheratio cauſam orantibus, XIIII. Calēd. Decembr. M. D. L.

Fundi autoritates, ſiue cautiones, apud dominū, nō apud autorem, eſſe debere.

De Pactitia redhibitione, Tit. II.

I.

PACTITIAE redhibitionis actionem, perſonalem illam quidem, ſed quæ dubio procul in rem ſcripta ſit, apud redhibendæ rei iudicem intendi atque exerceri poſſe. Ex tempore Calend. April. M.

Pactitiæ redhibitionis actionē, apud redhibēdæ rei iudicē intendi poſſe.

D. XLVIII. ante Liberalia, Iacobo Rufo, Curiæ Conſcripto, litigatorum altero.

II.

Pactitium redhibẽdi tẽpus quando non cedat.

SEMPRONIVS fundum beneficiarium ea lege vendiderat, vt intra annum redhiberetur. Accidit vt beneficus dominus, pro patronali imperio ac benefica poteſtate, fundum vindicaret. Venditor, eius rei ignarus, intra præſcriptum tempus, ab emptore repetit fundum. Is eum ſibi, vt dictum eſt, ablatum excuſat. Ille verò quaſi id falſo prætexẽti, formulam intendit, ac pecuniam obſignat, dum etiam beneficus dominus accerſitur. Controuertebatur, eſſétne amplius redhibitioni locus, quòd interim exiiſſet dies. ET iudicatum eſt locum eſſe. Quid enim aliud à venditore deſyderaſſes, cui de benefico domino nihil vnquam fuiſſet denuntiatum? Placitum extemporale, VII. Calend. Apr. M. D. XLVIII, eodem Rufo ex litigatoribus vno.

III.

Vẽditoris ex parte hæredẽ, pactitiæ redhibitionis actione, totũ fundum petere poſſe.

LVCIO Titio, Fundum Sempronianum, pactitiæ redhibitionis formula condicenti, emptor obiiciebat, ex parte, venditoris hæredem, & in quem iura cohæredum tranſcripta non eſſent, non niſi ex parte, fundum poſſe condicere. PLACVIT, pro pacti ſoliditate, ſolidum fundum rectè condictum eſſe. XI. Calend. Maii M. D. XLVIII. à Liberalibus, Boëleueo litis enarratore.

IIII.

Ad pactitiã redhibitionẽ ſatis eſſe, intra pactũ tẽpus, pecuniã pro certo, pro incerto ſatiſdationem, ſemel obtuliſſe.

SVB pacti ſexennii finem, Hucheto nihil diſſentiente, pronuntiatum eſt, alienata prædia Spinaïo eſſe redhibenda. Cúmque eius rei cauſa, pro ſorte iuſtíſque ſortis corollariis & cognitis acceſſionibus, præſentem pecuniam Spinaïus offerret: diſtulit Huchetus, aut etiam Ricuxius, in quem ius ſuum ipſe trãſcripſerat, prætexẽs multò plura ſe in prædia impendiſſe, quæ ſimul rependere oporteret. At cùm ea in promptu non haberet, iuſſus eſt in ſecũdam eius diei pomeridianam, certis ac diſtinctis nominibus edere, & iis Spinaïus in craſtini octauam reſpondere. Spinaïus qui etiam eo nomine ſatiſdare paratus fuiſſet, moram iudicato allatam cauſatus, prouocauit. Victus tam in prima, quàm ſecunda prouocationis lite, tertio quoque prouocauit: & cauſas prouocationis reddens, ac perperam

& iniquè iudicatum fuisse contendens, postulauit, vt res summa ad alios, quàm à quibus prouocatum erat, excutiẽda relegaretur. Ex aduerso Huchetus & Rieuxius prouocati, rectè atque ordine iudicatum esse defendentes, dicebãt nihil opus esse causæ relegatione: propterea quòd, dum Spinaïus futilibus ac friuolis appellationibus indulgeret, redhibitionis exisset dies. Pronuntiatum est, rectè iudicatum, & causa ad primum iudicem relegata: apud quem proximo mense, prouocati impendia omnia commentario perstringerent: cui Spinaïus intra sequentes octo dies rescriberet. Tum, vice versa, per prouocatos ad Curiam prouocatum est, quòd per hoc tacitè dies non exisse iudicata fuisset. TANDEM prouocatione sine fraude circunducta, sententiam valere placuit. Sufficere enim ad huiusmodi redhibitionem, intra pactum tempus, pecuniam pro certo, pro incerto satisdationem, semel obtulisse. Ex tempore, v. Id. Aug. M. D. LII. Lallierio Spinaïum gnauiter defendente.

De gentilitia redhibitione,

TIT. III.

I.

SYLVA non cædua, cædenda vendita, tractatum est, an ea gentilitiæ redhibitioni esset obnoxia. ET placuit esse obnoxiã: quòd non ea cæsa, sed extante, redhibitio petita fuisset. Si enim sylua solo separata sit, res mobilis facta est, redhibitionem effugiens. Si verò extet, perinde atque fructus pendentes, fundi partem facit, & non secus quàm ipse fundus, redhibitionem admittit. Placitum à Seguerio, Regis Causidico, sine die citatum, cùm è Republica, pro Regio Cognitore, in VVidi, Comitis Lauallii, & VVidæ, Comitissæ, causam descendisset. v. Id. Febr. M. D. LII.

Syluam non cæduam, cædendam venditam, antequam cæsa sit, iure gentilitio códici posse.

II.

PRAEDIIS oppigneratis, pro intercedentis pecuniæ modo pensitaturis, disceptabatur, essétne gentilitiæ redhibitioni locus: & si esset, an eisdem numorum speciebus redhibendum: & apud quem creatæ pensitationis instrumentum esse deberet. Quibus litigatores rationibus vtrinque niterentur, non satis perspectum habemus: sed finge eum vnde petebatur, ita defendentem. Pensitationem, ius esse

Pensitationẽ ære comparatam, gentilitiæ redhibitioni esse obnoxiam.

Gentilitiæ redhibitioni, easdem nùmorum spe-

cies intercedere debere, nisi eis vsus sit abrogat⁹.

Redhibita, iure gentilitio, pensitatione, eius comparatæ cautionē, apud gentilē esse debere.

recèns constitutum, intellectu comprehensum, non corpus, non prædium gentilitium. Et si quid esset quod prædiis hæreret, prædia cōstitutori hæreditaria esse nulla, quæsita omnia, nihil obnoxia gentilitiæ redhibitioni: aut si qua essent hæreditaria, fieri posse, vt pensitationem stipulatus, quæsitis, non etiam hæreditariis incumberet. De numorum speciebus, eas, vt erant in instrumento descriptæ, esse renumerandas. Quod attinebat ad pensitationis instrumentum, se contraxisse, suísque numis illud sibi comparasse. Petitorem existimes hoc modo replicantem, Ius pensitationis, esse quidem incorporeum, sed verò circa corpora versari. Prædia constitutori aut esse hæreditaria, aut certè obuenire posse, quæ hunc inirent nexum, & in quibus fortasse tātùm stipulator ius suum persequeretur. De speciebus, satis fore, si de pretio nihil decederet. Instrumentum, dum iusti ac legitimi sumptus rependerētur, suum futurū. PLACVIT redhibitioni esse locum: & pensitationis pretio, iustísque impendiis, paribus numorum speciebus, modò ne eis abrogatus esset vsus, restitutis, & pensitationem, & eius instrumentum fore petitoris: ea tamen lege, vt instrumenti descriptum & recognitum, defensori auferre liceret, & cùm res exigeret, ipsum instrumentum exhiberetur. Placitum pronuntiatum III. Non. Ian. M. CCCC. XX. Læstreo & Lancea disceptantibus.

III.

In gentilitiæ redhibitionis iudicium venire fructus, etiam si nihil fuerit obsignatum.

FRVCTVS post acceptum gentilitiæ redhibitionis iudiciū, etiam si nihil obsignatum fuerit, tamen in condemnationem venire placuit. Placitum pronuntiatum VIII. Id. Septembr. M.D. XXXIII. Petro Perdicario Bobignio & Egidia Allegrinia controuertentibus.

IIII.

Fundo, cum aliquot annorū fructibus vendito, etiā fruct⁹ gētilitia redhibitione teneri.

FVNDVM Cornelianum, cum debitis aliquot annorum fructibus, venditum, Mæuius sibi gentilitio iure redhiberi petebat. Nulla de fundo facta controuersia, de fructibus disceptatum est, quòd illi mobilium appellatione continerentur, nec de mobilibus eiusmodi actio prodita esset. PLACVIT etiam fructus esse redhibendos. Fundum enim ac fructus vno pretio emptos fuisse: & fundo fructus accedere, cæteráque cum eo vendita omnia. Placitum à Riantio, apud Sanctandreanum, Tribunum militum, de iure respōdente, sine no-

mine, ſine die citatum, Pridie Calend. Iul. M. D. I.

V.

VBERIORIS cautionis gratia, emptrici Allegriniæ cum Titiis venditoribus conuenerat, vt ædes venditæ auctioni ſupponerentur: & quanticunque emptrix eſſet licitata, nihil tamen vltra quàm pepigerat, numerare teneretur: quod exuperaret, id omne venditoribus incumberet. AEdibus, minoris quàm cõueniſſet addictis, & emptrice à Petro Perdicario Bobignio, gentilitiæ redhibitionis iudicio ſuperata: concertatum eſt, quod pretium, qui ſumptus, ob redhibendi moram, obſignandi fuiſſent: priuatæ venditionis, an publicæ. ET addictionem placuit ſequendam eſſe. Vnde colligebat Alberius, & rectè, mea quidem ſententia, in huiuſmodi venditionibus, redhibitionis petendæ tempus initium ducere, non quidẽ ab inito inter emptorem & venditorem contractu: ſed ex quo vel magiſtratus vltimò licenti rem addixit, vel is cui addicta eſt, de more, miſſus eſt in poſſeſſionem. Alioqui planè nihil aliud eſſet, quàm gentilibus, imò verò ipſi magiſtratui ac legibus illuſiſſe. Placitum pronuntiatum VIII. Id. Septemb. M. D. XXXIII.

Si priuatæ vẽditioni publica ex pacto acceſſerit, & redhibẽdum eſt: publicæ venditionis pretium, non priuatæ ſequendum.

VI.

QVOAD matrimonium durat, eorum, qui ab alterutri genere coniuncto, fundum gentilitium ſibi compararunt: indubitatum eſt, eum gentilitiæ redhibitioni non eſſe obnoxium. Sed in contentionem venit, an ſoluto matrimonio, fundi portio eius, qui venditori gentilis non eſſet, redhibitione teneretur. ET liberis ex eo matrimonio extantibus, non teneri placuit. Eos enim etiam eſſe gentiles: & coniugum ſuperſtiti, ſiue patri, ſiue matri, ſucceſſuros ſperari, Collierius admonuit: & (vt ille aiebat) Trollartius, hac autoritate, vicit Antoniſium: aut ſaltem à lite deterruit.

Coniugum emptorũ altero, qui venditori gentilis erat, vita functo: alterum, ſi ex eo matrimonio liberi extant, gẽtilitia redhibitione nõ teneri.

VII.

MONTHOLONIO, qui poſtea Nomophylaciæ interregno præfuit, ædibus, vt emeret, oblatis: ille offerenti reſpondit, ſe ab eo nihil empturum: fore enim vt ſtatim gentilibus eſſet redhibendum. Habere ſe numarias penſitationes, quas ædibus commutaret: apponerétque, qui è veſtigio penſitationum pretia numeraret: & ita factum eſt. Non ita multò poſt (vt rectè Montholonius coniecerat) vnus ex

Fũdo, numariis penſitationibus cõmutato, etiã ſi ſtatim eas appoſitus aliquis emerit, gẽtilitiæ redhibitioni nõ eſſe locum.

ædium commutatoris gentilibus, redhibitorium ei iudicium intendit. Causatur, redhibitionis fraudandæ gratia, venditionem commutatione personatam: eámque ob rem perinde esse, acsi ædes apertè venissent. Montholonius contrà, prædiorum cognationem & gentilitatem, in emptionum ac venditionum perniciem (quibus tamē perspicuum est Remp. magna ex parte constare) legibus explosam, moribus, nescio an satis expensis, esse reuocatam. Se, modis omnibus ab æquo bono nihil abhorrentibus, facere potuisse, vt quod sibi comparare vellet, perpetuò haberet. PLACVIT, gētilitiæ redhibitioni non esse locum. Placitum à Riantio, de iure respondente citatum. Prid. Calend. Iul. M. D. L.

VIII.

Gentilitiam redhibitionē nihil minus cōstare, quòd redēptor fundum postridie vendiderit.

EMPTOR à Myerio, Curiæ conscripto, conuentus, eum esse agnouit, cui, iure gentilitio, redhibendum esset: si se sua causa, suis numis, sine fraude redempturum affirmaret. Quod cùm ita iuratum esset, Myerius fundum abstulit, ac postridie vendidit. Dicebat emptor, ea venditionis festinatione palàm esse factum, rem per dolum, iudicio fuisse ablatam, ideóque restituendam. Fatebatur ingenuè Myerius, se fundum postridie vendidisse quidē, sed è re sua id fecisse: pluris enim centum aureis numis fundum à se venditum esse, quàm redemisset. PLACVIT emptorem petitione summoueri. Rem enim ita facere, quid vetat? Adducebat Riantius, de iure respondens.

IX.

In gentilitiæ redhibitionis actione, aduersus anniculum eremodiciū, ne minorē quidem restitui.

MINOREM XXV. annis, affectam gētilitiæ redhibitionis causam, aduersus Annam Mommorantianum, Magistrum militum, diplomate sanare contendentem, ferri non placuit. Eius enim generis causas esse inuidiosas, captatorias, morosas, & in quibus casus formularis causæ est internicio, & anniculum eremodicium etiam litem ad tabem perducit: ideóque iis minori, non secus ac maiori, semper est aduigilandum. Laudabat Riantius, cùm aliquando hoc de iure responderet.

X.

Gentili pœnitere non licere, posteaquā de redhibitione, se-

VVLGARE est eum, qui gentilitio iure, redhibitionis sententiam vel deditione abstulerit, vel concertatione expugnauerit, nisi intra quatuor & viginti horas, pretium sumptúsque legitimos restituerit,

in perpetuum redhibitione summoueri. Sed si eo sententia non vtē-te, quòd scilicet vel eum facti pœniteat, vel pro rei familiaris angustia, aliáue de causa aut nolit, aut nequeat: vidēdum est, an cogi possit vt numeret, atque ita fundum recipiat. ET quidem cogi posse placuit. Quod sanè ex Iuliani sententia non esse videri possit. Nam (vt ille ait) hæc vnicuique licet contemnere, quæ pro se introducta sunt. Nec minore, aduersus venditionem, in qua circunuentus fuerat, restituto ac pœnitēte: emptor queri potest, si eandem in causam restituatur, in quam se ipse cōstituerat: & quam mutare non potuisset, si minor auxilium non implorasset. Verùm si Iuliani sententiam hocce cum decreto comparaueris: inuenies eā (nisi maximè fallor) circa minoris ætatis præsidia versatam, in arce damni vel euitādi, vel sarciendi tandem constitisse: decretum autem ad lucri cuiusdam captandi rationem pertinere. Quotus enim quisque est, qui ad huiusmodi redhibitionis iudicium accedēs, non speret se aliquid aut compendii facturum, aut certè capturum voluptatis: etiam si nihil aliud consequatur, quàm quòd gentile prædium, extranei de manibus eripuerit? Qua in specie minor, nō secus atque maior haberi solet: & regulæ tum denique locus est, cùm integra sunt omnia, nec iure, vel fauore, priuilegióue pro me introducto abuti cœpero: alioqui fenestra nec minima frustratoribus aperiretur. Placitum cōsiliare, conflatum VI. Id. Iul. M. D. LI. quod ex proxima eiusmodi placitorum pronuntiatione repeti potest: nam aliàs certum diem non habemus.

cundum se pronuntiatum est.

XI.

VENDITORIS propinquus Mediomatrices, militiæ causa petiturus, emptori, fundum gentilitium redhibituro, diem dixit in id tempus, quo domū sperabat se reuersurum. At reus emptor, aut profecti petitoris absentiam sibi vsui fore ratus: aut eum difficultate rei numariæ teneri suspicatus, quòd se lacessere maturasset, tam tardè dimicaturus: aut fortasse nolens, de redhibitione, diutius animi pendêre: ipsum, die citeriore, ad certamen forense reuocauit. Tum familiares, excusare iustam ac legitimam petitoris absentiam: petere tempus commonefaciendi eius. Quod Carnutum Iuridicus cùm negasset, & prouocatione ventum esset in Curiam: dedita à petitore prouocationis causa, & emptore redhibitionem offerente: disceptatum

In gentilitiæ redhibitionis iudicio, tempora moribus constituta nō prorogari.

Redhibitorii iudicati faciendi tempus, nisi ex eius denuntiatione, gentili non cedere.

eſt, an petitori dandum eſſet tempus quod petebat, fundi pretio, iuſtíſque ac legitimis ſumptibus reſtituẽdis. Hoc ipſe vt impetraret, dicebat, tẽpus iudicati, tametſi moribus hac in ſpecie præſtitutum, non ſemper ita præfractè ſeruandum, vt, ſi qua iuſta cauſa videretur, non eſſet prorogandum. Se peregrè diu Reip. operam dediſſe, tam multis ac magnis impendiis, vt expenſi paginæ accepti paginas, multis calculis ſuperarent: ideóque reuerſo ſaltem modicum tempus eſſe dandum, quo ſe colligeret, ſarcinulas componeret, faciendóque iudicato pecuniam conficeret. Emptor è contrario, Municipii moribus, octo dies eſſe definitos: quod moribus & cõſuetudine inductum eſſet, id cuſtodiri oportere: huius Ampliſſimũ Ordinẽ, ſed nec ipſum Principem poſſe gratiam facere. Cæterùm iis, qui reip. cauſa abfuiſſent, tum denique auxilium eſſe dandum, cùm rei duntaxat perſequendæ gratia quereretur: non cùm & lucrifaciẽdi, ex alterius dãno, illud ſibi deſyderarent impertiri. PLACVIT, tẽpus moribus præfinitum, non eſſe prorogandum. Quo audito, Anrufus, petitoris aduocatus, dixit: Quæſo vos, Patres Conſcripti, vnde tempus hoc computabimus? Vtrum ex quo nunc iudicatum eſt, an verò ex eo, ex quo veſtrum hoc decretum fuerit denuntiatum? Citius octo præterierint dies, quàm à ſcribarum officio decretum auferre liceat: neque perinde eſt atque ſi à ſuo partium iudice, res huc tranſlata non fuiſſet. ET cùm de hoc ſemel atque iterum deliberaſſent: pronuntiatum eſt, placere tempus ex decreti denuntiatione, petitori vel præſenti, vel domum facienda, computari.

De euictionibus, Tit. IIII.

I.

Venditorem, factis ſuis tenus futurum autorem, re euicta, pretiũ reſtituere, etſi nihil ſit, quod illi imputetur.

EVM qui ſe autorem ac vindicem eatenus futurum promiſit, quatenus per ſe tantùm factum eſſet, quominus emptori rem habere liceret: ea, nec ſuo quidem facto, euicta, nihilo ſecius ad pretii reſtitutionem teneri placuit. Neque enim (vt ex Iuliano tranſcripſit Vlpianus) bonæ fidei contractus hoc patitur, vt emptor rem amittat, & pretium vẽditor retineat, niſi etiam nominatim conuenerit. Ex tempore v. Cal. Decemb. M. D. XLVIII.

II.

AVTOR denuntiatam ſibi litem vel compeſcere, vel in ſe trāſcribere, vel defenſiones ſuo ſumptu periculóque vtendas ſuppeditare, alioqui quanti intereſſet repēdere damnatus, cùm nihil eorum præſtaret, denuntiator ſuis præſidiis fidere coactus eſt. Is omnibus tam anterioris, quàm prouocatoriæ litis cladibus acceptis, gradum ad autorem referens, quanti interfuit enumerat, atque in primis non modò quæ ipſe impendit in litem, verumetiam actori à ſe repenſa, mulctámque ſexagenariam. Heus, damnum (inquit autor) quod quis ſua culpa ſentit, an ſentire videtur? Impenſarum condemnari, ínque ſexagenariam incidiſſe fraudem, ſúntne certiſſima temeritatis argumenta? Denuntiata lite, tutóne illi cedere poteras, atque ita non offendere? Poteram (inquit denuntiator) ſi voluiſſem: ſed præſtare viſum eſt, tuo autoris periculo periclitari. PLACVIT ea omnia denuntiatori in litis æſtimationem venire. Placitum vnius Claſſium inquiſitoriarum, recitatum VIII. Calend. Iun. M. D. XLIX. Litigatoribus Agnete Succeuina, Claudio Marüello & Nicolao Aruerno: Thibuſto litis enarratore.

Denuntiatæ liti, nō protinus denūtiatorem cedere teneri, ſed autoris ſui periculo, poſſe iudicii aleā experiri.

III.

VARIA vectigalia, puta, pecuniæ, frumenti, ſecalis, nucum, quæ varii debitores, variis ex fundis in Andium agro poſitis, pridem iis legibus traditis, Renato Lucæ Turonenſi pendebantur, ipſe Antonio Launaïo Andegauenſi, vno pretio, vno eodémque contractu vendidit: cauítque conſignatas venditorum vectigalium autoritates ſe daturum, cùm a Launaïo reliquum pretiū numeraretur. Exacto ſexennio, quo toto Launaïus conquieuerat, ipſe Lucæ iudicium intendit: quòd diceret non modò ſibi non ſolui, ſed & iactari ex vectigalibus, certum non eſſe prædiarium: petens ab eo fundi vectigalis facti tabulas, quibus inficiatores conuinceret: vtque quam vendendo ſponderat, præſtaret autoritatem: ſi nequiret, quanti ſua intereſſet, dependeret. Reſpondet Lucas, petitis tabulis, vbique gentium bona fide perquiſitis, nihil quicquam earum fuiſſe inuentum: id ſi actor volet, ſe ſtatim ſolenniter eiuraturum. Sed illis ipſis in tabulis, omnem vincendi rationem non eſſe poſitam: ſe & aliis autoritatibus conſignatiſſimis, & teſtibus locupletiſſimis inficiatores, quamlibet impro-

Cōditionem in iure oblatam, ſolidam eſſe accipiendam, vel reiiciendam.

Contractum pro parte ſtare, & pro parte reſolui nō poſſe.

bos, apud iudicem suis impendiis damnaturum. Quòd si ea conditione non vtendum Launaïus existimaret, ei se aliam ferre: nempe vt pretium restitueret, damnáque sarciret omnia, & sic ab emptione discederetur. Launaïus conditionem secus interpretatus, quàm Lucas intellexisset, sic accipit, quasi de vēditionis parte resoluenda, non de tota infecta facienda tractaretur: quod & iudex sequutus est. Eius enim vectigalis, cuius tabulæ non traderentur, pretiū cum prouentibus à Launaïo non perceptis, litísque omnibus aliis accessionibus, Lucam restituere damnauit: emptione, quod ad hoc pertinebat, obiter resoluta. Vnde Lucas, cùm Amplissimum Ordinem appellasset, & ab vno atque altero Palæmone, qui, litis decidendæ gratia, aditi fuissent, in arenam descendissemus: propterea quòd eorum stari sententia, qui Lucam perperam prouocasse dicerent, cùm mihi, tum multis aliis non placeret: eóq̃ue nomine sacrilegii propè insimularer, quasi Cognitor, omnino iuris imprudens, prudentiam ipsis prudentibus prudētiorem vsurparem: Chipartius, Lucæ aduocatus, prouocationis causas reddens, dicebat conditionem ab eo latam, potissimùm iuri consentaneam, nulla diuidi ratione potuisse: verùm eam vel solidam fuisse accipiēdam, vel omnino reiiciendam. Ius æquum & bonum, imò ne summum quidem, pati, vnum eundémque contractum altera resolui, & altera ex parte valere. Fōtenaïus, hæredum Launaii, interim vita functi, aduocatus contrà, Stipulationem [Autoritatem præstatum iri] ad vnum quodque vectigalium esse referendam: tot enim stipulationes esse, quot res, quemadmodum tot sunt sententiæ, quot deducta in sententiam capita. Se de vno vectigalium modò, non de aliis intendisse litem. Iudicio, de certo vectigalium dictato, conditionem fuisse latam: quæ litiscontestationis instar obtinens, ad petitionis normam exigi deberet. Diuersas venditorum vectigalium esse formas: & iure compertissimo, etiā si non fundus (exempli gratia) sed fundi pars euincatur: emptorem habere regressum ad venditorem, pro quantitate euictæ partis, si pro indiuiso euicta sit: si verò certus locus, pro loci ipsius bonitate: vēditione, reliquo in fundo, permanente. Referebat Chipartius, inter iuris Coryphæos hæcce axiomata constare, Pluribus rebus ad finem vnum aliquem copulatis, iisdémque omnibus eòdem contendentibus, omnes omnino

vnius haberi loco. In emptionibus & venditionibus contrahendis, non quidem rerum quæ veneũt, sed verò pretiorum varietatem, plures facere contractus: vnius emptionis & venditionis non nisi vnam esse posse resolutionem. Hác in specie, non singulis vectigalibus, sed vniuersis pretium fuisse constitutum, atque adeò vnam, non plureis contractas venditiones esse intelligendas: præsertim cùm facilè colligi posset, Lucam, vectigalia procul petenda, non nisi omnia fuisse venditurũ: eorum quippe ab eò alia vendi, alia sine magno eius incõmodo retineri non potuisse: & vero simile esset, Launaïũ, cui propter vicinitatem, ea longè commodiora forent, etiam alia sine aliis non fuisse empturum. Itaque Luca, vnius venditorum vectigalium autoritates tradere nequeunte, non in partem, sed in totum infectam fieri venditionem: perinde atque si duos quis seruos emisset, vno pariter pretio, quorum, ante traditionem, alter mortuus esset: nam neque in viuo constaret emptio. Ceterùm id nihil ad rem facere, quod de euicta fundi parte, Fontenaïus assumpsisset: cùm maximè tantum abesset, vectigal, quo de in præsentia disceptaretur, euictum fuisse, vt vix dum de eo lis esset instituta: quod, vel ipsius Launaii in Lucã intentione erat deprehendere. Actione quarta Fontenaïus, Nihil opus esse tanta rerum percontatione: nihil summopere spectari oportere, præter vnam, vnius ex multis vectigalibus nomine, petitionem, & latam à Luca conditionem, qua ille ipse cæteris de vectigalibus nihil omnino cauens, contractus diuisionem induxisset. quod si non fecisset, ea iure optimo, vel ab ipso iudice, in emptoris gratiã euocãda atque inducenda fuisset. PLACVIT prouocationẽ, ídque vnde prouocatum erat, sine fraude induci: & Launaii hæredes, prouocatoriæ litis impendiis mulctatos, vtram mallent, latæ conditionis partẽ accipere: præstationem videlicet autoritatis, vel totius emptionis resolutionem. In quo mihi videre videor expressam magni AEmylii Ferreti, Iurisconsultorum nostræ ætatis facilè principis, sententiam, Vlpiani scriptũ, lib. XL. ad Sabinum enarrantis, quod dicitur, Scire debemus, relatũ in Pãdectas iuris ciuilis, lib. XLV. Tit. de Verbor. oblig. enarrãtis (inquam) & excussis omnibus omnium placitis, cornicum " oculos (meo quidem iudicio) configentis. Intuendum est (inquit) an " ad causam referenda sit consyderatio, vel ad obligationem. Nam si

ad causam nos referamus (veluti in redhibitione) quot erunt venditiones, tot erunt res: & si vna sit vẽditio, redhiberi omnia oportet. Est autem vna venditio, nõ propter pretium dũtaxat, sed propter destinationẽ etiam contrahentiũ. Sinautem consyderemus euictionem, in qua attenditur obligatio, non causa: tunc quot erũt res, tot erũt actiones euictionis. quã in sententiã Callistratum adducit, subiungens stipulationẽ hîc ideò propè nihil afferre, quòd hoc à re pendeat totum.

De fiduciaria mancipatione, Tit. V.

I.

Fiduciæ Claromontanæ autoritas sic habet.

Instrumenti, simplicitate ac vetustate laborãtis, fidẽ, coniecturis adiuuari.

Rem episcopo, etiam nominato, fiduciæ nomine datam, Ecclesiæ datam intelligi.

SCIANT omnes præsentes & futuri, quòd Guido, Comes Claromontis & Aruerniæ, villam suam Claromon. & homines suos, & totum ius, quod habebat in dicta villa seu ciuitate, reddidit nomine custodiæ R. Dei gratia Claramon. Episcopo, fratri suo: vt ipse teneret prædicta, donec ipse vel sui essent in pace cum domino rege Francorum. In cuius rei testimonium, nos ciuitas Claromon. de voluntate dictorum Episcopi & Comitis præsentem chartulam fecimus sigillari. Datum & actum anno Domini millesimo ducentesimo secundo, mense Iunii.

Ecclesiã, rem sibi, fiduciæ nomine datã, nunquam vsucapere.

Fiduciæ actionẽ, instar alicuius depositi actionis.

Fiduciæ actionẽ, vindiciarum speciẽ admittere.

EX ea autoritate, apud Principẽ, eiúsque sanctius ac interius Concilium, Lucius, Caterinæ Augustæ meæ causa, per Dionys. Riantium eius Causidicum, virum doctiss. petebam à Gulielmo Pratensi, Claromontanorum Episcopo, eas res cum fructibus, qui viderentur, mihi restitui: & si causæ comperendinatus adimi nequiret, vindicias secũdum fiduciam pronũtiari. Inter cætera aut nihil, aut certè parum ad rem facientia, dicebat Episcopus, Guidoni Comiti hæredem nõ extitisse: quòd ille maiestatis dãnatus, se, suáq; omnia cõmisisset, vt in annalibus erat inuenire. Quòd si quis ei hæres extitisset, me nõ probare, se verò ignorare an Augusta genus inde duxisset. Sed esto duxisse, id quod à me proferebatur, non esse autoritatem: quòd publicè subnotata non esset, neque consignata: nulli testes adhibiti, nemo stipulator, promissor nemo. Verùm etsi consignatissima foret, ac prorsus irrefutabilis, res fratri, vt fratri, non vt Episcopo datas. Quinetiam si vellem vt Episcopo datas, eas longè antea ad Episcopum per-

tinere, vt etiam ex annalibus colligebatur: rei autem suæ vt depositũ, ita nec fiduciam consistere. Sed vt se cunque res haberet, successores Episcopos causam possessionis ignorantes, quadraginta septem annis super trecentos, vsucepisse: post tot secula, nihil esse quærendum. Quòd autem ad vindicias pertinebat, genus à me editæ actionis, reiuindicationem, vel eius instar aliquod esse, quod vindicias nunquam admitteret. Lucius referebã, me non negare, Philippum Augustum Guidoni Comiti bellum intulisse. Id in causa fuisse, cur Comes tempus dubium timens, Episcopo fratri, non armis potentiori, sed fortasse vel gratioso, vel quòd res, quæ Ecclesiæ esse existimarentur, sacrosanctæ militibus essent: eas, de quibus erat controuersia, mancipasset, interposita fide restituendi, cùm tempus, quod suspectum erat, præteriisset. Non eò tamen esse deuentum, vt publicúm maiestatis iudicium in Comitem exerceretur. Id, si actum fuisset, nos publicis tabulis mandatum, vt alia id genus, habituros. Iactatos annales (hoc est Annonii, Gaguini, Egidii commentarios) in publicam custodiam, rerum gestarum gratia, nunquam fuisse repositos: ideóque integram non habere fidẽ: ex iis, de hominum fortunis non solere decerni: eorum obtentu, hoc in me de Augustæ sanguine dici non potuisse, illæsa ipsius maiestate. Dicẽtem culpæ non eximere, quòd Regius quidam actor, apud ipsum Principem, eiúsue sanctius Consiliũ, id aliquãdo oratione comprehendisset. Maledictum non ita huc temerè fuisse transferendum: me læsæ maiestatis pœnas tempestiuè reposciturum. Cæterùm Guidonis Comitis patrimonium, ipsum maximè Aruerniæ comitatum, qui idem Claromontanus erat, ab eo per gradus, hæreditario iure, ad Augustam certè quidẽ peruenisse: sed hoc disquirere, non esse necesse: sufficere eam, in Comitis locum, iúsque comitatus vniuersum, quocũque nomine titulóue successisse. Ad autoritatis formam replicabam, in illius seculi moribus non fuisse, vt pactis conuentis, imò verò nec sententiis, nec placitis vllo modo subscriberetur: signum vetustate, alióue casu, quicunque ille fuisset, consumptum. Extare quidem eius temporis signa, sed omnia æquè ab ea iniuria se vindicare non potuisse. Antiquas autoritates, sui consignationem commemorãtes, consignationem probare, etsi nulla alia signi superessent argumenta. Satis supérque testium

adhibitum fuiſſe, quòd in ore atque oculis ciuium Claromontanorum (vt illi ipſi publicè conteſtati erant) res geſta fuiſſet. Exactas ſtipulationum formulas, aliáſque ſummi ac ſtricti iuris minutias, eius tempeſtatis cãdidam, & ſui vndique ſimillimam ſimplicitatem non tuliſſe: voluntatem Epiſcopi & Comitis, quæ autoritati conſignandæ acceſſiſſet, ea omnia suppleuiſſe: inter viros bonos, bene actum fuiſſe, fide optima, genuina bonitate, & pinguicula quadam (quod aiunt) Minerua. Addebam, hæcce certam autoritati fidem adſtruere. Primùm quòd ea, ſemel atque iterum, è Comitum grammatophylacio, ciuibus Claromontanis poſtulantibus, aduerſus Epiſcopum, vnum & alterum, ipſum eundem, vnde petebamus, ídque longo annorum interuallo, rectè atque ordine prolata, deſcripta, ac recognita fuiſſet: mentione in prima deſcriptione facta, quòd adhuc nonnulla ſigni veſtigia extarent: ambobus Epiſcopis nihil inficiantibus, præterquam quòd ea res nihil ad ciues pertineret, & ii, ea in parte, ius tertii non conquerentis allegarent. Poſtea, quòd non ſine exemplo hæcce pacta fiducia fuiſſet: aliquot enim conſimilium autoritates cõſignatiſſimas inueniri. Deinde quòd Pontificiis animaduerſionibus impulſi teſtes aliquot locupletiſſimi retuliſſent, aduerſarium apud ſe ipſos ingenuè faſſum, ſe eius autoritatis tantundem in tabulario habere, religioſius aſſeruatum, quàm ea apud Auguſtam fuiſſet. Vnde vehementi coniectura augurari liceret, paulò pòſt in eodem tabulario non inuentum, dum id Regis imperio conquireretur, ab antea faſſo, poſtea pernegante, ſuppreſſum fuiſſe. Poſtremò quòd multis aliis autoritatibus, iíſque etiam conſignatiſſimis, tam fiduciam antecedentibus, quàm conſequentibus, fiduciæ ipſius dominium Comitis fuiſſe palàm faceremus: tantùm abeſſe, vt Epiſcopus rem ſuam in fiduciam accepiſſet. Epiſcopo autem an fratri, res, fiduciæ nomine datæ fuiſſent, literæ ordinem per ſe ſatis oſtendere: ſatis (inquam) quòd ad calcem autoritatis, Epiſcopus, non frater, eſſet repetitus: aduerſarium non alio, quàm dignitatis iure, eas occupare. Ad extremum, quæ ab Epiſcopis, aliíſue id genus poſſiderētur, non ipſis poſſideri: poſſideri dignitati, poſſideri Eccleſiæ: cui cum ſponſo Opt. Max. Ieſu Chriſto, ſemper eſt vna eadémque fides, vnus idémque ſpiritus. Apud eos, mille annos haberi

pro hesterno die præterito, próque nocturnis excubiis. Eam, tā hodie velle, tā hodie teneri, quàm quo die per ministrū accepisset, fiduciā restituere: etiam si mille seculis, per mille ministrorum manus fiducia perambulasset. Quòd autē ad vindicias spectaret, actionem, tametsi de re proponeretur, tamē in personā esse conceptā: ideóque à vindiciis non abhorrere. Actione quarta, quæ secunda defensor attulerat, pluribus & confirmare, & nostra studuit eleuare. Ex quibus omnibus ea quæ πρὸς ἔπος, facile est intelligenti, ex antè dictis, coniicere. Pronuntiatum est non liquere, & tam de summa quæstione, quàm de agnata vindiciarum liticula, pro cuiusque natura, amplius esse deliberādum. Postea Causidicorum orationibus ex eadem interfatione recognitis, & copiis vtrinque prolatis, iísque vicissim refutatis ac confirmatis: causa per Principem ad summam Lutetiæ Curiam relegata, per certos ex ea vsque ad triginta summùm, vel minimùm viginti, disceptāda: iterū, de summa quæstione, PRONVNTIATVM est non liquere: & causa inficialiter cōstituta, de iis quæ facti erāt, inquirendum esse. De vindiciis, eas secundum fiduciam placuisse dici, XI. Cal. Maii. anno à Liberalibus M.D.L I. Ex quo, tametsi quarundā vindiciarū iudicio, quinque possunt axiomata colligi, meo quidem iudicio. Vnū, autoritatibus, sacrosancta illa vetustate præditis, suam simplicitatem, suum candorem, suam (vt ita dicam) αὐτογραφίαν, suā signi consumptionem, si aliunde earum autoritatum veritatem cōiectura consequi valeas, nihil officere. Alterum, rem Episcopo, etiam nominato, fiduciæ titulo mācipatam, non personæ, sed dignitati, atque adeò Ecclesiæ mancipatam intelligi. Tertium, tempus quantūuis longissimum, non esse modum, quo res, fiduciæ nomine, Ecclesiæ data, vnquam Ecclesiæ acquiratur, vnquam Ecclesiæ fiat, quācunque ministrorum successionem atque ignorationē prætexere libuerit: quod necessariò dicendum est, alioqui à vindiciis erat temperandum. Quartum & quintum, fiduciæ actionem à depositi actione hoc vno discrepare, quòd hæc de re mobili, illa de rebus soli prodita sit: cætera conuenire, & nihil minus quàm à vindiciis esse alienas. Quibus axiomatis ex instituto nostro commemorandis, longè maiore, quàm quo vsi sumus, poteramus vti cōpendio: sed quæ res in ea mutanda sententia duæ plurimùm poterant, ambæ nos ad pla-

citum fusius enarrandum perpulerunt. Altera, Augustæ, cuius personam sustinebamus, atque etiam causæ ipsius magnitudo: non tam fortasse res, quàm si ius, æquúmq; ac bonũ, imò verò fidẽ ac religionem spectes. Altera, quòd Episcopus (bona illius venia dixerim) iudicibus causam disceptãtibus, atque aliis penè omnibus, semper obtrudebat (vt etiam aliquando ipsi Augustæ fecerat) iis de rebus, si suæ essent, nolle cum ea contẽdere: sed fidem se liberare suam: res Ecclesiæ se tueri: quæ tamen, pro sua illa cum Christo (qui & ipse charitas est) coniunctione, sua quærere nescia est: tantùm abest vt fiduciã pernegari, vt aliena vnquã velit occupari. Obtrudebat (inquam) sed incautis, hoc in sympullo fluctus excitari, quos postea vix caperet Oceanus: hanc in OEcumenicam Ecclesiam cudi fabam: à se auspicatum esse, quod vniuersum Ecclesiæ patrimonium tandem absumeret: omnia sursum deorsum ferri oportere, si de hominũ rebus, post trecentos quadraginta septem annos, ita quæri receptum esset. Pòst autẽ quàm iudicatum est, quid forsitan irato illi, & iacturæ impatienti exciderit, nescio: sed allatum est mihi, extitisse qui exclamarent, ò placitum! Quibus omnibus (nisi maximè fallor) satis abũdè factum erit, si rem vti ea se habuit, & à nobis optima fide exposita est, intellexerint: quod ab eis, pro Principis atque Augustæ, Augustaliúmque omnium, ei qui rei operam dederunt, próque iudicum æquitate, integritate, fide ac religione, etiam atque etiam vehementer peto.

De noui operis nuntiatione, Tit. VI.

I.

Nouũ opus nuntiatũ aliquãdo satisdato perfici posse.

MOLETRINIS, ponti Ambianensium maximo adstructis, angustias molientibus, nouo opere nuntiato, opus facere permissum est, si de eo restituendo satisdatio interponeretur. V I. Calend. Octob. M. CCCC. XXXIX.

Vti possidetis, Tit. VII.

I.

Regiis iudicib. interdictorũ retinẽdæ possessionis cognitionẽ, absq; di-

INTERDICTORVM retinendæ possessionis cognitionem, inter iudices Regios in sua cuiusque præfectura, & iudices priuatos in suo cuiusque foro ambiguam & communem, occupantium propriam

fieri palàm est. Sed iudicibus Regiis, an absque diplomate occupare liceret, sæpenumero dubitatũ est: & semper, Curiæ non liquere tantùm pronuntiatum est, donec III. Calend. Decemb. M. D. XLVII, additũ est, interea id licere, & palàm in iudiciis promulgari iussum. plomate occupare licere.

II.

ETIAM illa interdicta (inquit Paulus) quæ de locis sacris ac religiosis proponuntur, veluti proprietatis causam continent. Sed & iuris Põtificii Consultorũ prærogatiua sententia inductum est, de rebus quantumuis (vt aiunt) spiritalibus interdici posse: & generaliter vbicunque in rem est actio, ibi etiam interdictum competere. Inter cæteras ea de re Curiæ autoritates, ea, vel in primis iactari solet, qua diuæ Virginis Lutetiæ Sodalitium, aduersus diui Mederici Subsodales, de cruce in publicis supplicationibus nõ attollenda, vocéq; summittenda, interdicto contendens, admissum est. Quibus forsan præiudiciis, interturbatæ possessionis querela, à municipio Auriliacensi, aduersus eiusdem municipii Curionẽ, flaminésque interposita: quòd sacerdotes aliquot, municipes suos, eodémque fonte lustratos, ab ipsius municipii Decurionibus proditos, secũ munia obire stipendiáque facere non siuerant, frequentis Curiæ decreto non est improbata. X. Calend. April. M. D. XLVII.

De rebus quālibet spiritalibus interdici.

III.

IS cui hæreditas restitui iussa est, quòd eius mancipium non habeat, interdicto agere non potest: sed ab eius hærede, cuius fideicom missa est, petere debet, vt eam restituendo, fidem liberet suam: quod Chartarius, Marilliacus, Seguerius, Thous, Berruerius, Puteanus, in causa Tribuni militum, à sancto Andrea responderunt, & sæpenumero iudicatum est, præsertim duabus aliis nobilibus in controuersiis, Combortana scilicet ac Lauzunia.

Eum, cui hæreditas restitui iussa sit, retinẽdæ possessionis interdicto non vti.

IIII.

LVCII Titii hærede, & eius testamenti curatore certātibus, Martem varium & cõmunem varia & communis sequuta est victoria. IVDICATVM est hæredem, interdicto retinẽdæ possessionis agentem, quantùm ad mobilia pertineret, non esse ferendum. Ea enim ad annum à morte testatoris, in curatoris mancipio esse. Curatorem autem, quòd ad res soli quæsitas attinebat, intercessione submouen-

Hæredẽ, intra annum, cũ testamenti curatore, de mobilib. curatorẽ cũ hærede, partis de reb. interdicto nunquam rectè contendere.

dum: quod ſcriptis poſtea moribus eſt comprehenſum. Placitũ pronuntiatum Calend. Septembr. M. CCC. LXXVII.

V.

De non Regiis muneribus, etiã ob bene merita collatis, veteres interdicere non ſolitos.

GENERALE fuit magiſtratus, honores, officia, munera, veluti precaria omnia, gerentibus abrogari, & eis ſucceſſores dari poſſe: quod vel ipſis magiſtratuum, munerúmue diplomatis oſtenditur. Sic enim habent,

Quoad noſtro ſederit animo.

Sed Ordinis Ampliſſ. decreto, cui Principes non ſunt refragati, iamdiu receptum eſt, Regia nihilominus eſſe perpetua: niſi ſi quis vel noxæ damnetur commiſſoriæ, vel ſua ſponte magiſtratu, muneréue ſe abdicet. Quamobrem de iis, non de aliis, etiamſi remunerationis ergô data fuiſſent, interdicebatur. Quam in ſententiam cùm prid. Id. Iun. M. D. XIII. Barmeus, tum Regis Cauſidicus, multa protuliſſet exempla, Actuarii Villanii (ob bene merita) munere donatum, ac poſtea pulſum, vti poſſidetis interdicto agere deſyderantem, ſubmoueri placuit.

VI.

De muneribus non Regiis, ob bene merita collatis, interdicto retinendæ poſſeſſionis nunc agere licere.

FVIT hic illius, non huius ætatis ſenſus. Nam de Guiſiano, de Duneſi, nõnulliſque aliis non Regiis magiſtratibus, muneribúſue prorſus aliter decretum eſt. Quorum exemplorum ne viſorum quidem, ſed auditorum tantùm prærogatiua, iudices alioqui in eam ſententiam proni, Claudium Subminium, de iuſta quorundam non Regiorum munerum poſſeſſione decernentem, ſuperiorem pronuntiarunt, IX. Calend. April. M. D. L. Goeurotio litis enarratore: ídque rectiſſimè, mea quidem ſententia. Si enim Regiis de magiſtratibus, muneribúſue, nullam aliam ob cauſam (vt alia certè nulla eſſe videtur) interdici placuit, quàm quòd perpetua eſſent: quid eſt cauſæ, cur de nõ Regiis ob benemerita datis, atque adeò etiam perpetuis, diuerſum aliquid ſtatuamus? Sed vtcunque ſeſe res habeat, ſtat nunc ſententia, vt de ambobus æquè interdici poſſit.

VII.

Iuſta poſſeſſione ſuperiorem, poſſe nominis petere nouationem, ſed

TREMOLLIO, iuſtæ poſſeſſionis iudicio, certa de penſione, à Borbonia ſuperato: ea ipſa, ne quotannis agere cogeretur, ſed pignorum captione ſuum cõſequi poſſet: nominis nouationem, iudicati actio-

ne petebat. Dicebat Tremollius Borboniam, id petentem, non eſſe ferendam. Nihil enim ad poſſeſſionē, ſed ad hypothecas prorſus pertinere. Imò verò (referebat Borbonia) nouationem, tametſi hypothecas amplecteretur, tamen in perſonam eſſe ſcriptam, & à poſſeſſionis iudicio nihil abhorrere. PLACVIT nouationem eatenus eſſe faciendam, quatenus per eam, vt Borbonia pēſionem poſſidebat, ita etiam poſſideret. Areſtis Sextilibus M.D.LI. Briconneto, ad tertiam, Inquiſitoriarum exhedram litis enarratore. non niſi poſſeſſoriam.

De Sequeſtratione, Tit. VIII.

I.

LITIGATORIBVS alioqui ad arma & rixam interdum proceſſuris, opportunum ac ferè vnicum ſequeſtrationis remedium rectiſſimè veteres oppoſuere. Et conſultiſſimè Carolus VIII. lege lata cōſtituit, vt Regii Iuridici, nihil morante prouocatione, & agnatas ſequeſtrationum liticulas conficerent, & quas de iis, parte vtraque audita, ſententias dixiſſent, exequerentur. Cui legi, & aliis huiuſmodi: cùm detrectatores fraudem facerent, eremodiciis rem agi ſinentes, Franciſcus Valeſius primus hocce perfugium interclufit. Cauit enim vt quibus in cauſis, exequutionem rei iudicatæ prouocatio non impediret: nihil referret, cōtradictione an detrectatione eſſent latæ ſententiæ. Sed antea maximam venerat in controuerſiam, ſententia de ſequeſtratione, non ipſa re quidem, ſed verbis tantùm ac imagine facienda, an etiam lege comprehenderetur. ET pro vniuerſo Curiæ cōſeſſu, placuit eſſe comprehenſam, V. Id. Aug. M.CCCC.XCIX. Cuius placiti rationem, quandoquidem aliam non habemus, bona venia, ſic auguramur. Non poſſe, id quod licet in corpore (quod citra controuerſiam maius eſt) etiam in vmbra, (quod minus eſt) nō licere. Sed quid vmbratilis iſta ſequeſtratio? éſtne otioſa penitus ac ſuperuacanea, cùm rem controuerſam alter litigatorum interim poſſideat? Minimè verò. Sic enim ea, tantiſper dum lis vel vindiciarum, vel iuſtæ poſſeſſionis agitur, fit alteri ſacroſancta: & ab altero quadā cū religione poſſidetur, vel eius cuſtodiā magis ac obſeruationē habet: & mediū quoddā inter verā ſequeſtrationem & vindicias, aut potiùs vtriuſque eorum facultatis particeps iudicium eſſe videtur. Sequeſtrationis in ſpeciē faciendæ ſententiam prouocatione nō ſuſtineri.

II.

Duobus, de dominatu cõtẽdentib. nõ interea possidẽtis ditioni subditos eximi, quòd ei petitorẽ excitauerint.

APVD Principem, eiúsque sanctius Consilium, Lucio me, à rebus Caterinæ Aug. procurandis primario, à Gulielmo Pratensi, Episcopo Claromontano, reposcẽte vrbem, ciuésque Claromontanos, arcem quoque Moduni, cum pertinentibus (quæ omnia, anno M. CCII. & VII. Guido Comes Aruerniæ Roberto, Episcopo Claromontano, fratri commendauerat, tantisper dum illi cum Rege non conueniret) Pratensi contrà strenuè fiduciam inficiante, & occupationẽ, hominum memoria superiorem præscribente: ciues interuenere, dicẽtes se ab Episcopi tyrannide in Reginæ, veræ dominæ, clientelã proclamasse: atque (vt Alberius, qua est facundia, pulchrè comparabat) instar anserum capitolinorum, Reginam expergefecisse: vt iura maiorum, atq; adeò sua, curari seruaríque iuberet. Hoc nomine, aliísque nonnullis, Episcopo se esse, foréq; inuisos: eum ipsis iniquissimum. Itaq; petebant, vt, si qua ratione, iudicium repræsentari nequiret: saltem, interea dum amplius esset deliberandum, iura Claromonte, maioribus auspiciis, summorúmq; fascium, hoc est, Regiorum, autoritate redderẽtur. Quod tametsi summa ratione niti videretur, tamẽ nõ placuit: & ciues, non liquere pronuntiando, postulatione summoti fuere. III. Non. Apr. die Iouis ante Liberalia, M. D. XLIX.

De Vindiciis, Tit. IX.

I.

Iusta de profanæ rei possessione sententiam, prætermissis etiã vindiciis, nõ perinde nos exequi, atq; eã, quæ de vindiciis, aut de vi dicta sit.

LVDOVICVS XII. lege lata constituit, sententias, de sacrorum beneficiorum vindiciis, iustáue possessione (præteritis vindiciis) ex cõsignatis autoritatibus dictas, posthabita siue intercessione siue prouocatione, nulla tamen alia intercedentis, prouocantísue captione, satisdatò exequi licere. Postea verò Franciscus Valesius primus, vindicias, quibuscunque de rebus dictas, atque id etiã quod de vi interdictum esset, eodem executionis iure haberi voluit. Dicebat Claud. Subminius, priori legi, per posteriorem, veluti adrogatum esse: & si quis eas tẽperaret, sententiã, de iusta rei profanæ possessione (præteritis vindiciis) secundum se latam, iis legibus, saltem intellectu atq; interpretatione, esse cõprehensam. Nihil referre, quòd non ex autoritatibus modò, sed etiam ex inquisitione dicta esset. Nõ enim in pro-

ſanis, perinde atque in ſacris, ab autoritatibus pēdere poſſeſſionem. Legem præterea poſteriorem nihil diſtinguere, vindiciæ ex autoritatibus, an ex inquiſitione dicerentur: & de vi, nōniſi teſtimoniis, interdici poſſe. Itaque poſtulabat, vt in ſpecie propoſita, eiuſmodi legibus vteremur. MIC. Hoſpitali, Conſcripto, Recuperatore dato, ac poſtmodū renuntiāte, Subminiū poſtulatione ſummoueri placuit.*

II.

VINDICIAS ſecundum me dictas curaui, reiecta prouocatione, ſatiſdatò vt exequerētur. His poſtea Curiæ placito comprobatis, diſceptatū eſt, an fideiuſſor meus adhuc eſſet in obligatione. ET PLACVIT eum tam in præteritum, quàm in futurū, eſſe liberatum. Mihi nanque dirempta prouocatione, ſatiſdationis cauſam ſimul euanuiſſe, per regulam, Ceſſante cauſa ceſſat effectus. Quam Andreas Tiraquellus, Curiæ conſcriptus, de iuris omnis prudentia optimè meritus, tam doctè, tam eleganter, tam copioſè, ſuis commentariis, poſt alios etiam ſuos aliis de rebus multos, nuper nobis enarrauit: vt nihil ſit (meo quidem, qualecunque eſt, iudicio) quod poſſit præterea deſyderari. Sed ad rem. Trium Curiæ claſſiū inquiſitoriarū eſt decretū, factum XIIII. Cal. Iul. M. D. XXXV. Philippo Begueo & Dionyſio Hulotio de ea re ambigentibus, Iacobo Spifama enarratore.

Vindiciarū ſententia, Curiæ placito comprobata, fideiuſſorē, eius exequēdæ gratia datum, liberari.

III.

PERSPECTIS non modò tabulis à litigatoribus vtrinque prolatis, ſed etiam teſtium orationibus, quos ipſi produxiſſent: iudex quidpiam interfatus, controuerſi ſacerdotii vindicias, eorum alteri adiudicauerat. Vnde cùm ab altero prouocatum eſſet, venit in diſceptationem, vtrum poſthabita prouocatione, haſce vindicias exequi liceret. ET XV. Cal. Iun. M. D. VIII. ambabus inquiſitionum claſſibus placuit, vindicias nō niſi meris ex titulis decretas, prouocatione fore ſuperiores: quod lege quoque poſtea ſancitum eſt, & certè meritò. Sunt quippe vindiciæ fiduciarium quoddam poſſeſſionis genus, quæ omnino, ſacris in beneficiis, ſine titulo & canonica inſtitutione non procedit: & mixtis cum tabulis teſtationibus, incertum eſt hæ an illæ, an verò vtræque iudicem permouerint: & longè facilius eſt, his quàm illis, iudicantis falli religionem.

Vindiciarū ſententiam prouocatione ſuſtineri, ſiquid teſtimoniorū, titulis fuerit admixtum.

Placitorum summæ apud GALLOS CVRIAE

LIB. X.

De his, qui nexum corporis iniuerunt, TIT. I.

I.

Nexus corporis initus, qualiter sit intelligẽdus.

EVM, qui corporis nexum inierit, comprehendi ac duci quidem posse: sed vinciri, traduci, alienæ iurisdictionis custodiæ mandari non posse. XIII. Cal. Maii. M. D. L. Puto tamen eos, qui apud Præfectum vrbi ita sese alligauerint, hoc placito, quod ad custodiam pertinet, non contineri. Solent enim adduci: ídque signi Regii, Præfecto commendati, priuilegio tribuitur.

De Pigneratione, Tit. II.

I.

Pignerationem in exteros decretã, de rebus, nõ de personis intelligi.

DECRETA in exteros pigneratione, quam nostrates Marcam, vulgus indoctorum Repressalias vocat, χρηματοληψίαν intelligi, non ἀνδροληψίαν, hoc est, rerum, non etiam hominum comprehensionem. Itaque pigneratos aliquot Tarraconenses, rebus eorum, etiam pigneratis, remanentibus, dimitti placuit, IIII. Non. April. M. CCC. LXXXVII.

De Pignoribus & Hypothecis, TIT. III.

I.

In pignoribus & hypothecis, ius solarii poti⁹ esse, eiusq; nomine nos ablata pignora persequi posse.

VVLGO iactari solet, pignorum ablatorum nullam esse persequutionem. Sed inter cætera, quæ ab hac regula excipi possunt, hoc quoque Curiæ placuit. Eum, apud quem solarii ius mancipiíque esset, siue in prædium vrbanum inducta, illata, siue prædium ipsum veneat: non modò iuris ipsius, sed etiam obuentuum gratia, primarum partium exactorem, suíque nominis seruatorem fore. Quod ita increbuit, vt iamdiu translatitium ac vulgare sit, hypothecas plurimò licentibus aliter non addici: tametsi auctionibus, eam ob

causam non sit intercessum. Placitum pronuntiatum * Habetur in actis anni M. CCC. LXVII.

II.

QVOD moribus comparatum esse dicebatur, hypothecam diuidi posse, dãnari placuit, vetaríque ne vnquam tale quicquam vsurparetur. VI. Id. Iun. M. CCC. LXXXVI.

Hypothecã, moribus, diuidi posse, ne quis vnquã vsurpet.

III.

COENOBITAE cuidam primario, soror centum mutuo dedit, sine chirographo. Ille, post aliquod tempus epidemia correptus, à sorore, debiti admonitus: vasculũ, quo sacra faciebat, suum, pignori misit, & interiit. Archimandrita, exuuiarum iure, quasíque pro hærede, creditrici, de vasculo, iudicium intendit. Hæc, nihil se morari pignoris restitutionem, si modò lueretur. Ille, vasculum semel consecratum, nec profanatum (quòd diuini iuris esset) oppignerari non potuisse. CLASSIBVS omnibus consultis, Curiæ perscripta est autoritas: Archimandritam vasculum recepturum, sed centum antè numeraturum. Pronuntiata VII. Id. Sept. M. D. XLVIII.

Res sacra an rectè pignori dari possit.

De pactis pignorum & lege commissoria in pignoribvs rescindenda, TIT. IIII.

I.

CENTVM à Mæuio mutuatus promisit Titius, intra annum, se soluturum, & ei hoc nomine fundum oppignerauit: cauítque, vt si intra eum diem, credita pecunia non exolueretur, ea fundus esset emptus. Cùm autem se Titius nõ liberasset: cœpit Mæuius fundum pro emptore possidere, atque de eo, etiã interdicto agere. Quo Titius superatus, prouocauit, causatus propriam cuiuslibet contractus esse naturam, neque in aliam posse degenerare. Mutuum semper esse mutuum, quancunque personam induxeris. Pactum quod de venditione adiectum erat, instar esse commissoriæ pignorum legis: quam infirmari, & eius memoriam aboleri, iãdudum placuisset: réque amissa, creditores recipere quod dedissent. Diuersum fortasse fore, si hypothecæ datio ita facta fuisset, vt, si intra pactum tẽpus, pe-

Legẽ pignoris cõmissoriã, rescissam quidem: sed si debitor intra certũ tempus non solueret, rem, quãti ea æstimaretur, emptam fore.

cunia soluta non esset: creditor, emptionis iure, rem possideret, iusto pretio tunc æstimandam. Hoc enim casu videretur quodammodo conditionalis esse vēditio. PLACVIT quidem vēditionem non valere: sed media quadam iurisprudentia, & sui cuique tribuendi compēdio, decretum est: vt, si intra duos mēses, Titius non solueret, fundus Mæuio tanti emptus esset, quāti æstimatores, earum rerum callentes, arbitrarentur. Ex tempore XIIII. Cal. Iun. M. D. LII.

De Senatusconsulto Velleiano,

TIT. V.

I.

An S.C. Velleiano iuuetur vxor, quæ mariti creditorē, res eius distrahere parantem impediuerit, suscepta cōdemnatione, & mariti obligatione inducta.

MERCATORI mercator alius, certam mercium quantitatem, octingentis & mille francicis vendiderat, ab eóque publicam hoc nomine cautionem acceperat. Tertia debiti parte dissoluta, reliquis cùm in duabus persoluendis, debitorem plus æquo morosum creditor vrgere pararet: alia est inuēta ratio, qua quidem ab imminenti pignorū captione tēperaretur. Itum (videlicet) ad iudicem, qui & debitorem, & debitoris vxorem, prudētem ac volentem, intra certum tempus, in solidum soluere damnatos, dimisit: inducta, quam maritus exposuerat, cautione. Postea, cùm fœminā suæ illius facilitatis pœniteret, re in ius reuocata, & per prouocationem in Curiam inducta, disputatum est, an contra Augusti & Claudii edicta, quibus nominatim erat introductum, ne fœminæ pro viris suis intercederent: contráque Senatuscōsultum postea factum, quo fœminis omnibus subuētum est, hæc intercessisse videretur: quod, vel ex specie proposita, ipsa perspicuum esse dicebat. È diuerso, creditoris hæredes, per fœminam esse factum, vt represso rerum debitoris pignerandarum ac distrahendarū impetu, quo tum ille ferebatur: ipse non modò suum non reciperet, sed & priores debiti tabulæ haberētur infectæ. Deinde iure moribus constituto receptum esse, mulierem, quæ publicè mercaturam faceret, rectè obligari. Postremò per inductam iisdem moribus inter coniuges rerum communitatem, omnis æris alieni, quod maritus contraxerit, vxorem dimidia ex parte fieri ream. Merces venditas, in rem communem esse versas, ideóque fœminam in rem suam interuenisse: qua in specie exceptio Senatusconsulti lo-

cum non haberet, quòd fœmina non eſſet facta pauperior. Cæterùm creditoris minimè mali, quíque vnquam nihil tale ſuſpicatus fuiſſet, lenitatem ac ſimplicitatem, in pupillos, eius filios & hæredes, ſeueriore legum interpretatione, torqueri non oportere: qui, ſi ad primum debitorem, interim fortaſſe facultatibus lapſum, reiicerentur, ſummâ illis eſſet inopia laborãdum. A fœmina referebatur, poſteaquam ad mouendos iudicum affectus deuentum eſſet: præter afflictas mariti fortunas, & non modicam rei familiaris anguſtiã, promptam eſſe ſui ſexus imbecillitatem: qui ob eam, multis huiuſcemodi caſibus ſuppoſitus atque obiectus, iampridem auxilium meruiſſet. Plurimum intereſſe, vtrum pignora fuiſſent capta, & apud ſe depoſita, an verò etiam ſine mora capi ac diſtrahi potuiſſent: nam non niſi capta, effici prætoria: creditorem, cautiorem ac diligẽtiorem eſſe debuiſſe. Marito, non ſibi, res fuiſſe venditas: ſe non aliter mercaturam feciſſe, quàm ſolerent quæuis aliæ mercatorum vxores. Re vera municipii moribus, æris cùm ſui tum alieni inter coniuges eſſe communitatem: ſed illis ipſis moribus, poſt viri fata, fœminæ licere rebus communibus abſtinere, atque ita communi ære alieno ſe liberare. In ſumma, ſe ſatis interceſſiſſe, cùm mariti obligationem in ſe ſuſcipiens, ex ea condemnationẽ ſubiiſſet. PLACVIT fœminam Senatuſconſulto ſic adiuuari, vt viri patrimoniũ, réſque ab eo partæ, ſiue mobiles, ſiue ſoli, fructúſque prædiorum vxoris, qui conſtante matrimonio, viri eſſent, pignori caperentur, & in iudicati cauſam conuerterentur. Ex tempore, v. Cal. Decembris, M. D. LIII. Durando & Mileto cauſam orantibus.

II.

SI mulier Senatuſconſulti Velleiani beneficium eiurauerit, tametſi verbis generalibus eiuratio concepta ſit, tamen non eſſe reſtituendam pronuntiatum eſt, menſe Febr. M. D. XLIIII. Litigatoribus Crepecordio * S.C. Velleiani beneficiũ, etiam generalib. verbis rectè eiurari.

III.

QVOTIES in obligationẽ præcedit iuſſus mulieris, eam Senatuſconſulti Velleiani beneficio non iuuari placuit. Placitum recitatum VII. Cal. Decembr. M. D. XLV. Litigatoribus * Rolando & Merciarii Vidua. S.C. Velleiano mulierẽ non iuuari, ſi iuſſus eius obligationẽ præceſſerit.

IIII.

S.C. Velleiano mulierẽ non iuuari, quæ rem alienam, vnà cũ eius rei domino, in solidum vendiderit.

REM alienam mulier, cum ipsius rei domino, in solidum vendiderat. Senatusconsulto Velleiano locum non esse, tertiæ Inquisitionum Classi placuit. Nec mota est, quòd emptorem mulier non decepisset: erat enim expressum, ad quos ea res pertineret. Sed visum est sufficere, mulierem vendidisse: & aliud esse, mulierem pro alio intercedere, aliud eam apertè vendere. Nec simile vero, non esse emptorem, qui mulieris fidem, fortunásque sequebatur, non aliter empturum fuisse, quàm si & ipsa venderet. VII. Calend. Martii M. D. XLV. Litigatoribus Iohanne Oleario, & hæredibus Annæ Colligniæ.

De solutionib. liberationib. & compensationib. TIT. VI.

I.

Debitorem nõ ideo minus liberatum, quòd eius tergiuersatione factũ esset, vt creditore hoste iudicato, & postea in gratiam reuerso, debitum interea Quæstor ærarius exigeret.

FLANDRO mercatori mercator Gallus in mille tenebatur. Gallo procrastinatori dictat iudicium Flãdrus. Ille detrectare, tergiuersari: hic horis omnibus ac momentis instare, vrgere. Bello interea suborto: inimicorum rebus (vt assolet) quæ apud nos erant, fisco addictis: Quæstor ærarius nomen exigit. Icto postea fœdere, Flandróque litem repetente, Gallus excipit solutionem Quæstori factam. Respondet Flandrus, Galli dolo culpáue lata esse factum, vt eò res deueniret: atque ita eum teneri, saltem quanti sua intererat, Gallum non fuisse tergiuersatum. Referebat Gallus, non modò nomen, sed & actionem omnem à Flandro, hoste proclamato, perfidiæ nomine commissam esse. Depulsus exceptione Flandrus Curiam appellauit. ET repræsentato Curiæ ipsius iudicio, prouocatio, sine fraude, circũducta est, ídque vnde prouocatum erat, comprobatum. Quia tamen à Gallo, Quæstor ærarius adumbratus fuisse dicebatur: receptum est, quod è re Galli factum esse comperiretur, eum restituturum * Augusti M. D. XLVIII.

II.

Æstimata specie, die nõ soluta, si creditor velit, nõ speciem, sed pecuniã deberi.

TVNICAE muliebris partem anteriorem (dicámne antilenam?) acu pictam, Caius Seio vendiderat aureis quinquaginta solatis, in lana per libras æstimata, certo tempore persoluendis. Moram faciente Seio, Caius ei pecuniæ dicam impegit. Defendebat Seius, se non pe-

cuniæ debitorem, sed lanæ: quam offerebat, quantíque intererat, eam tempore solutam fuisse. Referebat Caius, per se, moram Seio purgare non licere, atque adeò eum pecuniā debere. VICTVS Seius frustrà Curiam appellauit. Nam & pecuniæ & mulctæ damnatus est: mulcta tamen, ob causam, ex sexagenaria vicenaria facta.

III.

REI priuatæ Quæstorem, seu, si mauis, prouentus alieni coactorem, cúmque reliquatorem, æris alieni in annum soluendi, veniæ candidatum, diplomate eam in rem impetrato submouendum, Riantius, Bernagius, Lallierius, multis aliis cótrà sentientibus, responderunt: & ita postea Curialis Tholi Conscripti, omnes ad vnum (vt erat conspicere) cēsuerunt. Reliquatori tamē ex causa, creditore nec admodū reclamante, semestre indulserūt, XIX. Cal. Feb. M. D. XLVII.

Quæstorem rei priuatæ, reliquatorē, annali venia non vti.

IIII.

DEBITORI creditor indulsit, vt quod rei iudicatæ nomine, præsenti die, solidum debebatur, certis intra biennium diebus, in parteis dissolueretur. Creditori, postea certæ litis impendiis mulctato, & compensationem postulanti, debitor obiecit, perinde esse compensare atque soluere. Cæterùm, solutionis quidem cessisse, non venisse diem: & creditorem, compensare desyderantem, plus tempore petere. Dicebat creditor, humanitatem suam in se non esse torquendam. Debitor contrà prioris nominis nouatione, qua ratione cundque facta, standum esse. PLACVIT, nihil obesse compensationi, quòd dies solutionis nō venisset. Placitum pronuntiatum XII. Cal. Mart. M. D. L. Litigatoribus Iohanne Foliolo & Olea Pontiueo.

Compensationi aliquādo nō obesse, quòd cesserit quidem, sed non venerit dies.

V.

PAVLVM respondisse, testatum habemus, creditorem in aliam formam numos accipere non esse cogendum, si ex ea re damnum aliquod passurus sit. Quod etiam in rei venditæ pretio, si ea redhibenda sit, restituendo, locum habere, hominem esse qui dubitet, arbitror neminem. Sed si tum eiusdem formæ numi, pluris à Principe indicati sint, quàm cùm venditio fieret: quanti intersit, quò spectare dicemus? an ad redhibentem, an verò ad eum qui pretium restituit? Qua de re, quid iudicatum fuerit, videamus. Annuam centum aureorum amico vendenti pensitationem, Dormantius, Curiæ Con-

Eum qui, nō numorum æstimatorū numero, sed noua indicatura, plus soluerit, posse condicere.

ſcriptus, nomen accommodauerat, ſéque nexu prorſus eodem, quo venditor, obſtrinxerat. Poſt aliquod tempus, ipſe vẽditoris ceſſationem ad ſe pertinere proſpiciens, redhibendi pactum venditioni adiectum exercuit, ſolatis mille ducentis aureis à ſe renumeratis. Cùm autem ſe collegiſſet, animaduertit, æſtimatos aureos venditori fuiſſe datos: quos cùm ipſe rependeret, pluris aureus aſſe conſtaret, quàm cùm venditor accepiſſet: ítaque quod eo nomine plus ſolutum eſſe exiſtimabat, cõdixit. E' diuerſo proponebatur, non plureis quàm datos aureos fuiſſe receptos. Cæterùm nullam æſtimationis rationem haberi licere, vbi certa numorum ſpecie, definitóque numero res acta fuiſſet. Victus apud libellares ad Baſilicam Recuperatores Dormantius, prouocauit. ET vt optimo iure condictum, ita & prouocatum eſſe placuit. Areſtis Natalitiis. M.D.LII.

Placitorum ſummæ apud GALLOS CVRIAE LIB. XI.

De edendo, Tit. I.

I.

Etiam extraneo, contractũ inter alios initum, aliquãdo ex cauſa edendum eſſe.

QVOD Franciſcus Valeſius, primus, pactorum perſcriptoribus vetuit, ne contractus à ſe perſcriptos cuiquam ederent, præterquam contrahentibus, eorúmue hæredibus, aut ab eis cauſam habentibus, ita temperandum eſt: vt ex cauſa, etiam extraneo edere teneantur. Quod & ipſa lege, poſtremis CLXXVII capitis verbis, in iudicantis religione ſatis apertè poſitum eſt. ITAQVE Clauierio, numarium ſodalitii Sacerdotii commercium iucuſanti, Laurentium edere placuit IX. Cal. Iul. M.D.XLVIII, Mommiralio litis enarratore.

II.

Cognatũ ſe dicẽtẽ, quoto gradu, quaque ex gente præcidere debere.

CRIMINOSA lite ciuilem in modum conuerſa, Turnemineus aliíque nonnulli, Glæi & Pauoniæ matrimonium ægrè ferẽtes, iniuriámque, quam ſibi eo nomine illatam eſſe dicebant, perſquentes,

themata ſua, inquirendi gratia, ediderant. In quibus cùm Brulonius, Pauoniæ agnatus, idémque tutor, raptus, qui dicitur in parēteis, inſimulatus, animaduertiſſet, accuſatores non perſtrinxiſſe, quoto quiſque gradu, quáque ex gente Pauoniam contingeret: ſed vaſtè nimis ac confuſè poſuiſſe, alium à tertio ad quartum gradum illi cognatum eſſe, alium tali gradu, ei vt hæres eſſe poſſet: libello complexus poſtulauit, vt præciderent, ne illi ſigillatim & reſcribendi & inquirendi poteſtas prærriperetur. Dicebant accuſatores, teſtium orationibus, quos ſperabant ſe producturos, ſatiſfactum iri: erat enim quiſque dicti ſui (vt aſſolet) rationem expoſiturus. Satis quidem factum (inquit Brulonius) ſi ex eo quod Clemens III. Pontifex Max. reſcripſit, poſt prolatas atteſtationes & exploratas, integra mihi eſſet cùm reſponſio, tum etiam probatio. At inquiſitiones in Curia litigatoribus ſunt ſacroſanctæ, neque illis eas licet inſpicere, ſed nec attrectare quidem. Itaque dicebat vel ſuam oportere poſtulationem exaudiri, vel perinde fore, atque ſi aduerſariis poteſtas fieret exarmandi eius ac pro ſua libidine dilaniandi. PLACVIT accuſatores præcidere debere. Placitum pronuntiatum III. Non. April. M. D. LIIII. Leonio litis enarratore.

III.

CVM apud Præfectum vrbi Hugo Cuſiacus & Iohannes Laſtreus litigarent, quarundam autoritatum Cuſiacus Laſtreo deſcriptum fecit nec recognitum. Pòſt deinde cauſa in Curiam inducta, Robertus Burellus Antonianus, qui perſonam in fabula non ageret, ſed ne ſpectatorem quidem: quippe qui neque actor, neque reus eſſet, neque cuiquam eorum ſubſcripſiſſet, libello complexus poſtulauit, vt quod Cuſiacus deſcriptũ Laſtreo merum feciſſet, ſibi à ſcribarum officio recognitum auferre liceret. Et hunc prorſus extraneum poſtulatione ſummoueri placuit XIIII. Cal. Iun. M. D. VIII.

Deſcriptum aduerſario factum, vt ab officio recognitum ſibi detur, tertiũ rectè non petere.

IIII.

EXTITIT longo poſt tempore, idem ferè qui peteret, ſed conditione duobus planè nominibus meliore. Vno, quòd illi ipſi cum eo, in quem hoc peteret, lis interceſſiſſet, atque etiam tum exerceretur. Alio, quòd ipſi eadem in cauſa, eodem ab aduerſario prolatæ fuiſſent autoritates, quarũ ſibi ab actuario deſcriptum ac recognitum

Deſcriptum ab aduerſario mihi factum, vt ab officio recognitũ mihi detur, me iure non poſtulare.

fieri postulabat. ET nihilominus, cùm rerum iudicatarũ exempla repeti placuisset: omnibus Curiæ classibus visum est, illud quod proximè à nobis adductum est, & in hac & in illa specie, perpetuò obtinere debere: descriptum quidem nudum habere licere, sed à scribatus officio recognitum, nequaquam: id enim de cautionibus non nisi communibus fieri solere. At (inquiet alius) quæ à litigatoribus eduntur, illis ipsis communia fiunt. Fiunt certè quidem: sed eatenus vt in edentem, si velis, retorquere possis, atque etiam descriptum, nõ tamẽ publicè recognitum auferre. Cæterùm in se ipsum (vt aiunt) arma parare nemo tenetur. XVII. Cal. Iul. M. D. XXXVI. Gulielmo Allardo enarratore.

V.

Ibi edendas esse rationes vbicunque conuenerit: sed si ex eis controuersia enascatur, eã ad suum edentis iudicẽ esse reiiciendam.

CONVENERAT vt exactor stato tempore, vbicunque domina esset, ipse ei rationes ederet. Is à suo iudice, id Machliniæ Flandrorum, vbi domina tum ageret, temporéque obligationis agebat, facere iussus, Curiam appellauit, Regiúmque ac publicum actorem subscriptorẽ habuit: causantibus ambobus id nihil aliud esse, quàm indigenam exoticæ iurisdictioni subiicere: & generalem edendarum rationum obligationem vltra Gallici imperii fines non esse proferendã. PLACVIT, etiam Machliniæ rationes edi: sed si quid in eis dispungendis controuersiæ suboriretur, fore, vt exactor ad suas leges reiiceretur. Placitum extemporale, III. Non. Decemb. M. D. XLVIII.

De alienatione iudicii mutandi

CAVSA FACTA,

TIT. II.

I.

Pẽsitationis prouentib. transcriptis, non ipsa etiã pẽsitatione, totum debitum non intelligi transcriptũ esse.

REX Lodoicus XII, Pius, Fel. Aug. P. P. sanciuit edicto, transcriptiones, quas à patre in filium, à fratre in fratrem, à patruo in nepotem, studiorum gratia fieri contingeret (ne, sub eiusmodi obtentu, latius eorum grassaretur improbitas, qui cùm rem habere velint, litem ad alium transferũt, vt molestum aduersariũ pro se subiiciant) ita demum valituras, si fraus abesset, & de integris debitis essent

factæ. Sed si quis cuiusuis annuæ pensitationis obuenta, non etiam pensitationem transcripserit: hac in specie, scilicet, vt studiorum causa, iudicium mutari possit, an aliquid egerit, videamus. ET nihil egisse iudicatum est. Integrum enim debitum non esse transcriptũ, nisi & pensitatio ipsa cum obuentis transcribatur. Vnde & hoc colligitur, edictum, non de debitis tantùm, quæ in personam, verumetiam quæ in rem concepta sunt, esse intelligendum. Ex tempore, V. aut IIII. Cal. Mart. M.D. XXXVII.

Quod cuiuscunque vniuersitatis NOMINE, VEL CONTRA EAM agetur, TIT. III.

I.

MVNICIPES, Comopolitanos, Vicanos, litis exercendæ aliúsue negotii agendi causa, non in extraneos modò, verumetiam in dominum, suo iudice autore, *comitia habere, &; consulto Principe*, sibi ipsis numos imperare posse, æquissimum est. Sed siqui sint ex eis, quorum nihil tum intersit: vt (exempli causa) si ex certis prædiis dominus vectigal inauditum petat, & sint qui nulla prorsus, aut nisi optimo iure prædia habeant, quæso, an conferre debeant? ET magis esse visum est vt debeant. Iam enim sua satis interest, quod fieri potest vt habeant. Ex tempore, XVIII. Calend. Iul. M.D. XLVIII. Litigatoribus Comite & ciuibus Tonitruensib.

Domino & subditis, de re prædia cõtingente decertãtib subditorũ quẽlibet, litis sumptib. conferre teneri, & si nihil habeat soli.

II.

SVBDITI de dominis queruli, Regiæ tutelæ se credi petentes, non sunt audiendi: sed & domini & subditi pro officio ac potestate monendi, vt habita sui vtrinque ratione, in officio sese contineant. Sed & si quid animaduersione dignum, factum esse dicetur, quærendum est ac vindicandum. Ex tempore, eodem die, iisdémque litigatoribus.

Subditos in dominum, vt Regiæ tutelæ commendentur, nõ rectè postulare.

III.

SI famosus, vniuersitatis nomine, libellus in dominum editus est, & ipse iniuriarum acturus, quod gestum est, petat ab vniuersitate

De famoso libello vel agnoscendo,

vel abnegando, non vniuersos, sed singulos esse rogandos.

probari vel improbari: non sufficit, maiorem generatim partem, sed singulos speciatim de ea re dicere oportet. Autores enim & conspiratos tantùm plectendos esse constat, non vniuersitatem: & ita placuit. Ex tempore, iisdem & litigatoribus & die.

IIII.

Municipio pecuniæ dánato, eáque æedituis, Regii vectigalis diuisorib. & collectorib. imperata, si diuisores non paruerint, nihil esse collectorib. quod imputetur.

SI in vicanos pecuniæ damnatos lege agatur, nec quicquam sit in corporibus nominibúsque publicis, vnde ea redigi possit: æedituis, necnon Regii vectigalis diuisoribus, collectoribúsque prouinciam iniungi licere receptum est: vt pecuniam intra certum diem, instar vectigalis, conficiant ac dependant: alioqui eos à se numerare debere, postea ab hominibus suis recepturos. Sed videndum est, æedituis & diuisoribus nihil præstantibus, sítne collectoribus quod imputetur. ET non esse placuit: nec enim diuisionem collectio potest anteuertere. Placitum pronuntiatum XV. Cal. Sept. M. D. XLVIII. Marandeto altero litigatorum, Harlaïo litis enarratore.

De iudiciis, & vbi quis agere vel

CONVENIRI DEBEAT,

TIT. IIII.

I.

Gergouiam scripto iure moderari.

GERGOVIAM, prouinciis, quæ legibus, & ciuili iure Romanorum reguntur ac disceptant, annumerari placuit. Non. Septembr. M. CCCC. XCI.

II.

Si de fori præscriptione reiecta prouocatio est, sitque aliquid cópendiariæ disceptationis, id in prouocata Curia peti posse.

GVLIELMVS Merlinus, Academiæ Lutetianæ tabellarii personam suscipiens, ad Præfectum vrbi, academicorum priuilegiorum vindicem ac Cóseruatorem, Antonio Lucemburgio dixerat diem, manum vt agnosceret suá. Lucemburgio, fori præscriptione summoto, Curiáque hoc nomine ab eo appellata: cœpit Merlinus veluti quodam vindiciarũ iudicio, idipsum à Curia, quod à Præfecto petiturus erat, libello postulare. Lucemburgius forum rursus præscribere: dicere, hoc illæsa prouocatione fieri non posse: quam in præsentia (ne quid, morandi causa, facere videretur) vel orare, vel, de tertii consultoris sententia, decidere offerebat. A' Merlino refe-

rebatur, XCII. capite legis, à Francisco Valesio latæ, anno M.D.XXXIX, iudices omneis, chirographis agnoscendis, iustos ac legitimos esse factos. Actione secūda, dicebat Lucemburgius, id quidem esse verum, si ibi reus esset, vbi in ius vocaretur: alioqui fore, vt aliis alios vexādi fenestra quædam aperiretur, & cuiusuis prouocationis obtentu, earum rerum, quæ ad Curiam non pertinent, ea iudex efficeretur. PLACVIT Lucemburgiū in Curia chirographum agnoscere, vel abnegare teneri. III. Non. Iul. M.D.L. Macrulo recuperatore, & prolusoriæ litis huius enarratore.

III.

Legem de 4. hodemeriis, vel 80. millib. passuum (quas vulgò dietas appellāt) ad priuilegia, aulico ministerio, à Pōtifice max. irrogata non pertinere.

SCHOLASTICIS de priuilegiis, iudicibúsq; ad eorum tutelam à summo Pontifice constitutis, lege lata cōprehensum est, ne quem longius, quàm dierum quatuor itinere, liceat euocare. Vnde in controuersiam adductū est, an id quoque ad iudicem, priuilegiis ab ipso etiam summo Pontifice, aulico ministerio irrogatis, ad diuæ Genouefes Lutetiæ datum porrigeretur. ET nequaquam porrigi placuit. Principis enim vel beneficiū esse, vel priuilegiū. Si beneficium: nos illud quàm plenissimè interpretari debere. Si verò priuilegiū, cui huiusmodi cancellos ille nō præscripserit: nec nos præscribere oportere. Placitū extemporale, partim prouocatoris detrectatione, & quasi deditione, partim etiā trāslatitia ratione cōflatū, cū id à Frācisco Odone, & Simone Nāquiero disceptatū esset. IX. Cal. Mart. M.D.XLI.

IIII.

Iudicem rectè refutari, cui cum alio lis sit eiusdē argumenti.

EOS iudices, quos res iudicanda, τὸ κρινόμενον, vel sola speciei similitudine contingit: de ea re, sententiam dicere non debere. Esset enim sibiipsi quodammodo ius dicere. Et difficile est, nobis aliquid cupientibus, nos aliqua in parte non obsequi: nos, iam aliquam in partem inclinantibus nobis, nihil persuadere: & iura, potissimùm euariantia, ad id, quod maximè velimus, non contorquere. VII. Id. Ian. M.CCCC.XXVIII.

V.

Curiæ cōscriptum nō rectè refutari, quòd pater eius, è iudicū numero fuerit, à quibus sit prouocatū.

PRIMA facie vix est, vt qui à patre iudice prouocauerit, filium, prouocatoriæ litis iudicem ferat. Quid ergo prouocator Conscripti reiectione summotus est, cuius pater, vnus erat è Basilicanis Recuperatoribus, vnde prouocatum esset? Et sanè, quantum coniectura

aſſequi poſſumus, id cauſæ fuit, quòd Recuperatorii collegii ſententia eſſet, non illius refutati Conſcripti patris, qui vnici tantùm puncti numerum obtineret, & fortaſſis non ita cenſuiſſet.

VI.

In Antiſtitis cauſa rectè refutari eum, cui Antiſtes, etiam Rege nominante, beneficiū cōtulerit.

CONSCRIPTUM ſibi à Principe proditū, aliúmve, quem Conſcriptus deſignarat, Antiſtes reſcripto ſummi Pōtificis obſequutus, eccleſiaſtico beneficio affecerat. Poſtea Conſcriptus, ab Antiſtitis aduerſario, ſuſpectus iudex eo nomine poſtulatus eſt. Quod cùm ob huiuſmodi collationum frequentiā, multis vſuuenire poſſe crederetur, & res nō parum ad exemplum pertineret: tertiæ inquiſitionum claſſi viſum eſt, aliarū oracula ſciſcitatū iri. ET tandem ex earum omnium ſentētia placuit, Cōſcriptum, cui tale aliquid contingeret, à ſui benefici lite iudicanda, ſi tamen ipſe refutaretur, temperare debere. VI. Cal. Sept. M.D.XLIII.

VII.

Litigatores, re integra, litis inſtrumēto addere poſſe, ſine vlla denuntiatione.

VBI cauſam cōſilii eſſe pronuntiatum eſt, eámq; ob rem litis inſtrumentum proferri iuſſum, præciſa inſtrumento contradicendi facultate: PLACVIT vtrunque litigatorem, re integra, ipſi inſtrumento, ſine vlla denuntiatione, quod libuerit, addere poſſe. VII. Id. Aug. M.D.IIII.

VIII.

Iudicibus ad calculos properātib. nouas copias proferentem nō eſſe ferendum.

DE iis, qui poſt litis inſtrumēta, inſpectoribus enarrātibus & cuſtodibus adhibitis, ad pluteū de more perluſtrata, nouas copias proferebāt, atq; ita magno diuerſarū partiū malo, ac fortaſſe etiā ſuo, lites ſuis fatis eripiebāt: PLACVIT, hoc amplius nō eſſe ferendū. VIII. Cal. Mart. M.CCCC.XCV. quod lege quoque poſtea ſacratū eſt, & aliquo tēpore valuit. Sed, vt mali mores exploſi facilè ſolent recurrere, iamdudum res eôdem reuoluta eſt. Initiū reuolutionis fuiſſe dicitur Antonius Pratēſis, Curiæ, tū tēporis, Curio ſummus, poſtea Nomophylaciæ præfectus, & ad ſummū propè Pontificatum euectus, veri & æqui vſqueadeò ſtudioſus, vt diceret, ſi quicquā inter iudicandū, quacunque, vel de nubibus, in pluteū delaberetur, id nunquam ſe præteriturum. Quod certè ſummam æquitatis ſpeciem habere videtur, ſed non nihil etiam iniquitatis admixtū. Eſt enim, inter cætera, non minimum litium extrahendarum argumentum.

IX.

POSTEAQVAM ad instructæ litis coronidem peruentũ est, diplomatico iustitio, quod belli peregrini, vel legationis causa dari solet, non esse locum. XVI. Calend. Apr. Anno M. CCCC. LVI. post Martinalia.

Iustitio diplomatico litem instructã nõ affici.

X.

VNIVERSAM intentionem Annæ Menipeniæ Iohãnes Stuartius, vna hæredis asserti pernegatione depulit: & postea, militiæ causa, peregrè profectus, trimestre iustitiũ ex Regio diplomate postulauit. Dicebat Menipenia, nihil desyderari præter iudicũ officium, ad litem inficialiter constituendam. Quancunque iustitii causam, siue militiæ, siue feriarum prætexere libuerit: nos saltem ad hoc cogi æquũ esse, vt lis cõtestetur, & inquirendi potestas fiat, ne quis probationũ suarũ periculũ adire cogatur. Posse quidẽ testimoniorum anticipatione mederi: sed nõ sine dispẽdio, periculíque suspicione. Absentiam Reipub. causa, vt absenti, ita nec alii damnosam esse debere. Aduersario domũ reuerso per se licitũ fore, si quid allegationũ omissum esset, supplere. STVARTIO diplomate ac postulatione summoto, litem inficialiter constitui placuit, inquirẽdíque fieri potestatẽ: ea tamen, quam Menipenia tulerat, cõditione. Ad exhedram publico Principis patrimonio adscriptam, XIX. Cal. Febr. M. D. LII.

Iustitium diplomaticum, non facere, quin lis contestetur, & inquirendi potestas fiat.

XI.

EPISCOPVM, nonnullósque alios Cameracẽses, reos Curiæ delatos, domum, quòd alienigenas se dicerent, reuocantes, iudicium suscipere debere. Nostræ enim esse ditionis ac imperii. Prid. Cal. Maii. Anno à Martinalibus M. CCCC. XX.

Cameracẽses in Curia iudicium accipere dãnati.

XII.

DEBITOR abductus, aram cessionis arripiens, eo nomine creditori dixerat diẽ. Creditore, fori præscriptione summoto, & per prouocationem iudicis imperiũ detrectante: debitor ad bonorũ cessionem admissus, ea facta dimissus est, & postea nõ soluendo interiit. Concertabatur an iure prouocatus esset iudex, quòd litẽ quodámodo suam fecisse, & CLXII, ac III. capite legis à Frãcisco Valesio, an. M. D. XXXIX. de iudiciis, latæ, teneri diceretur. Sic enim ait,
" Iudices, qui semel in quæstionibus exercendis insigniter errauerint,

Iudici, qui prouocationi, cùm deberet, non cessisset, debitore interea nõ soluẽdo mortuo, quid acciderit.

» ære graui mulctanto.
» Iis qui iterum, in annum: qui tertiùm, magistratum in perpetuum
» abroganto, eósque omni Regio munere indignos pronuntianto.
» Litigatoribus nihilominus, quanti sua intersit, rependere cogunto.

PLACVIT iudicem rectè atque ordine prouocatum esse, & (vt breuiter dicam) verā vniuersæ litis æstimationem præstare. Ex tempore, Pridie Calend. Febr. M. D. L.

XIII.

Prouocatum iudicē nihil prouocatori, quem adhuc habebat in custodia, caussæ deditionē expressisset, vetitúmque id amplius ne fieret.

PROVOCATVS effecerat iudex, vt prouocator, quē ille in carcere habebat, procuratorē daret, qui in iure agnosceret, eum à se temerè prouocatum esse, certáque pecunia litem æstimari pateretur. PROVOCATOREM, iis cōditionibus è carcere dimissum, & postea in integrum restitui postulantem exaudiri placuit: iudicibúsque omnibus interminari, nequid à se tale in posterum designaretur. Ex tempore, ad exhedram rerum capitalium, Prid. Cal. Feb. M. D. L.

XIIII.

Cōdicti dies, ab arestis Sextilib. in reliquā Curiæ sessionē, iustitiúmque incidentes, ad octauū à Martinalib. diem reiecti.

BENE à maioribus constitutū est, vt præfecturis ius à Curia resortitione petentibus, sui cuique stati iustíque dies, causis orandis ac (si fieri posset) ex tēpore iudicādis, assignarētur. Horum postremi arestis Sextilibus (hoc est medio Augusto) finiuntur. Reliquum sessionis vsque ad VII. Id. Septembr. (quo die iustitiū indicitur) consiliis, & sarcinis, ad Curiæ iudicia, aliáue eius, ex attributione, mādata peregrè exequēda, cōponendis, cōceditur. Hoc tēpore, vt nihil amplius causarū expassis Curiæ valuis oratur: ita nec vlla litigatorū nomina eduntur, nec ab editionū actuario accipiuntur. Itaque condicti dies, qui in reliquam illam sessionē, iustitiúm ve incidissent, ad suos cuiusque præfecturæ dies proferebantur: ordine exquisitissimo quidē illo, sed litigatoribus in longū fortasse diē reiectis, ac moræ impatientibus, & aliquid extra legitimos dies cōpendii sperātibus, certè molestissimo. QVIBVS, ad Regii Cognitoris postulationē, P. C. ita succurrendū censuerūt. Tantisper dum Princeps ea de re constituisset, placere, dictos dies, qui in ea tempora caderent, in octauum à Martinalibus diem diffundi: hacce Curiæ autoritate per omnes ditionis eius præfecturas promulganda, nec ante Martinalia, quæ proxima forent, valitura. XIIII. Calend. Decembr. M. D. XLIX.

XV.

IN ferendis de lite calculis (inquit Ludouicus XII.) si treis sententias esse contigerit, numero minor ad maiorum alteram debet accedere. Quæ lex, tametsi consultissimè ab optimo Principe rogata, & ab Ampliss. Ordine comprobata, in acta publica, legúmque numerum relata fuisset: tamen non ita multò pòst, summam in controuersiam est adducta. Dicebant autores controuersiæ (quantum coniectura consequi possumus: nam rei eius, literis mãdatum, præter merum decretum (quod sciam) nihil vsquam est inuenire) id quod longè antea multi ac summi viri sæpenumero dixissent, scriptúmque reliquissent: sẽtẽtias nõ esse numerãdas, sed ponderãdas. Earũ quippe veritatẽ non à cẽsentium numero, sed à mera ratione proficisci, eáque ad perpẽdiculum recta: qua, quis omnes æquè præditos esse putet? Itaque legem, nõ de graui ac momẽtosa, sed de leui quadã ac propè nihili sentẽtia esse intelligendã. Quod si non vsquequaque placeret, saltem satis esse debere, si primo certamine, numero minor, à singulis maioribus se vinci pateretur: illæ, secũdo certamine, se compararent: hæc, eas in angustias non redigeretur, vt illarum alteri se iungeret, quarũ neutram approbasset. E diuerso, legem defendentes, ipsi legi, quæ nec contrario imperio sublata fuisset, nec tacito consensu in desuetudinem abiisset, vt erat, citra cõtrouersiam esse parendũ. Qui aliqua doctrinæ suæ fiducia, ad iudicandi munus accessissent, eóque à Principe donati, moribus maiorũ in Amplis. Ordinem admissi fuissent, esse omnes eadem censendi potestate: omneis omniũ sententias æquilibres haberi, parísque momenti oportere: alioqui fore, vt in dies, hominibus de se ferè semper aliquid sentiẽtibus, esset de cuiusq; facultate digladiandũ, & qui germana iurisprudẽtia minus posset, is fortasse verbis acrius & voce vehemẽtius contẽderet. Cæterùm rectè à maioribus dictitatũ, salutẽ ibi quærendam vbi multa consilia, & cũ pluribus semper esse sentiendũ. Nec quenquã grauatè laturũ, à minori in alterã maiorum, quæ illi magis placuisset, transire sententiam, nisi suæ plus æquo sententiæ hominem, & omnino pertinacem opinionis. Quinetiam ad summæ Curiæ decretorum autoritatem parum non facere, quòd ex quam plurimorum sententiis, siue primariis, siue secundariis & acceden-

Trium in iudicando sententiarũ minorem, in alteram maiorum pedibus ire debere.

tibus conficerentur. PLACVIT tertiam ſententiam, quantumlibet ſolidam atque expreſſam, quòd minor eſſet, atque adeò alias ſuperare nequiret, eligere teneri, ab vtra vinci mallet, & in eam, ex legis præſcripto, facere diſceſſionem. Conſultum duarum Claſſium inquiſitoriarum, factum x. Calend. Mart. M. D. XXVII.

XVI.

Cõſcripti ſententiæ rationẽ non haberi, niſi tum adſit, cùm abſoluendum eſt iudicium.

PARVM eſt Curiæ conſcriptum, aliúmue ex pluribus vnà iudicantibus, ſententiam dicere, niſi etiam alios cenſere audiat: & tum interſit, cùm ex frequentioribus ſententiis (nec enim expenduntur, ſed numerantur) conflandum eſt iudicium. Nam eouſque poteſt aliorum rationibus permoueri, & in ſententiam fortaſſe meliorem deſcendere. ITAQVE factum eſt Curiæ conſultũ, eius ſententiæ rationem haberi non licere, qui tum non adeſſet, cùm eſſent dirimendæ ſententiæ, & quid tandem pronuntiari placeret, conſtituendum, quacunque ex cauſa eum abeſſe contingeret. XVII. Cal. Ian. M. D. VIII.

XVII.

Si cùm alternantis alea iudicii decernẽda eſt, plures, quàm antea, ſint in claſſe conſcripti, id nõ facere, quin alia claſſis adeunda ſit.

IN contrarias ſententias lite delapſa, aliquo pòſt tempore tractatum eſt, vtrum ad aliam, de more, claſſem, anceps alea denuò eſſet deferenda: an verò eadem in claſſe, de integro eundum in conſiliũ, quòd claſſis eius conſcripti, tum plures eſſent, quàm cùm lis cognita fuiſſet. ET placuit auctam Conſcriptorum numero claſſem non facere, quin alia in claſſe, anceps alea moribus decerneretur, hoc eſt, contrariæ duæ ſẽtẽtiæ ad vnam aliquam reducerentur. Non. Ian. M. D. V.

XVIII.

Nouas copias nõ admittendas, poſteaquam controuerſia, in duas, æquo numero, ſententias inciderit: ſed ne cùm litis argumentum in pluteum ſit inductũ.

PER ſententiarum æquilibritatem & controuerſiam Colophone dirimendam, quidam exiſtimauerunt, nouas litigatoribus copias proferre licere, perinde atque ante litis argumentum ad pluteum expoſitum. SED habitis ea de re maioribus comitiis, vniuerſæ Curiæ placuit, non licere, neque ex quo res infecta ad Colophonem rediret, neque poſteaquam controuerſiæ ſpecies in pluteum inducta foret: nec à lege, de nouis huiuſmodi copiis lata, ne latum quidem vnguem, vnquam eſſe recedendum. XIII. Cal. Maii, à Liberalibus, M. D. XXXII.

XIX.

SCRIPTIS in litibus iudicandis, multa constituenda sunt, antequam ad summæ controuersiæ fatum perueniatur. Liticulæ (puta) si quæ principi sunt agnatæ liti, testium eleuationes, autoritatum refutationes ac confirmationes, & si qua sunt alia. Ex quibus omnibus, aliis omnino diremptis, aliis calculorum adæquatione ad catastrophen colophoniam perductis: controuersum est, an, vt vniuersæ litis instrumentum rursus enarrari solet, ita & omnia essent recoquenda: an verò id solùm, de quo inter iudices vel eorum plurimos non conuenisset. ET ambabus inquisitionum Classibus placuit, actum agere non oportere: neque quicquam in disceptationem esse reuocandum, nisi de quo adhuc ambigeretur. Prid. Non. Ian. M. D. VIII.

In sententiarum æquilibritate dirimenda, nihil disceptandũ, nisi de quo inter priores iudices non conuenerit.

De curatore in litem, Tit. V.

I.

FRANCISCVS Piscis, Claudiæ Quetieriæ tutor, in prouocationis litem, Lucium me procuratorem dederat: & post aliquem processum, denuntiari mandauerat Renato Guillopæo prouocatori, Quetieriæ pubertate factum esse, vt finita tutela, iure Turonum moribus constituto, illi curatore esset opus: ab eo scilicet, ex inquisitione, dando, qui dandi ius haberet. Contigit, vt antè, tutor diem suum obiret, quàm postremum hoc illius mãdatum exequeremur. Petebat Guillopæus, me Quetieriæ curatorem in litem dari. Ego recusare, dicere, morte mandantis solui mandatum. Ille instare, obtrudere, procuratorem à tutore datum, perinde accipiendum, atque si pupilla dedisset. Ego verò inculcare, etiam cum mandante tutore, mandatum extingui. Si enim seruo pupilli tutor hæreditatem adire iusserit, & post scriptam epistolam tutor moriatur, antequam ex epistola seruus adierit: neminem dicturum esse, obligari postea pupillum hæreditati. Cæterùm, adolescenti vtcunque inuito curatorem quidem in litem posse dari: sed non nisi præsenti ac postulanti, aut, si postulare nolit, à Prætore id facere coacto. RE non minus à Patribus disceptata, quàm à nobis discrepantibus concertata (nec enim semel aut iterum, verumetiam tertiùm ac quartùm) ca-

Procuratorẽ à tutore datum, finita, cùm tutoris morte, tum minoris pubertate, tutela, curatorẽ in litem non rectè dari: sed iustũ curatorem legib. ac morib. esse dandum.

pita (vt ſolent) contulerũt: Placuit tandem curatorẽ, per prouinciæ iuridicum, moribus dari oportere. VI. Calend. Decemb. M. D. LI.

De exceptionibus & præſcriptionibus et praeiudiciis, Tit. VI.

I.

Rei oculis ſubiectæ fines, eum non rectè deſiderare, qui eos conturbarit.

ACTOR in rem præſentem reum iuſſus perducere, cùm eò loci deuentum eſſet, teſtatus eſt ſe non aliter rem oculis poſſe ſubiicere, quàm ambitu murorũ: quibus agrum, quo de ageretur, ſimul & vicinos à reo comprehenſos, ſic ipſe conturbauerat, vt nullam finium agnoſcendorũ facultatẽ reliquã feciſſet. His ad iudicẽ reuerſis, concertatum eſt, ſatíſne oculis res ſubiecta fuiſſet. ET cùm Baſilicani Recuperatores ſatis fuiſſe pronuntiaſſent, & Curia eſſet appellata: placuit rectè iudicatum eſſe. Placitum pronuntiatũ areſtis Euãgeliophoriis, IX. Cal. Apr. M. D. XXVI. ante Liberalia, Iohãne Clerico prouocatore, Stephano Mommiralio, Curiæ Cõſcripto, prouocato.

II.

Filia aduerſus matrẽ in integrũ reſtituta, filios, viua matre, aduerſus reſtitutionem dicere non cogendos.

ADVERSVS matrem filia in integrũ iudicio reſtituta, ne matre de medio ſublata, colluſionis à fratribus inſimularetur, & forſan actum agere oporteret: fratres in ius vocauit, vt ſi quid aliquãdo ſua intereſſe putarent, in præſentia cognoſceretur. Petitioni ita præſcriptum eſt, Si matris de rebus, ea viua, diſceptare liceat, & citra eius offenſionem fieri poſſit. CAVSA, per prouocationẽ, ſummam in Curiam inducta, atque ad maius tribunal, foribus occluſis, concertata: ſecundum præſcriptionem pronuntiatum eſt. VI. Cal. Sept. M. D. XLV. Litigatores Nicolaus Eques, Curiæ Cõſcriptus, Maria Bartholomæa vxor, I. & N. Bartholomæi fratres.

III.

Sentẽtiã Gallis, quantũlibet nullam, tamẽdici ſententiam. A iuſti iudicis ſententia, arbitri ſentẽtiã cõfirmante, prouocantem nõ eſſe ferendũ, niſi pœnã deponat.

LEGIS à Rege Lodoico XII. latæ, anno M. D. capite XXXIIII. cauetur, ſi dicta ab arbitro, vel amico diſceptatore ſententia, quis ſe læſum exiſtimauerit: poſſe eum iuſtum iudicẽ appellare. Qui ſi ſententiam comprobauerit, denuo prouocantẽ non eſſe ferẽdum: niſi id quod cõpromiſſo, nomine pœnæ, adiectum eſt, in iure deponat. Quod cùm eius farinæ cuipiã prouocatori obiiceretur, reſpõdit, ſententiam nullam, non eſſe ſententiã: ideóque nec legis capiti fore lo-

cum. ET placuit, ni deponeret, non esse ferēdum. Vulgare est enim, nostris Gallorū moribus, sentētiam, quanquam neque rectè, neque ordine latam, aut, si mauis, prorsus nullam, nō nisi appellationis remedio, induci: & interim pro ea præsumendū esse. Ex tēpore * M. D. XLVIII. Seguerio causam prouocatoris orante.

De litigiosis, Tit. VII.

I

COEPTO familiæ erciscundæ iudicio, Marcus Balmeus, eiúsque vxor, Anna Castrouillana, petitores, rem, qua de agebatur, in defensorum alteros, puta, Carolum Lucemburgium & Carolotam Totauillanam, eius vxorem, transactione, certum accepturi transtulerāt. Quibus ita translatum erat, diplomate impetrato, aduersus Gabrielem Allegreum & Mariam Totauillanam, eius vxorē, litis olim consortes, petebant, translatorū in locū vt sufficerentur. Aduersabantur Allegreus, vxórque: dicebant, diplomatarios Protheo nihil minus mutabileis, litis redemptores, modò socios, nūc aduersarios, nō esse ferendos: aut saltem trāsactionis vtilitatem, si qua erat, sibi communicandam, id rependendo, quod rependi par esset. Inter cætera, proferebant in argumentū, Scæuolæ responsum, quatuor de filiis, æquis partibus hæredibus institutis, fundo singulis per præceptionem legato. Qui, cùm vniuersa bona patris obligata essent, mutua accepta pecunia, hæreditario creditori soluerant, & posteriori obligauerant: qui, cùm ei debitum non solueretur, prædia vniuersa, lege pignoris, vni ex hæredibus vendiderat. Fratribus & cohæredibus, si debitū ab eis emptori, eidémque cohæredi persolueretur, fideicōmissum esse restituendum. Adducebant etiam Anastasii constitutionem, cessas actiones eatenus exerceri permittentem, quatenus solutum esset, habita etiam vsurarum ratione. HI calculum, Basilicanorum Recuperatorum sententia nigrum: appellatæ verò Curiæ iudicio, candidum tulere. Transactionis enim vtilitatem, communem fieri placuit. XIX. Cal. Sept. M. D. XXVI.

Transactionis, ab altero sociorū initæ, vtilitatē, alteri, si velit, communicandam.

De testibus, Tit. VIII.

I

RECTÈ quidem constitutū est, testes sine optione nō interrogari.

Ab Inquisitore, sine optione testē, sacramēto adigi posse.

Sed, amabo, de iis ſacramento adigendis, idémne iuris eſſe dicemus? ET primæ inquiſitionum claſſi, cæteris claſſibus conſultis, placuit prorſus eſſe diuerſum: nec ex eo inquiſitionem non admitti, quòd abſente optione ſolus inquiſitor adegerit. Quod alicui fortaſſe mirum videbitur, cùm inquirẽdi prouincia non niſi cũ optione mandari ſolet: & eſt iuſiurandum, pars teſtimonii potiſſima. Sed hæc optionis ac veluti cuiuſdam obſeruatoris aſſumendi ratio, ipſis mandatorum verbis, ſi quis ea diligentius inſpexerit, ad teſtium interrogationes & reſponſiones, non etiam ad reliquum inquirẽdi negotium pertinet: imò verò & vſus hoc apertè declarat. Nam vbique gentium, inquiſitore dato, ſolus hic diem apud ſe dici iubet: ſolus abſentes pronuntiat: ſolus, denuntiatis teſtimoniis condictũ inſtaurat diem: ſolus, ſi quid inciderit cõtrouerſiæ, vel decernit, vel ad eos reiicit, qui mãdarunt: ſolus, quæ facta ſunt renũtiat. In ſumma, non niſi rogãdis optio teſtibus adhibetur, & inquiſitioni ſubſcribit. III. Non. Iun. M. D. XXXV. Iohanne Chartanio & Petro Monſoïo, ea de re contendentibus.

II.

Generalẽ teſtiũ omniũ reprehenſionẽ admitti.

PRODVCTOS in ſe teſteis generatim omneis, Mæuius nebulones, ſtigmaticos, errones, famoſos atq; inteſtabileis factos eſſe dixit. Quæſo, huiuſmodi teſtiũ reprehẽſio, quòd vaſta eſſet ac indeterminata, reiici an admitti debuit? PRID. Cal. Sept. M. D. IX. cùm ab inquiſitoriis Curiæ claſſibus ad ipſius Curiæ Curiam, veluti Colophonem, deuentum eſſet: generalem teſtium omnium reprehẽſionem admitti placuit. Tantum quippe in omnibus generale valere, quantum ſingulare in ſingulis. Et omnes infamia notatos, vel alia quauis ratione refutabiles, quid prohibet vno eodémque luto commaculare? Prid. Cal. Septembr. M. D. IX.

III.

Teſtẽ, quòd criminis cõpert⁹ ſit, non rectè reprehendi, niſi etiam iudicatũ dicas, vel depectum.

COARGVERE teſtem, quòd criminis (puta periurii, aliúſue) cõpertus ſit, ex quo infamia irrogari poſſit: omnibus Curiæ claſſibus placuit non ſufficere, niſi etiã iudicatum dicas, vel depectũ. Quanquam enim inter compertum & iudicatum, nihil aut parum intereſſe videtur: intereſt tamen. Quid enim ſi teſtibus oppreſſus, fortaſſe perditiſſimis, data reſpirandi facultate, aut veritate aliquà tandẽ erũ-

pente, ſubleuetur, & conſiſtat: aut Principis indulgentia perfuſus, noxæ eximatur, & (vt in huiuſmodi veniarũ diplomatis eſſe ſolet) famæ, laribus, focis, rebúſq; reſtituatur? Prid. Id. Aug. M. D. XXXVIII.

IIII.

QVOD lis eſſet duntaxat vindiciarũ, eámque ob rem certus teſtium numerus, iuſto ac legitimo minor, præfinitus: pro vniuerſæ Curiæ ſentẽtia placuit, refutationũ, quas litigatores in teſtes edidiſſent, non haberi rationem. Alia enim ſupereſſe duo iudicia: vnũ, iuſtæ poſſeſſionis: alterum, reiuindicationis: quorum propriæ, non agnatæ vindiciarum, liticulæ potius quàm litis, ſunt teſtium refutationes. Menſe Iunio & Iulio, M. CCCC. XCVII. *Teſtium refutationib. non eſſe locum, vbi teſtium numerus, iuſto ac legitimo minor ſit definitus.*

V.

AD IIII. Id. Decembr. M. CCCC. XXVII. decretũ eſt, de teſtiũ fide in poſterum nõ antè quærendum eſſe, quàm eorum obtrectationes percenſæ forent ac conſtitutæ. Nũc autem nec ipſis quidem obtrectationibus, niſi poſt eiuſmodi percenſionem, reſcribi ſolet. Quod, ad lites, quæ in Curia aliíſue tribunalibus, in quibus teſtificata, moribus maiorum non proferebantur, pertinere intelligendum eſt. Cuius decreti ratio quanquam ex verbis ipſis colligi poteſt, tamen, quam habemus, in eorum gratiam, qui foro non aſſueuerunt, exiſtimauimus eſſe ſubiiciendam. Si (puta) teſtis ὀυδὲν πρὸς λόγου (quod dicitur) frigidúmve quippiam pro teſtimonio dixerit (quod non niſi iudicando commodè diſcerni poteſt) quid attinet obtrectationibus infamatum ac eleuatum, reſcribendo cõmendare, & aliorũ teſtiũ orationibus, permagno quãdoque ſumptu confirmare? *De teſtiũ fide nõ antè quærendũ, quàm eorum obtrectationes percẽſæ ſint ac cõſtitutæ.*

VI.

PATRONO, qui prædio cliẽtelari manũ iniecerat, & Clientis hæredibus, de fructibus caducariis diſceptãtibus ambigebatur, quo tẽpore, Cliens fatis conceſſiſſet. Poſuerat patronus, eum certa in acie cecidiſſe, & Commilitonum aliquot teſtimoniis (vt exiſtimabatur) probauerat. Dicebant hæredes, teſtium refutandorum cauſa, de iis ſe terra maríque inquiſiuiſſe: neq; de laribus, neque de focis, neque de cuiuſquam cenſu quicquam vſquam fuiſſe inuentum. Ne igitur teſtium fidei, forſan de medio ſumptorum & maximè inſectandorum, nihil obtrectaretur: petierãt, vt qui eos produxerat, ſiſteret, aut *Teſtem à me productũ, eius refutandi gratia, me neque ſiſtere, neque indicare teneri.*

indicaret:quod & ipsi impetrauerant. SED appellatæ Curiæ placuit patronum hoc onere non fuisse grauandum. Ex tempore, Seguerio Hastei causam orante. VI. Cal. Iul. M. D. L.

De fide instrumentorum, Tit. IX.

I.

Recipiendi mandatum, chirographo mãdãtis annulóque præditũ, tã valere, quàm publicè perscriptum.

AERIS sui recipiendi, & accepti referendi mandatum, cui Villaquierius subscripsisset, & illud suo annulo consignasset: placuit non secus valere, quàm si publicè perscriptum esset ac consignatũ. V. Id. Iul. M. CCCC. XCIIII. Quod certè quis admirari possit. Enimuero quod priuatus vel scribit, vel subnotat ac consignat, priuatum est, atque adeò fortassis omnino incognitum: & priuatas tabulas publicis facilius atque audacius adulterari posse constat. Quod si contigerit, & denuo soluere oporteat: quid proderit, ad eum, qui falsum mandatum protulerit, quíue cõfinxerit, & forsitan interea lapsus sit facultatibus, reuerti?

II.

Mãdatum in cõtractu trãscriptũ, fidem facere.

SI quis alterius nomine contraxerit, & mandatum instrumento sit insertum: tametsi non ipsum mandatum, sed mandati sit exemplum, eius tamen placuit locupletem esse probationem. Caroletus, Curiæ Conscriptus, admonuit.

De appellationibus, Tit. X.

I.

Appellationis renũtiationem, olim sine mulcta non admissam.

APPELLANDI vsus, quem olim ad iudicantium iniquitatem, imperitiámue corrigendã, necessitas introduxerat, cùm ab improbis litigatoribus iam περὶ τὴν φυγοδικίαν traheretur: decretũ est, vt prouocationem renuntiare prouocato, etiam intra octauum diem, impunè non liceret: sed eiusmodi detrectatoribus sexaginta assium mulcta irrogaretur. VII. Id. Nouembr. M. CCC. LXIIII, & V. Id. Aug. M. CCC. LXXXVI.

II.

Appellatiõis renũtiatio extra acta facta aduersario denũtianda.

PROVOCATIONIS renuntiationẽ apud pactorũ perscriptores factam, nec prouocato denuntiatam, eremodicio nõ aduersari: nec ideo minus mulctam esse commissam. Prid. Cal. Iun. M. CCC. XC.

III.

INTERPOSITA prouocatio, si intra octauum diem prouocato renuntiata non fuerit, nonaginta diebus aut exercenda est, aut circunscribenda. Quòd si prouocator non exercendam esse ducens, eius circunscribendæ veniam impetrauerit, nec intra id temporis, veniæ comprobandæ, prouocato dixerit diem: placuit eremodicium perinde commissum esse, ac si nihil esset impetratum. XVII. Calend. Febr. M. CCCC. XIX. Nunc autem satis esse factum existimatur, si tempore ac testatò, venia prouocato denuntiata sit.

Ad veniam circũducẽdæ appellationis comprobãdam, olim diem dici oportuisse.

IIII.

DIGNA quidem vox est (vt illi inquiunt) maiestate regnantis, legibus alligatum se Principem profiteri. Sed res ipsa verbísne vnquam defuerit: & iudicibus an semper licuerit esse Cassianis, viderit alius. Extat priscæ illius seueritatis exemplum, nec leue quidem, in Regem, Regiúmue ac publicum actorem editum. Nam & impetrata desertæ prouocationis venia, & ipsa prouocatione exclusus fuit. XII. Calend. Aug. M. CCC. LXVIII.

Regium Procuratorem, impetrata desertæ appellationis venia, ipsáq; appellatione exclusum.

V.

PROVOCATOREM, qui intra nonagesimum diem, dicam iudici, vnde prouocatum erat, etiam sedente Curia, ad proximum eius consessum impactam, prouocato denuntiasset: nihil minus, quàm prouocationem deseruisse, pronuntiatum est, vetitúmque, ne id vnquam eremodicium appellaretur. *

Appellationis desertorẽ non esse, qui eam vtcunq; exercuerit.

VI.

IN lite prouocatoria (vt scriptum est, & in foro iactari solet) non antè allegata allegabo, non probata probabo: sed verò longè dispari ratione. Nam in anteriore causa, statis ac legitimis diebus, & vnico sumptu id facio. At in prouocatoria, nulla interposita mora, faciendum est: & præter id, quod me mihi impendere oportet, aduersario etiam repẽdere habeo, quod ipse impẽderit & rescribens, & (si res ita postulat) contrariũ probare contendens. ITAQVE VI. Id. Mart. M. D. X. ambæ Classes inquisitoriæ decreuerunt, si quis in huiusmodi lite prouocatoria, autoritatibus, è publicis quibuscunque tabulis excerpendis, aliísue describendis ac recognoscendis, curiale diploma postularet: id eũ nõ aliter, quàm litis inoffenso cursu, consequuturũ.

In appellationis causa, Curiale diploma, quod Compulsorium appellant, non cõcedendum, nisi ea lege, vt litem nihil remoretur.

VII.

Appellantẽ, ad causæ deditionẽ non esse admittendũ, posteaquam litis species in pluteũ inducta sit.

PER omneis litiũ mæãdros voluisse ac reuoluisse aduersariũ, & supremis iudicib' ad calculos properãtibus, tũ deniq; herbã porrigere: planè est iuri & legibus, iustitiæque ac iudicibus illudere. ITAQVE placuit, vt posteaquã scriptæ litis species in pluteum inducta foret, nemo vnquam prouocator, ad causæ deditionẽ, cuiuscũque rogatu, aliáve vlla ratione, admitteretur. IIII. Id. Aug. M.D.III. Quod eodẽ mẽse confirmatũ est, & sanctissimè ac religiosissimè obseruari iussũ.

VIII.

Summotũ appellãtẽ, quòd arbitri cõfirmata sentẽtia, pœnã nõ dependisset.

STARI debet (inquit Vlp.) sentẽtiæ arbitri, quam de re dixerit, siue æqua, siue iniqua sit: & sibi imputet, qui cõpromisit. Nam (vt diui Pii rescripto adiicitur) vel minus probabilem sententiam, æquo animo ferre debet. Quod ius, cùm fortasse nostris hominibus durũ esse videretur, Ludouicus XII. Pater patriæ, Anno M.D.XII. lege lata sic ferè temperauit.

„ POSTEAQVAM in arbitrũ vel iudici, vel cõpositori aut trãsacto-
„ ri similem, pœna tamen adiecta, cõpromissum fuerit, & is sentẽ-
„ tiam dixerit: ei qui se læsum existimabit, iustum ac legitimũ, hoc
„ est, ordinarium iudicem adeundi, cúmve appellandi ius esto.
„ QVÒD si iustus ac legitimus iudex rectè arbitratũ fuisse pronũtia-
„ uerit, & iterũ prouocatum erit: non antè prouocatio admittitor,
„ quàm pœna sit persoluta: recipienda tamen, si postea perperã ar-
„ bitratum ac iudicatum esse pronuntietur.

Cùm autem Iohãnes Castaneus Bergerius, semel ab arbitro, & à iusto ac legitimo iudice, iterum prouocasset, scriptáque de lite, solenni clausula, essent iudices in consilium missi: disceptatum est, an ex prolato dispectóque litis instrumento (quod benignum æquúmque ac bonum esse videretur) iudicãdum esset: an verò ex legis præscripto, cùm ea de iure neque summo, neque asperiore tam multũ remisisset. DE quibus primùm quidẽ calculi adæquarunt: sed ancipiti alea denuo ad aliã delata Classem, placuit tandem sic tardam legis indulgẽtis seueritatẽ exerceri, vt prouocator, quòd pœnã cõpromissam nõ depẽdisset, prouocatione summoueretur, & pœnæ ac mulctæ dãnaretur sexagenariæ. XII. Cal. Decẽ. M.D. XXXII. Fumæo & Ruzæo alternãtis aleæ decretorib.

IX.

DE prouocatione obnoxiè iudicantes præcidere habent, rectène atque ordine, an ſecus ſit iudicatũ: nõ prouocationẽ, ídq; vnde prouocatũ eſt inducere: quod Curiæ eſt ſummæ atque vltimùm iudicantis. CVM autem addubitaretur, ídne inquiſitoriæ Claſſi liceret, etiam licere placuit. VIII. Cal. Feb. M. CCCC. XXII.

Claſſibus inquiſitoriis, perinde atque Tribunalitiæ licere, appellationem, ídque vnde appellatum eſt, inducere.

X.

NONNVNQVAM (inquit Vlpianus) bene latæ ſententiæ in peius reformantur: neque enim vtique melius pronuntiat, qui nouiſſimus ſententiam laturus eſt. ITAQVE placuit, eum, ſecundum quem iudicatum eſſet, prouocatione ſuperatum, prouocatoriæ litis impendiis non eſſe mulctãdum. Quod tamen cùm à Meldẽſis prouinciæ Præfecto factum eſſet, vetitum eſt ei, ne poſtea quid tale auderet. VIII. Cal. Feb. M. CCCC. XXII.

Appellatoriæ litis impẽdiis, veteres eũ mulctare nõ ſolitos, ſecundũ quem fuiſſet lata ſententia.

XI.

CVM à Decurionibus Inſulanis, perperã iudicatũ fuiſſe, pronũtiatũ eſſet: diſceptatũ eſt, íne in fraudẽ ſexagenariã incidiſſent, quòd de ea re nihil eſſet expreſſum. ET eam mulctã areſto placuit eſſe cõprehẽſam. Vbi enim moribus, nõ legibus, viueretur: ita cõparatũ eſſe, vt cùm iudex, alius à Regio, quid iniquè decreuiſſe pronũtiaretur: etiã ſi nihil aliud additũ eſſet, tamen eiuſmodi iudex, cuiúſve nomine is iudicaſſet, mulctatus intelligeretur. III. Cal. Maii, M. CCCC. LVIII.

Perperã iudicati mulctam, vbi ſolet, intelligi, etiã ſi expreſſè non irrogetur.

XII.

EREMODICIIS, non niſi duobus, prouocatum, prouocationis cauſa cadere poſſe. V. Id. Iun. M. CCCC. LV.

Ad vincenda eremodiciis cauſam appellationis, nõ niſi duobus eſſe op⁹.

XIII.

PRIDIE Cal. Iulii, M. D. LI. verba facta ſunt in Curia, de prouocationibus extẽporariis vel litigatorũ, vel pragmaticorũ, vel magiſtratuum vitio, alióue (neſcio quo) fato, tãtum in cumulũ adductis, vt aliis in dies ſuboriẽtibus, toto vix decẽnio voluminares cõfici poſſent. De qua re factum eſt Curiæ cõſultum in hanc ferè ſentẽtiam. Prouocationes extemporarias, leues, nec momentoſas, & in quibus ſumma de impendiis erit controuerſia: Cognitores, tertii Cauſidici, inſtar cuiuſdam Palæmonis arbitratu deciduntο.
Deciſa, Curiæ placiti vim atque autoritatem habento.

Quæ appellationes de tertii conſultoris ſentẽtia ſint decidendæ.

Detrectator, tergiuersator, frustrator, si quis erit: noxiæ pœna par esto. Res, me hercule, mira, quòd non modò triũ vel quatuor, etiã primæ notæ consultorũ, quos hic vel ille in consiliũ adhibuerit, sententiæ, vnius, forsan interdũ oscitãtis, arbitrio cedãt: verũ etiã Curiæ ipsius cẽtenariæ autoritas in eũ cõferatur. Sed quid agas? Extremis morbis (vt à medicis vulgò iactari solet) extrema remedia sunt adhibẽda.

XIIII.

Quæ criminosæ appellationes protinus in Curiam iudiciũ sortiantur.

QVOD Franciscus Valesius primus, CLXIII. capite legis à se latæ, mense Aug. M. D. XXXIX. constituerat, vt omnes in vniuersum prouocationes, è criminosis intentionibus emanantes, protinus in Curiam iudicium sortirentur: cùm animaduertisset è re cùm publica tũ priuata esse quàm minimè: alia lege lata XI. Calend. Decemb. M.D.XLII, eáque translatitia, ipse idem priori derogauit: & quod erat vastissimum, certis speciebus enumeratis, contraxit, ac maiorum vestigia sequutus, cõclusit in angustum. Scilicet, si iudicatum esset, de reo quæstionem haberi debere, eúmue in corpus coërceri (puta) morte mulctari, deportari, membro mutilari, fustibus castigari, perpetuò vel ad tẽpus relegari, in opus dari, exemplari traductione infamari. Quod cùm palàm in Curia recitatum fuisset, atque in actis publicis perscribi iuberetur, Actore Regio publicóque audito, hoc quoque interpretando additum est: vt qui à corporis comprehensione, vel morosa custodia, iurísue pernegatione prouocassent, prouocarent: iis, compendium prouocationis facere, atque ἀμέσως à Curia ius petere liceret. Pridie Id. Feb. M.D.XLII.

XV.

In appellationibus criminosis ad iudicium cõparãdis, quid procuratores agere oporteat.

CVM fato nescio quo, quáue temporum inclinatione, criminosæ lites iam in tantum numerũ excreuissent, vt se propemodum aliis æquare velle viderentur, neque iis ad tertias orandis, tempus attributum sufficeret: Triumuiris Regiæ procurationis suadentibus, ac postulantibus, ad VII. Id. Mart. M. D. XLVIII, constitutum est, vt quibus in litibus, à vadimoniis corporísue comprehensionibus decretis prouocatum esset, Cognitores intra * diem, ex quo alter alterum resciret, pacto conuento, apud Actuarium id agerent, vt res, si quidem à meris pẽderet elogiis, in octauum: si verò etiam aliunde, in quindecimum diem, consilio permitteretur.

INTERPOSITA, TIT. XI.

I.

VIATORI lege agenti, Claudius Portunus Collaudus intercessit, quòd huic nomini Lucas Loduneus Fornæsius, creditor Iacobi Chastei, cuius causa in se agebatur, antea manũ iniecisset. Cúmque intercessioni ita non obtemperaretur, vt Collaudi res pignori captæ distraherentur: & Iohannes Fornellus, in quem Chasteus nomen transcripsisse dicebatur, æs inde conflatum corraderet, prouocauit. QVA in prouocatione, cùm Amplissimus Ordo Collaudum superiorẽ esse iudicaret: addidit, vt, si Fornellus, quæ corraserat, restituere cunctaretur, eum ducere liceret. Ita enim præfractè non parere neque intercessioni, neque prouocationi, in re maximè tam aperta, aut dolum malum esse, aut certè culpam dolo malo proximam. Ex tempore, v. Calend. Iul. M. D. LII.

Eum, qui appellatione interposita, præter modũ innouari curasset, ad restitutionem, carcere adigi placuisse.

II.

LEGVM nuper à principe latarũ, de magistratibus & iudicibus, quos Præsidales appellant, ea capita, quibus prouocatio sublata est: an tacito populi cõsensu rata futura sint, aliquot vel mensiũ vel annorũ vsus edocebit. INTEREA tamen, cùm Iuliana Cãpestris, apud huiusmodi Carnutum iudices, à Stephanula Gueretona superata, Curiam appellasset: placuit vetari iudicibus illis, rem à se iudicatam, etsi ex earum legum præscripto iudicassent, ne, posthabita prouocatione, exequerentur. Ex tempore Pridie Id. Aug. M. D. LII.

Iudicibus, quos Præsidales appellãt, vetitum, appellatione interposita, ne quid innouarent.

Appellationis necessitatem non remitti, TIT. XII.

I.

FREQVENS est in auditorio Præfecti vrbi, vt, si quid in tutoribus vel curatoribus dandis, minus solenniter ac perperam factum esse dicatur, ídque promptũ sit atque apertum: libello oblato, & iis euocatis, quorũ interuentu rem agi ac disceptari oportet, ipsa retractetur, & ab eodẽ Præfecto cõstituatur. Quod quidem autoritate carere non potest. Ita enim multi olim & Iurisprudẽtes respondeũt, & Imperatores rescripserunt. Sed nostris (inquies) Gallorũ moribus,

Ea, quæ in iũris speciẽ cõtra ius & fas dicta, vel facta sint, Gallis, nõ nisi appellationis remedio emendari.

ea quæ in iuris speciem, contra ius & fas vel dicta, vel facta sunt, non nisi prouocatione solent emendari: & cùm multoties, tum in specie proposita placuit Conscriptis rerum capitalium, de ea re per occasionem cognoscẽtibus, XI. Calend. Ian. M. D. LI, inter Simonetum, eiúsque vxorem prouocatores, & te Lucium prouocatũ. Scio equidem hoc axiomate nihil in foro peruagatius esse, &, vt placuit (per me licet) ita ius esto. Sed prudentissimè ac consultissimè (si præfata venia dicere audeo) mihi veteres illi & respondisse & rescripsisse videntur. Si enim vel contra manifesti iuris formam sentẽtia data sit, vel eius rei, in qua peccatum esse dicetur, promptam habeas probationem, & (vt aiunt) luce meridiana clariorem: quid attinet, prouocationum frustrà interpositarum ambagibus, negotia protrahi, & litigatores, ipsa lite satis miserabiles, longis itineribus & multiplicatis, atque interdum propè infinitis sumptibus ac molestiis onerari?

Apud eum à quo appelletur, an aLIAM CAVSAM QVIS AGERE compellendus sit, TIT. XIII.

I.

Appellatione, qui & quatenus iurisdictioni eximantur.

EOS, qui à Regiis iudicibus prouocauerint, duntaxat ea in lite: qui verò à priuatis, in vniuersum, eorũ iurisdictioni exemptos esse. XV. Calend. April. M. CCC. XCV.

De re iudicata & effectu iudicioRVM, TIT. XIIII.

I.

Rem à Curia iudicatã, nõ nisi supplici erroris patrocinio recognosci.

REI iudicatæ recognitionem Princeps iusserat. Visum est, per ius & fas, id fieri non posse. Superesse enim supplicem erroris obtentu prouocationem. Prid. Non. Maias, M. CCCC. LVII.

II.

Noua actione, rem iudicatam nõ impediri.

REI contra ius donatæ vindicatione, is cui donatum erat, ab hærede superatus, donatoris hæreditatem tum denique pro parte cernens, familiæ erciscundæ iudicium intendebat, atque ita iudicatum eludere conabatur. PLACVIT non esse ferendum. Eum enim qui rem, qua de iudicatum est, alio iure, quàm quod in iudicium dedu-

ctum fuit, ad se pertinere contendat: non ideo minus iudicatum facere teneri: alio (si viderit) iudicio experturum, nec antè audiēdum, quàm ipse dicto audientem sese præbuerit. XII. Cal. Sept. M. D. XXXVI. Litigatoribus Claudio Castillionio & Iohanne à Rupe, Iacobo Spifama litis enarratore.

III.

OLIVARIUS erga Vezinium, Curiæ Tolosanæ decreto, palinodiæ pecuniæque damnatus, apud Principem conquestus est, se à reiectis iudicibus condemnatum. Querela huc ad Curiam relegata, dum eius de receptione ageretur, concertatum est, iudicatum an sustinendum esset, interea dum querela cognosceretur. PLACUIT, citra palinodiam, iudicatum esse faciendum. Ignominiam enim, quæ alioqui ea iudicati parte inureretur, postea sarciri non posse. V. Id. Decemb. M. D. L.

Sūmæ cuiuscuis Curiæ iudicatū, si nullū esse dicatur, tamē interea faciendum, præterquā si quid sit, quod postea sarciri nequeat.

IIII.

GERVASIUS Pasquinus, capitis accersitus, & Præfecti vrbi sententia, vitam suspendio finire damnatus, quòd cum aliis cædem fecisse diceretur: cùm prouocasset, per amicos à Principe veniam impetrauit. Quam cùm Ampliss. Ordo cōprobaret, Petro Gessæ vxoríque eius, noxæ ac maleficii persecutoribus, octuagies vicenis Parisiorū assibus lis æstimata est. In iudicati causam pignoribus captis, intercessum est à condemnato, dicente, se, lite pendente, fiduciario iudicio, quadragies vicenos asses dependere coactum, quos subductos esse oportebat: reliquam pecuniam se paratum exoluere. E diuerso proponebatur, certæ summæ iudiciū esse latum: è qua, si quid Ampliss. Ordo censuisset esse deducendum, eum non fuisse præteriturum. Referebat intercessor, vno de crimine, se pluries non fuisse damnandum. Quod ex fiduciario iudicio soluerat, nihil aliud esse, quàm partis ex toto, in quod damnandus erat, prærogationem. Parum referre, si iudicio nō sit expressum, quod nos intelligere oporteat. ET placuit, intercessioni morem esse gerendum. Idib. Febr. M. D. L. Ad exhedram rerum capitalium, Abotio litis enarratore.

Ex criminosæ litis æstimatione subducendū, quod interim reus dependerit, etiā si iudicato non sit expressum.

V.

FRIVOLAE prouocationis litem de Ampliss. Ordinis imperio, tertii consultoris sententia decidendo, summa lite constituta, Asso-

Ad repromissoris disceptationē nō procuratorē lite defun-

ctum, ſed eũ ipſum, cuia interſit, eſſe vocandum.

lens Gergouianus pecuniam, qua de agebatur, Acheto Pariſienſi interim dependere damnatus eſt, accepto repromiſſore. Poſtulauit Achetus libello complexus, dari recuperatorẽ, cui repromiſſorem approbaret. Apparitori, datum recuperatorem denuntianti, Lucius reſpondi, cognitoriá operam Aſſolenti me dediſſe quidem: ſed cauſa pacto conuento ex conſulto deciſa, ſuſcepto munere me defunctum eſſe, nihílque præterea poſſe. Perſtitit Achetus, rémque velut eremodiciis perſequutus eſt. Quorum vtilitatem cùm efflagitaret, eorum rationem non haberi: ſed ipſum Aſſolentem, ad repromiſſoris diſceptationem vocari placuit. Id enim quantuncunque leuis ac compendiariæ, nouæ tamen alicuius eſſe cognitionis: vbi & iudèx & is cuia intererat, deſideraretur. Placitum pronuntiatum Pridie Id. Maii, M. D. L I I.

VI.

Militiæ cauſa abſentis vxor reſtituta, & ſi à Curia autoritatẽ accepiſſet.

VXORI aduerſus rem in ſe iudicatam, reſtitutionẽ in integrum poſtuláti, nihil obeſſe placuit, quòd abſente viro, militiæ cauſa, ipſa Curiæ decreto, ea in re, ſui iuris ac poteſtatis facta fuiſſet. X I I I I. Cal. Mart. M. D. L I I. Golaſio & Fontenaio cauſam orantibus.

De vitilitigatoribus, Tit. XV.

Vitilitigatori litibus interdictum.

PALÀM eſt iudices in eum vſum eſſe comparatos, vt de quibus homines inter ſe diſcreparent, illi conſtituerent. σύμφωνον δὲ αὐτοὺς ἀπροσκλίτως ἔχειν: ſed, quo ad eius per magiſtratus dignitatẽ, negotiáque ei honori nihil derogãtia fieri poteſt, litigatoribus faciles ſe præbere: &, vt Imperator Conſtantinus Maximo reſcripſit, ab iis ſubinde ſciſcitari, velíntne quicquam addere. Ita enim fieri, vt & lites per numeros cognoſcantur omneis, & maturius ſanctiúſque dirimantur, & litigatores, quamlibet magnis cladibus acceptis, æquiores pacatioréſque diſcedant: vnde & illud πάταξον καὶ ἄκουσον. Sed ſi quis eſt tam impenſè φιλόδικος, & ingenio vſqueadeò controuerſo, vt νῦν δεῖνα καὶ νῦν δεῖνα impetat, lites è litibus ſerat, aduerſarios agitet, exerceat, diuexet, neque vnquam conquieſcẽdum inſtituerit: nemo eſt, niſi pacatæ vitæ infenſus, eiúſque farinæ prorſus, quin ſentiat eum, non modò à iudicum liminibus eſſe arcendum, verumetiã ab ipſis iudiciis procul abigendum. Cuiuſmodi ferè exemplum ediderunt

in Reginaldum Cessetium, sacerdotem: quem, ad nomen alludens, non quidem cessatorem, sed verò à re ipsa lacessitorem (si liceat) lubentius appellauerim. Illi enim vetitum est, Simonē Rubellionem, etiam sacerdotem, iusta controuersi sacerdotii possessione superiorem, litibus in posterum ne infestaret. VII. Id. Feb. M. CCCCXX.

De fructibus, & in rem, litémque

IMPENSIS, TIT. XVI.

I.

PRAEDII perperā alienati cùm fani Marianei, ad Altissiodorum, Archimandritam & cœnobitas pœniteret: hi à Principe in integrum restitutionem postularunt. De qua cùm ille prouinciæ Præfecto rescripsisset: causa cognita, possessores prædiū, cum fructibus à lite contestata, restituere damnati sunt, quatenus ii fructus, sumptuum in prædium factorum, & quibus id melius ac pretiosius effectum erat, summam excederet. Quòd si sumptuum calculi, horum fructuum calculos superarent: id quod excurreret, fructibus ante litem cōtestatam compensaretur. AT Curiæ per possessores appellatæ placuit, sumptus fructibus, non nisi à lite contestata compensari, XI. Cal. Feb. M. D. XLII. Quod placitum, duabus potissimùm rationibus, visum est nobis huc esse referendum: vna, quòd huiusmodi controuersi is ferè nihil est in foro frequentius: altera quòd hac de fructuum & sumptuum compēsatione, propter variam vnius & alterius loci lectionem, & recentiorum Iurisconsultorū pronuntiata quædam, doctos & graueis aliquot viros ambigētes audiuerim. Eorum, quos dicebamus, locorum primus, est XLIIII capite, tituli, de Reiuindicatione, lib. Pandectarum VI. qui nonnullis in codicibus sic habetur, SI FRVCTVVM À LITE CONTESTATA PERCEPTORVM SVMMAM EXCEDANT. Secundus, capite LXV. eiusdem tituli, qui illis ipsis in codicibus, ferè ad eundem legitur modum, SI MINVS IN FRVCTIBVS À LITE CONTESTATA PERCEPTIS FVERIT. Quibus autem huiusmodi lectio placuit, præter eas rationes, quas habuerunt præcipuas, forsan coniectura ducti sunt, librario, quæ ipse transcriberet non intelligenti, post, A, præpositionem ablatiuam, N, li-

Qui fruct⁹, cum sumptibus in prædium factis, habeant compensari.

teram, cum notula quadam (vt ita dicam) compendiaria obrepsisse, atque ita eum pro, A, ANTE, reddidisse, ac eodem errore, pro lite, LITEM, & pro contestata, CONTESTATAM: ac idcirco vtrobique, à lite contestata, reponendum existimarũt. Ex recentioribus, huius in primis sententiæ fuit Greg. Haloander, vir sanè quàm doctissimus, & cui nos multa debere, nemo, nisi omnino ingratus, non agnouerit: Haloander (inquam) qui siue ex Noricis Pãdectarum libris, siue ex Hetruscorum notis Angeli Politiani, summi viri, quibus se adiutum profitebatur, sic vtrunque nobis tradidit locum. Sed vndecunque lectio ista emanauerit, certum est, in aliis penè omnibus libris, qui hominum versantur in manibus, legi, ANTE LITEM CONTESTATAM. Sic legerunt veteres Glossematarii, Bartholus & alii: sic est in vetustissimo codice manuscripto, quem habemus: sic in libris etiam manuscriptis, longè vetustioribus, quos in locupletissima bibliotheca principes (quòd ad ius ciuile pertinet) ac veluti Palladium quoddam, magna cum religione adseruat Adæmarus Ranconetius, secundæ Curialium inquisitionum classis Antesignanus, præter cæteras illius animi dotes, nostrorum Iurisconsultorum eloquentissimus, & eloquentium iurisconsultissimus, idémque sacrosanctæ vetustatis vindex & assertor acerrimus. Accesserunt præterea Florentini libri, solidam atque expressam venerandæ illius vetustatis imaginem referẽtes, qui aliis veteribus illis exemplaribus, & cæteris eius lectionis libris adstruunt fidem, eámque tantam, vt nihil amplius desyderandum esse videatur. Sed hæc non nisi de exemplarium fide controuersia: ad rem ipsam veniẽdum est, ac videndum, si qua ratione fieri potest, primùm, quæ Papiniani, vtriusque loci autoris, fuerit sententia: deinde æqua sit an iniqua. Ille idem capite I. de Pignoribus, θ vltimo, sic ait, Cùm prædium vxor viro donasset, ídque prædiũ vir pignori dedisset: post diuortium, mulier possessionem prædii sui recuperauit, & idem prædium, ob debitũ viri, pignori dedit. In ea duntaxat pecunia rectè pignus à muliere cõtractum apparuit, quam offerre viro debuit, meliore prædio facto: scilicet, si maiores sumptus, quàm fructus fuisset, quos vir ex prædio percepit. Etenim in ea quãtitate, proprium negotium gessisse, non alienum suscepisse videtur.

Qua in ſpecie mihi videre videor neque de prædii donatione, neque de eius à viro pignori datione, vllam fuiſſe controuerſiam: ſed ſolùm an aduerſus poſteriorem pignoris dationẽ ab vxore factã, ea Senatuſcõſulto Velleiano eſſet adiuuãda, quòd ob viri debitũ, prædium, cuius poſſeſſionem ab illius creditore recuperauerat, pignori dediſſet, quaſi pro viro, à quo diuerterat, interceſſiſſet, eiúſve negotiũ ſuſcepiſſet. Et viſum eſt mulierem nõ alienum, ſed ſuum ipſius eatenus geſſiſſe negotium, rectéque ab ea pignus eſſe contractũ, quatenus vir in prædium, ea ratione melius factum, plus impendiſſet, quàm ex eo percepiſſet: nulla litis conteſtatæ vel non conteſtatæ, (quæ etiam (vt diximus) non extaret) habita ratione. Vnde (niſi maximè fallor) licet apertè colligere, eundem Papinianũ aliis illis duobus in locis, de fructibus ante litem conteſtatam vt dixiſſe, ita etiam intellexiſſe. Nec eſt cur diuerſum quis eſſe dicat: cùm vir, cui ab vxore, & vxor, cui à viro donatum fuerit, cuiuis alii bonæ fidei poſſeſſori rectè comparentur. Et hoc Papiniani iudicio (ſi tamen eius eſt) nihil certè quidem æquius ac melius eſſe videtur. Nam præterquam quòd certum eſt, reiuindicatione ſuperatum, fructus omneis à lite conteſtata reſtituere debere, propterea quòd ab ea ſaltem ſit malæ fidei poſſeſſor: alia etiam iuris eſt regula, Solo cedere, quod in alieno ædificatur. Inde fluxit illud primò adducti capitis, " Sumptus in prædium, quod alienũ eſſe apparuit, à bonæ fidei poſſeſſore facti, neque ab eo qui prædiũ donauit, neque à domino peti poſſunt: verùm exceptione doli poſita, per officium iudicis, æquitatis ratione ſeruãtur." Et appoſitè quidẽ ac ſignificãter (vt ſolet) SERVANTVR, exiſtimo dixiſſe Papinianũ: propterea quòd niſi iuris ſeueritati, æquitatis benignitas interceſſiſſet, erant huiuſmodi ſumptus, quantulibet bonæ fidei poſſeſſori, omnino perituri. AEquitas, vt eſt ab Ariſtotele, Cicerone, Fabio, & aliis, ipſis quoque Iuriſcõſultis definita, eſt perfecta ratio, quæ leges omneis, omnéque ſcriptum ac dictum interpretatur, moderatur & emendat. Hæc cùm omnibus in rebus adhibenda, tum hanc in ſpeciem nominatim inducta, ſic eſt retinenda, vt bonæ fidei poſſeſſori accommodata, eum etiã in modum erga dominum habeatur, vt ne nimis eius rationibus incommodetur: ſítque ſemper iuſtitia, illáque eadem æquitas, id quod re, natura & veri-

tate existit, videlicet, constans & perpetua voluntas, suum vnicuique ius tribuẽs. Qui ab eo fundum comparauit, quem fundi eius dominum existimabat, latet ille quidem in tutela innocentiæ & bonæ fidei præsidio: sed (amabo) quid interim à domino commeritum est, cur iactura sit afficiendus, qui nec tardus fuit, nec dissolutus, sed intra statuti tẽporis spatium, ad res suas inquirendas venit? Finge bonæ fidei possessorem, vel à litibus abhorrentem, vel non vsquequaque improbum litigatorem, qui domino, tempore tantùm non exacto, rem suam vindicanti, vel hoste (quod aiunt) vix conspecto, herbam porrexerit, vel etiam conserta manu statim, aut aliquàto postea caussam dediderit, aut ea anno fortasse confecta, fuerit expugnatus: rem (quæso) iustis ponderibus expensam esse dicemus, si omnes aut omnium, aut penè omnium, qui præterierint, annorũ fructus, quanti quanti sint, bonæ fidei possessoris lucro cedant, & ei præterea sumptus, nulla, aut admodum parua compẽsatione facta, dominus numerare teneatur? At (inquies) naturali ratione placuit, fructus, quos bonæ fidei possessor perceperit, eius esse pro cultura & cura, adeò vt ne dominus quidem de consumptis agere possit. Scio equidem placuisse, nec inficior huiusmodi possessorem lucrari fructus: sed ita lucrari contendo, vt si nihil in prædiũ impensum est, eos ipse omnino habeat: si contrà, eorum æstimatio, impensarum loco, etiam non fructuum gratia factarum, numeretur, iure compẽsationis. Quòd si fructus impensis paria non faciant, persoluat dominus quod excurrere comperietur. Quin & si summo iure agendum est, hîc, illi tantùm fructus erunt intelligendi, qui non sua sponte nascuntur, ínque quibus hominis industria & cura opus est. Nam naturales, veluti si possessor pomum decerpserit, vel ex sylua ceciderit, domini sunt, non bonæ fidei possessoris; cùm ex eius facto non nascantur: eósque, etiam consumptos, restituere, saltem condictione sine causa tenetur, si istinc locupletior factus est, videlicet, si eos in eam rem consumpsit, in quam de suo tantũdem contulisset. Ac præterquam quòd huius fructuum differentiæ ferè rationem non habemus, dum fructibus à lite tantùm contestata, sumptus compensamus: possessores, suapte fortasse natura, litium alioqui satis amantes, ad iudicium aliquando tandem accipiendum, & postea modis omnibus extrahen-

dum inuitamus,aut certè eos longè reddimus audaciores:iis scilicet, suas rationes sic comparātibus, vt cùm totos decem annos forēsibus omnibus strophis & antistrophis dominū vexauerint, tum denique damnati, satis habeant in sumptibus,quo fructus omneis à lite contestata perceptos exhauriāt, cæteros interim maximo domini malo lucrifacientes. Quibus de causis,aliísque nonnullis, quæ adduci possent,nisi iam nimii esse vereremur,Hetruscam lectionem,vt frequētiorem ac celebriorē, ita & veriorem ac sanctiorem esse puto: ex eáque,quàm alia iudicādum potius existimarē, nisi decreti illius,quod hîc Amplissimo ab Ordine protulimus, religio me teneret. Sed nisi grauaberis,est & aliud in quo Noricus liber,atque adeò ipse Haloander,ab aliis penè omnibus dissentiat.Nā illo in cap.Emptor,Haloandro sic legitur. Nam eos (videlicet fructus) vsuris nobis compensari,sumptuum in prædiū factorum exēplo,æquum est. Verùm alibi vbique est, VSVRIS NOVIS, ídque rectissimè,mea quidē sentētia. Ecce enim, si modò capitis illius speciem assequimur, Debitor vsurarius *creditori prædiū pignori dedit,quod creditor postea distraxit,* atque ita suū recepit. Post aliquod tēpus,venit debitor, *prædiū suum* ab emptore vindicās.Cui emptor,Quandoquidem mihi per te rem habere non licet, liceat saltem creditoris tui iure vti, nempe vt pecuniam,quam illi,veluti pro te, solui, mihi rependas cum vsuris, ex quo ab eo prædiū emi,quod tuum esse nesciebam:si tamen admissa compensatione,plus est in vsuris,quàm in fructibus,quos bonæ fidei possessor ex prædio tuo percepi. Quod quidem Papiniano placuit, & sunt huiusmodi vsuræ,quas ille modò nouas,modò medii temporis appellat, ad veterum differentiam, quarum (inquit Modestinus) rectè fit cōputatio in eum diē,quo creditor pignus distraxit.Ex quo palàm est, NOVIS, non NOBIS, esse legendum : neque verò quicquam illic est, quò illud NOBIS, satis queat accommodari. Sed hic error vnde tandem irrepserit, nosse,nec fortassis erit iniucundū,nec ad cætera huiusmodi coniicienda prorsus inutile.Qui Thuscos illos Pandectarum libros exarauit, vnde aliorum manauit pars maxima, Græcus erat, & (vt Franciscus Taurellius, cuius & Lælii patris, doctrinam, studium,& in repræsentanda vetustatis maiestate, diligentiam exosculor) natiuam pronuntiationem, etiam scribendo

insequutus, inter alia multa, passim Fauius pro Fabius: & vindicauit, bobis, benditionem, nobis, allubionem, & alia id genus: pro vindicabit, vobis, venditionem, nouis, alluuionem, scripsit: quod manifestum est, eum non aduertisse, qui hunc nobis errorem primus inuexit.

II.

Fiduciario, vel cōmendatario Cœnobiarcha, nomine dignitatis, cum Cœnobitis dānato, successorem & Cœnobitas teneri.

COENOBITIS, suo cum Cœnobiarcha, fundum, eiúsque fructus ac litis impendia restituere damnatis: cùm in successorem Cœnobitásque, rem iudicatam victor persequeretur, iíque summopere detrectarent: Curiæ placuit, eos iudicatum facere teneri. Nec mota est, quòd decessor Cœnobiarcha, qui fructus perceperat, nō nisi fiduciarius, vel, si mauis, commēdatarius fuisset, cuíque non Cœnobiarcha, sed cognati successissent. Eum enim nō suo ipsius, sed dignitatis nomine, cum cœnobio sodalitióve nunquam intereunte condemnatum: qua in specie, successor ex facto decessoris obligatur, &, vt Alexander III. Pontifex max. sodalitio Morinensi rescripsit, æs alienum eius, perinde atque patris filius, idémque hæres dissoluere tenetur. Deinde successorem & Cœnobitas ad decessoris cognatos & hæredes posse reuer[illegible] Sed illi valde displicuit ac fortasse permota est, quòd (vt nostri seculi Papinianus, Francis. Duarenus (fœlicem
» me tanto doctore discipulum) elegantissimè scribit) res longè vti-
» lissima, & ad consulendum ecclesiis vacantibus inuenta & excogita-
» ta, tandem in ipsarum perniciem pestémque mirabiliter conuersa
» esset. Nam quibus per canones non licet præfici ecclesiis, aut mo-
» nasteriis, moribus, vel potius corruptela comparatum est, vt eisdem
» ecclesiæ, vel monasteria, in perpetuum, & quandiu viuunt, com-
» mendentur: quorum partem multò maximam, verius fucatos esse
» dissipatores, quàm fiduciarios dispensatores, quis non perspicit? Prospexit etiam fore, vt nisi ius ita constitueretur, multis, ab huiusmodi possessoribus, res suas vindicantibus, esset tum fructuum, tum etiam litis impendiorum facienda iactura. Placitum Buiuo & Cardinali Borbonio, fiduciario Triportus Hetæriarchæ, ea de re disceptātibus, pronuntiatum, mense Septembri M. D. XLII.

III.

REI qua de actum fuerit, fructus omissos, de integro peti posse, res profectò est & responsis & iudicatis compertissima. Fruct⁹ omissos peti posse.

IIII.

BONAE fidei possessorem fundo cedere damnatum, impensas vtiles ac necessarias, rei retentione consequi: voluptarias, eius quod interest nomine, persequi posse, secundum Iohannem Spineum iudicatum est. XV. Cal. Maii. Anno à Martinalibus M.CCCC.XXVII. In rem impẽsum qualiter consequamur.

V.

EVMENIDES hominum animos ita mediusfidius inuasisse videntur, vt parum sit illis esse controuersiosis, nisi etiam sese exerceant, diuexent, & in ipso articulo, si quo pacto queant, etiam opprimant. Cui morbo vt mederetur, inter cætera alexipharmaca, hoc quoque à summa Curia est adhibitum: ne (scilicet) pro eremodiciis, commeatibúsve ab actis auferendis, denuntiandis, eorúmve sumptibus æstimandis, quicquam viatici causa, sed tantùm euangeliorum nomine expẽsum ferretur. Quod non modò apud se Curia, verumetiam in prouinciis ius à se prouocatione petentibus valere iussit. IX. Cal. Mart. M.D.XXXVIII. In eremodiciis & commeatib⁹ æstimãdis, viatici rationem non haberi.

VI.

EX quadrante hæres, nulla suæ illius portionis facta commemoratione, litem hæreditariam agnouit. Cuius iacturam cùm fecisset, & impendiorum rationes dispungerentur: tum denique dicere occœpit, se non amplius, quàm ex quadrante teneri. Replicatum est, eum id tum debuisse testari, cùm litem agnosceret: quod cùm non fecisset, videri eum non de quadrante, sed de toto impẽdiorum asse cum aduersario in iudicio quasi contraxisse. Deinde posse eum in cohæredes, negotiorum gestorum agere, & sic ab eis dodrãtem à se persolutum recipere. PLACVIT, eum, qui litem agnoscẽs, eámque in se transcribens, legem apertius dicere potuerat, nec fecerat: portionis quæstionem nihilominus referentem, non esse ferendum. VII. Id. Apr. à Liberalibus M.D.XVI. Ex parte hæres, si litẽ hæreditariã generatim agnouerit, ei⁹ sumptib. in solidum teneri.

VII.

AD eundem ferme lapidem impegit alius, qui purè in alterius litigatorum locum suffici postulans, exauditus est, & postea numeris Indistinctè subrogatum, omniũ litis sumptuũ fieri reum.

V.ii.

omnibus ſuperatus. Cùm enim de litis ſumptibus æſtimandis ageretur, dixit, nihil in ſe æſtimãdũ eſſe, niſi ex quo vel ſuffectus fuiſſet, vel ſuffici poſtulaſſet. ET in eum vnum ſumptus omneis æſtimari placuit. Ipſi enim illi imputandum eſſe, qui cùm ſibi cauere poſſet, vniuerſam in ſe litis aleam recepiſſet. VII. Id. April. À Liberalibus, M. D. XVI.

VIII.

Id etiã in expenſorum rationib⁹ æſtimari, quod mihi ſit accepto latum ac remiſſum.

EXPERIENTI mihi, ſi vel Apparitor, vel Anteſtatus, vel Cognitor, vel Cauſidicus, vel etiam Iudex, aliúſue, cuius opera indigebam, ſalarium, mercedem, honorarium accepto tulerit ac remiſerit, & ego litem, omnibus cum acceſſionibus, vicero: huiúſne vlla ratio, in litis ſumptibus æſtimandis, habebitur? ET cùm ſuperato Planchæus aduerſario, in expenſorum rationibus æſtimari peteret, id quod ſigni forenſium codicillorum nomine perſolui ſolet: quanquam ille, vt ceræ diplomaticæ calfaciendæ Præfectus, nihil numeraſſet, tamen æſtimari placuit. Quid enim aduerſarii mei commodis cedere patiar, quod apud me in gratiæ ac beneficii loco poſitum eſt? Decretũ ambarum claſſium inquiſitoriarum, IIII. Id. Febr. M. D. XII.

IX.

Anticipâta teſtimonia quando in ſumptuarias rationes veniant.

ANTICIPATA teſtimonia in ſumptuarias rationes non venire, niſi cœpta lite, facta fuerit anticipatio, etiam ſi ad iuſtæ ac legitimæ inquiſitionis vicem acceſſerint. Quis enim ex lite id eſſe dicat, quod litem anteceſſerit? Placitum primæ inquiſitionum Claſſis, quod factum eſt, Calend. Mart. M. D. VII.

X.

In ſumptuariis rationib. neque profectionem, neque aduocationem æſtimari, niſi res id poſtulet, alitérque explicari nõ poſſit.

QVADAM in prouincia, quam nominare nihil attinet, ne quid hinc conflari poſſit inuidiæ, erant vel litigatores, ſuarum litium vſque adeò amãtes, vel Cauſidici & Cognitores, in deglubendis litigatoribus ita mutuum fricantes: vt faſtus liti dies, ne vnus quidem elaberetur, quo profectus litigator, cum aduocatione non adeſſet. Quæ omnia, qui ſuperior euaſiſſet, cùm in expenſorum rationes conferre ſoleret, ſibíque æſtimari contenderet: & ea, vel ſuperuacanea, vel (vt quiſque ſe victurum ſperat) grauando aduerſario excogitata eſſe viderentur: ambabus inquiſitionum claſſibus, alternantem ea de re aleam decernentibus, viſum eſt neque profectionem, neque aduo-

cationem esse æstimandam: nisi res id postulasset, alitérque explicari non potuisset. Mense Aug. M. D. XXIII.

XI.

VETERIBVS copiis si alteruter litigatorum nouas induxerit, certum est sumptibus inducentis, sed & repræsentãdis, aduersarium nouis huiusmodi copiis posse contradicere. At disceptatum est, an contradictore iureiurando affirmante, hominem ad se missum, qui componendis edendísque contradictionibus, cõmentarios afferret, ea impẽsa huc quoque pertineret. ET omnibus Curiæ classibus placuit, ad controuersiæ fatum esse reiiciendam. Prid. Calend. Mart. M. CCCC. XCIX.

Viaticum perferendis, ad nouarum copiarum cõtradictiones cõponendas, commẽtariis attributum, ad cõtrouersiæ fatũ esse reiiciendum.

XII.

ETSI nihil esset, prouocatus quod pertimesceret: nequid tamen desyderaretur, quod ad tuendam, quam abstulerat sententiam, facere posset: noui quod visum est edidit, ac tandem vicit. Addubitatum est, an cæteris cum prouocationis impendiis, instrumenti recèns editi, & cui, proferentis sumptibus, contradictum esset, confirmationes æstimari deberent. ET ambabus inquisitionum classibus debere placuit. VIII. Id. Mart. M. D. X.

Prolatis nouis copiis, cõtradictorum dissolutiones, proferenti, si vicerit, æstimari.

XIII.

ΑΡΕΣΤΟ'Ν, cùm vniuersæ litis, tum maximè prouocatoriæ coronidem: tametsi nulla eius litis, sed anterioris tantùm impendia essent adiudicata, rectè tamen sumptuariis rationibus adscriptum esse placuit: quódque eius nomine datum erat, expensum ferri debere. Non. Maii, M. CCC. LXXXIIII.

Arestum, placitum, rectè æstimari, etiã si sublata sint prouocatoriæ litis impendia.

XIIII.

EX duobus, qui sumptuariis litium rationibus dispungendis Recuperatores constituuntur, semper vnus est certus, si tamen adest, litis enarrator. Alterum, non quemlibet, sed pro cuiusque ordine, ex cuiusque classis catalogo dari placuit. Prid. Cal. Maias, M. D. XVIII.

Qui sumptuariis litiũ rationibus æstimandis constituãtur.

XV.

XI. cap. legis, quam Carolus VIII, de re iudiciaria constituenda rogauit, anno M. CCCC. XCIII. ferè sic habetur.

Initis expensorum in litem rationibus, nisi victus, eiúsue cognitor, eam ob rem adhibitus, simul atque vnum quodque caput æsti-

De appellatione interponenda, statim vnoquoque expensorum in

litem æstimato capite, legem, ad solos Curiæ Recuperatores pertinere.

matum fuerit, quo se malè habitum putet, prouocauerit: rata æstimatio esto, próque re iudicata accipitor.
Huius exigendæ gratia, si mandatum victor desyderet, habeto.
Quod cùm esset indistinctum, nulliúsque iudicum speciei mentionem haberet: disceptatum est, de certis, an verò de omnibus esset intelligendum. ET solos, huiusmodi sumptibus æstimandis, ab Ordine Amplissimo datos Recuperatores intelligi placuit. x. Calend. Septembr. M. D. XIX.

XVI.

Appellatorē summoueri, qui ab vnoquoque expēsorum in litē æstimato cap. statim non appellarit: sed ei alia ratione succurri.

EX eiusdem cap. præscripto, vnam aliquam, quæ à nihil dissimili impēdiorum æstimatione prouocauerat, summoueri placuit: tametsi diceret multa in ea esse comprehensa, quæ alibi antea prouocato æstimata fuissent ac persoluta. AEquitatis tamen patrocinio, & quasi sua Curiæ sponte, decretum est, ne vnde ius petitum erat, summa iniuria proficisci videretur, illud summatim inquirendum esse ac vindicandum. III. Non. Septembr. M. D. XXXV.

XVII.

Ea, ex quib. expensorum in litē æstimatio desumpta est, antè proferenda, quàm de appellatione, ab æstimatione interposita, mittantur iudices in consilium.

PRAENOTATIS nominibus expensorum in litem, in quorum æstimatione, prouocator se læsum clamabat: cùm in Primanorum secretario disceptaretur, an prius litis instrumentum, ex quo facta erat æstimatio, apud acta reponendum esset, quàm prouocationis alea iaceretur: visum est, à veteranis causarū Cognitoribus sciscitari, de ea re quid esset in moribus fori. Inductis igitur aliquot nostri illius ordinis, qui tum in curia Basilica, sedētium iussis, ex recenti præscripto, deambulantes præstolabamur, & exposita per Sanctandreanum, Præsidem optimum, inductionis ratione: ego Lucius, cui antiquiore loco dicere contigerat, in hunc ferè modum respondi. Eo rerum forēsium vsu, Patres Conscripti, quem triginta tribus plus minus annis, tam discipulus, quàm vestro beneficio Cognitor factus, mihi comparaui: exploratum habeo, instrumēti prolationem, aleæ iactum, hoc est, solennem illam prouocatoriæ litis clausulam antecedere. Imò verò ex litigatorum vsu fore, si moribus id obrogaretur, vt instrumēti prolatio non modò clausulam, verùm etiam prænotationem anteuerteret. Enimuero qui non inspecto litis instrumento prænotant, magna ex parte incerti prænotant: & multa sæ-

penumero prænotamus, à quibus, si esset instrumēti dispiciendi copia, proculdubio temperaremus: nonnulla interim prætereuntes, quibus fortasse nihil magis animaduersione dignum. Cæterùm ipsam expensorum æstimationem, totidem sententias quot capita esse constat: & ea ex quibus æstimatio desumpta est, scriptæ litis instar habere nemo negauerit. Quibus cæteri nostri, præter vnū aut alterū, astipulati sunt. ET tandem Curiæ placuit, iudices, de huiusmodi prouocatione, in consilium non antè mittendos, quàm instrumentum prouocatus apud acta protulisset. VII. Id. Maii, M. D. L.

XVIII.

PROVOCATIONEM ab vniuersa expensorum in litem æstimatione, cùm prouocator certa in capita à se enumerata, & (vt assolet) cruce prænotata contulisset, omniáque rectè æstimata fuisse iudicarentur: addubitatum est, vna omnibus mulcta capitibus, an singulæ singulis essent assignandæ. ET ambabus inquisitionum classibus, statam temerariæ prouocationis mulctam, vnam tantùm & alteram irrogari placuit: & in similibus, idem esse dicendum. Neque fore quo prouocator conqueri posset: cùm (vt diximus) quot essent capita, tot etiam forent sententiæ, totidémque intellectæ prouocationes. Prid. Id. Iun. M. CCCC. XCIX.

Temerè prænotatis ab appellatore, expensorum in litē capitib. multis, vna, an plures irrogandæ mulctæ.

XIX.

IVRIIVRANDO, quod maximo litium expediendarum remedio iam in vsum venerat, siue alter litigatorum, siue iudex ipse detulisset: vtrique religionem inesse quidem, sed in altero maiorem, in altero minorem veteres existimauerunt. Illud enim à litigatore delatum, trāsactionis speciem continere, atque adeò maiorem, quàm res iudicatas, autoritatem, illis habere visum est: quo si negotium transactum esset, eandem causam retractare non concederetur, & illius contempta religio, satis Deum vltorem haberet. Post hoc verò à iudice delatū atque exactum, ab integro causam agere, Principes, suis constitutionibus, interdum permiserunt: si quis noua instrumenta se inuenisse diceret, quibus tunc solùm vsurus esset. At verò videamus hócne perpetuò senserit Ampliss. Ordo, an etiam vtrunque iusiurandum pari aliquando religione habuerit. In rationibus expensorum in litem, decem, dicasticorum nomine petita, æstima-

In sumptib. litium æstimandis, aliquando religioni statū.

toribus (vt assolet) deferentibus, rei cognitore præsente, iurata, æstimata, & postea exacta fuerant. Accidit vt reus iacturæ impatiens, rationibus repetitis, & cum sententiæ breuiculo, quo dicasticorum modus continebatur, collatis: petitorem, pro quinque, decem abstulisse deprehéderet. Tum is periurii petitorem insimulare, illíque vadimonium dicere. Ille defendere, nihil se nisi sanctè iurasse: cæterùm stari religioni debere. LITE concertata, litigatores à Curia pares abire placuit. Ad exhedram rerum capitalium, Montolonio, altero eius classis moderatore pronuntiante, anno *

XX.

In sumptib. litium æstimandis, aliquando non statum religioni.

DIVERSVM accidit Augustino Colino, quem Antonius Caluinus periurii etiam appellauerat: quòd in dispungendis eius generis rationibus, ille multa perperam affirmasse diceretur. Factú est enim vt res primùm criminosè quæsita, in ciuilem tandem controuersiam euaderet. V. Id. Iun. M. D. L. Diuersum sanè. Nam quod in vna specie religioni datũ est, in alia est ademptum. Et diuersitatis ratio esse potest, quod in hac, Colinus, delibatæ (vt ferebatur) existimationis, multis (vt dictum est) nominibus appellabatur. In illa verò, ille integræ alioqui famæ, hoc vno, in temerati iurisiurandi suspicionem veniebat: & fortassis excusabat, se re vera, quod affirmauerat, dedisse: quanquam breuiculo (quod tum, cùm rationes dispungerentur, desyderari poterat) tantum accepto latum non erat. Scio equidem graue ac molestum esse, si litis iacturam quis fecerit, non modò quod constat, verumetiam quod aduersarius vel suapte forsan natura improbus, vel litis (cuius in vlna (vt nostratium vulgus ait) amicitiæ vix digitum inuenias) odio concitatus, expensum sacramento dixerit, id eum rependere oporteat. Sed quando ita visum est Principi, & hoc vtentium moribus receptum est: ea lex, quanuis dura ferenda est. Et satius esse duxerim ea catapotia deuorare, quàm ex litis suo fato functæ reliquiis, nouam exuscitare: quæ si alteram non superet (vt aliquando euenit) possit tamen adæquare. Nec facilè crediderim Imperatores, cùm post iusiurandum à iudice delatum atque exactũ, ab integro causam agere permitterent, de huiusmodi litium accessionibus etiam intellexisse. Vix enim esset, aut ne vix quidem, vt aliquis vnquam earum finis inueniretur.

De auctionibus publicis,

TIT. XVII.

I.

CAPTA pignora, proximo emporio, solent quidem & debent auctionari. Sed si is, ad quem ea res pertinet, ad celebrius emporiū, etiam Lutetianum, vt pluris veneant, ea suis sumptibus periculóque transferri petierit: placuit esse audiendum, Sapino & Preuotio litigatoribus. Faber antiquior admonuit.

Quo in emporio capta pignora possint, & debeāt auctionari.

II.

CONSVLTVM, de publicis auctionibus palàm in iure comprobandis, quod factum est, XIII. Cal. Febr. M. D. XII. prudentes omittebamus: quòd legibus postea latis, nec semel aut iterum id cautum inuenire liceret, & ferè nihil in foro peruagatius esse videretur. Sed forte fortuna in quandam incidimus, palàm quidem in iure apud Præfectum vrbi factam, sed relatæ, nec verò lectæ, auctionis comprobationem. In quo cùm neque consulto, neque legibus satis esse factū arbitraremur: existimauimus nos aliquid facturos, si non modò consultum non omitteremus, sed & legis, omnium, quæ ad rem pertinent, recentioris, verba etiam adderemus.

Publicæ auctiones in iure legēdæ ac cōprobādæ.

Publicæ auctiones (inquit Ampliss. Ordo) in iure, apud suum rerum auctionatarum iudicem, fasto die, mediis causarum actionibus leguntor.

Vsu ac moribus factæ compertæ, de pragmaticorum sententia comprobantor.

Causidicis & Cognitoribus, ab honorario temperare, summum honorarium esto.

Lex autem ab Opt. Max. Principe, Henrico II. Imperatore nostro lata, ferè sic habet.

Auctiones suis omnibus numeris absolutæ, in iure apud eum, cuius ea notio erit, altercatorio die, feruentibus ipsis altercationibus leguntor.

Si rectè atque ordine processisse videbuntur, publicè testificantor.

Cæterùm inter legere & narrare quid intersit, nemo est qui nesciat. Quòd si in re tam aperta, vt vel manu (quod dicitur) reperiri possit,

aliud pro alio accipi patiamur: quid, vel compendii causa, ea quæ palàm ipsa in Curia ab Actuariis legi solent, non narrantur potius, quàm leguntur? Et nos memoriæ periculum narrando adire posse, quis negauerit, cùm etiam legentes, (vis dicam & scribentes?) interdum ac sæpenumero (humanum est enim) vel labimur, vel hallucinamur? In summa, neque à legis, neque à consulti cuiuscunque verbis vnquam temerè recedendum est.

III.

Publicæ auctiones, palàm in iure, pragmaticis minimùm denis, iisque in comprobatione nominandis perlegendæ.

AVCTIONIS comprobandæ formulam, quam III. Non. Mart. M. D. XXXIII. tertia Inquisitionum Classis in Iohãnem Tubertiũ, debitorem, Stephano Tertreo & Germano Fayo, creditoribus, suum auctione persequentibus, præscripserat, exemplóque futuram in commentarios referri iusserat, si resciisset, qui posteriores auctionarias leges vel suasit vel concepit: credendum est eum duo fuisse additurum, quibus ea & superiore consulto & legibus auctionariis omnibus vberior est & cautior. Vnum, pragmaticis minimùm denis nec paucioribus, auctiones vt perlegerentur: alterum vt eorum nomina comprobationis literis inscriberentur: quorum vtrunque optimam profectò rationem habet. Hoc quidem, quòd quibuscunque tabulis, adiectis eorum nominibus, qui rebus gestis interfuerũt: eò serius ac difficilius ad malignandum acceditur, quo celerius fit atque expeditius, crimen ea ratione conuincere. Illud verò, quòd huiusmodi comprobationes, confusa quædam sunt testimonia: quæ ad aliquam turbæ similitudinem comparata, non nisi quindecim, aut saltem capitibus decem collatis ac consentientibus, plena atque integra censeantur.

IIII.

Publicis auctionib. quãdo amplius intercedere non liceat.

IN auctionibus publicis, quæ Curiæ imperio fiunt, posteaquam pronuntiatum est, quo quenque locò numeróque esse oporteat: omnibus quidem licendi, sed nemini amplius intercedendi potestatem esse faciendam. VI. Id. Mart. M. CCCC. XCI.

V.

In publicis auctionib. licitatores profiteri debere, sibi an alii liceãtur.

APVD Præfectum vrbi, solebant causarum procuratores, in publicis auctionibus licentes, dissimulare, suo, an alterius nomine id facerent: & postea ex interuallo profiteri, cuius causa factum esse

vellent: nec certè sine vlla vllius captione. DE qua re, Idib. Mart. M. D. LI. inter pomeridianas altercationes, postulantibus Regiæ procurationis Triumuiris, factum est Curiæ consultum: Placere, huiusmodi licitatores, nisi protinus edant, cui operam dederint, ab hasta summouendos esse.

VI.

Expēsorum in publicam auctionē appellatione, quid contineatur.

SVMPTVVM, qui ab auctionis institore fiunt, duo sunt genera: quæ, si mihi licet, lubens sic appellauerim. Vnum rectum, alterum transuersum. Rectum intelligo, imperatæ solutionis impendia, rerum pignerationis, auctionis ipsius non modò factæ, sed etiam rectà in debitorem ad catastrophen vsque perductæ. Transuersum, id omne, quod ipse auctionis institor aduersus eos impēdit, qui intercesserint auctioni, potissimùm illorum scriptionibus rescribēdo. Quod III. Non. Aug. M. D. IIII. * inquisitionum classi, expensorum in auctionem appellatione non contineri placuit. Nec enim re vera sunt auctionis impendia, sed propriè intercessionum, penitus ab auctione diuersarum: à quibus qui vel destiterit, vel summotus fuerit, vel cum ipso institore, de ordine temerè decertarit, impensarum sit condemnandus, eáque ratione institor suum planè consequuturus. Sed amabo (dixerit aliquis) éstne aliud quoddam intercessorum genus, qui neque desistunt, neque summouentur intercessione, neque de ordine decertant: sed consignatissimis autoritatibus à se prolatis, nulla prorsus controuersia, suum inter creditores sibi vindicant locum: quod tamen vix, aut ne vix quidem, sine vlla institoris & diligentia & impensa fieri potest: cuius ille, cur iacturā faciat? Est sanè, sed leuis illa est modicáque impensa. Quam nihilominus si suarum ille rerum vsqueadeò studiosus est, vt nullum omnino ferre dispendium vnquam didicerit, tamen queat repetere: vel ab intercessore, moram si fecerit: vel ab ipso debitore, qui totius tragœdiæ fons est atque origo: verùm alio, quàm in auctionem expensorum nomine.

De cessione bonorum,

TIT. XVIII.

I.

Etiam aduersus car-

CERTAE sunt æris alieni species, quæ bonorum cessionis persu-

ceraticum, cessionis remedium admitti.

gium, quãtumlibet miserabile non admittunt. Quas inter an carceraticum esset adnumerandum, extitit controuersia, quòd Phylacista, vt suum munus, ita & mercedẽ, publici iuris esse contenderet. PLACVIT eum, qui huiusmodi ære alieno premeretur, hoc quoq; cessionis asylo esse tutum. Placitum pronuntiatum XIIII. Cal. Ian. M. D. XXXIIII, Iacobo Pinæsio Culagio, Præfecti vrbi custodiis asseruato, & Nicolao Caluulo, Phylacistæ, ea de re ambigentibus.

II.

Monetalem, ob acceptam monetam, sublatam ac conflari iussam, debitorem, cessionis præsidio exclusum.

DEXTANTES, asses, tredecimuncios, monetam circuncidaneam cùm Princeps edicto sustulisset, conflaríque iussisset: quidcunque huiusmodi monetæ habebat Lucius Titius, is ad Montis Limardi monetalem, fide bona detulit. Qui acceptã, syngrapha cauit se conflaturũ, & pro ea certum, puta duo vel tria frãcicorum millia, probæ monetæ, albæ (vt aiunt) vel rubentis, hoc est, aureæ, persoluturũ. Sed conuentus vt præstaret, miserabile cessionis auxiliũ implorans, exauditus est. Vnde Lucius Titius, elusum se grauatè ferẽs, prouocauit: & causas prouocationis reddens dixit, aliud esse mutuo dare, vel cõmodare: aliud obsequi Principis cõminantis imperio. Se neq; cõmodasse, neque in creditũ iuisse: sed quod fecisset, inuitũ ac coactum fecisse, ne in edicti pœnã incideret. Monetalẽ, quòd ea in re fidem fefellisset, quadantenus suo in munere malè esse versatum: in delictis, cessionis remedio non esse locum. Monetalis contrà, Parum abesse, quin id quod inter se & Lucium Titium fuisset actum, merum esset nomen: nihil ex eo nisi pecuniam deberi. Sacram cessionis anchorã, omni ære alieno, etiam publico, grauatis ac fluctuantibus, aduersus creditorum irruentium procellas esse comparatam. Nec dolo malo, nec sua fraude, sed rebus aduersis esse factum, quo minus fidem suã liberaret. Itaq; nihil esse cur illi extrema hæc anchora eripi deberet. Quod si tamen contingeret, hanc ei saltem naufragii tabulam reliquam esse faciendam, vt quanti intererat, pactam pecuniam suo tẽpore numerari, ipse in eo ad cessionem admitteretur: quo nomine, libello complexus, ipse Curiæ supplicuisset, diuersum quiddã à summa lite id esse contendens: quod tamen Lucius Titius defenderet, nõ nisi esse accessionem, nec diuerso iure cẽseri posse. PLACVIT Lucium Titium rectè atque ordine prouocasse, & monetalem, omni

ceſſionis præſidio ſummotum, pactam pecuniam, quantíque Lucii Titii interfuiſſet, rependere teneri. Ex tempore, Prid. Id. Ianuarii M. D. LIII. Rupefortio & Becheto cauſam orantibus.

Quæ in fraudem creditorum facta SINT, VT RESTITVANTVR, TIT. XIX.

I.

EST inſignis cuiuſdam improbitatis ac malitiæ, poſt omnes forenſis fabulæ ſtrophas & antiſtrophas: ea tandem peracta, iudicati non modò non faciendi, ſed & fraudãdi gratia, rerum ſuarum alienationes cõminiſci. Quamobrem vnum aliquem, qui huiuſmodi technis, Ampliſſ. Ordinis decreto ſtuduiſſet illudere, placuit, alienatione reuocata, pecuniæ damnari, placitúmque palàm recitari, mediis cauſarum altercationibus, cùm maximè frequentia populi flagraret auditorium. Quod cùm Actuarius feciſſet, fuit ab AEgid. Magiſtro, ſummo Curione, cẽſoria ſeueritate, ipſius ordinis verbis Cauſidicis ac Cognitoribus imperatum, litigatores admonere, vt hunc ad lapidem impingere cauerent. Enimuero fore, ni facerent, vt in eos ſeuerius animaduerteretur. v. Id. Aug. M. D. LII.

Alienationis in fraudem factæ animaduerſio.

Placitorum ſummæ apud GALLOS CVRIAE LIB. XII.

De criminoſis iudiciis, Tit. I.

I.

PISCATORIBVS, de piſcibus à ſe captis, in litore rixantibus, alter alteri manus attulit. Concertabatur, eius ſceleris, cuius eſſet animaduerſio, Præfecti maris, an germani iudicis, ſeu, ſi mauis, ordinarii. ET Præfecti maris non eſſe placuit. Id enim ad rem mariti-

Quòd in litore maris, piſcatori manus piſcator attulerit, Præfecti maris non ideo eſſe iuriſdictionem.

mam nihil omnino pertinere. Ex tempore, ad Classem rerum capitalium, XI. Calend. Iul. M. D. L.

II.

Subditū à domino nō rectè vindicari, nisi subditus se iudicio sistat.

DOMINVM postulantem, vt subditus ad Regium iudicem vadatus, ad sua iura relegetur, non esse audiendum, nisi subditus obeat vadimoniū. Alioqui fieri posse, vt dominis ad suorum scelera conniuentibus (ne quid peius interea dícam) Iustitiæ numini, nec infrequenter illudatur. Placitum extemporale, Duce Guïsio, altero litigatorum anno. * Riantius admonuit.

III.

Parentalib⁹, vadatū non excusari.

QVÒD non modò funus familiare ducentem & cadauer sequentem, sed etiam iusta facientem, in ius vocari, ius non esse didiceram: putassem, eum iusta qui faceret, ἐξόμνυσθαι licere. Sed aliter Curiæ visum est. Vadatus enim Sulpitius Cellarius, cùm per nuntium iureiurando excusasset, iustis se patri, ab octo diebus mortuo, persoluendis operam dare: excusatione reiecta, placuit eum vadimonii desertorem pronuntiari. Ex tempore, XIII. Calend. Decemb. M. D. XXXV.

IIII.

Ægrotantis dignitatem, vadato medico, iustam excusationē peperisse.

SED de medico quid dixisses, quem missus ad vadimonii diem nuntius, sacramento etiam adactus excusauit: quòd Margaritæ, Reginæ Nauarræ, graui morbo laboranti, dies, noctésque, non secus atque glebæ ascriptus, incumberet: neque ab ea, vel transuersum quidem digitum, sine maximo vitæ illius discrimine, posset recedere? PLACVIT dignitatis eius, quæ ita morbo conflictaretur, habendam esse rationem, atque adeò excusationem admitti. Ex tempore, VII. Id. Mart. M. D. XXXV.

V.

Sacerdotē, à vadato, excusatorem non rectè mitti.

QVALIS esse debeat, quem quis conuadatus, se mittat excusatum, hactenus inter omnes constitit, eum esse oportere, qui cùm ad excusationis negotium, non aliud, veniat, tum eius criminis, cuius qui mittit, accusatus est, nec conscius sit, nec affinis. Sed XVIII. Cal. Ian. M. D. LIII. cùm lecta in maximo tribunali tessera cuiuspiam eius generis nuntii, more maiorum interrogandi, is de media turba, quæ congenulata cācellorum aream occupat, sacerdotis habitu sur-

rexisset, & interrogatus sacerdotē se esse respondisset: AEgidius Magister, Curiæ Princeps, sua spōte, hoc est, non expectata cuiusquam contradictione, Patres consuluit, & placere pronuntiauit, ne nuntio re infecta redeundum esset, eum esse admittēdum: eo decreto nunquam postea ad exemplum reuocando.

VI.

REO requirendo adnotato, Præfectus prouinciæ certior factus, eum, in carcerem coniectum, à Prodomino Carnuteo haberi: iterum atque iterum iussit ad se relegari, de receptitio crimine legibus interrogandum. Quæ imperia cùm Prodominus plus æquo detrectaret, reus effracto carcere effugit. PRODOMINVS detrectationis damnatus, reum iudicio sistere, ac pro eo fiduciarium pecuniæ iudicatum interim facere iussus est.

Reū iudicio sistere, atque interim pro eo dependere dānatus, quòd, cùm posset, eum mittere detrectasset.

VII.

ET regiis sanctionibus comprehensum est, & innumeris rerum iudicatarum exemplis compertissimum, reum absentem delatum, indicta causa tam anteriore, quàm prouocatoria damnatum, diplomatici postliminii ab integro sistendi iudicio impetratorem, quæstioni quantuncunque se offerentem, non esse ferendum: nisi, quòd ad persequutorē noxæ ac maleficii pertinet, iudicatum fecerit. Sed concertatum est, an legis acerbitas etiā ad eos extenderetur, qui primum in Curia iudicium sortiuntur. ET Curiæ Tholus legē eò prorogari iudicauit. Portano causam excipientis orante, Pridie Cal. Iul. M. D. XLVIII.

Legē, de reis absentib. dānatis, nisi pecuniæ iudicatū facientib. non audiendis, etiam ad eos pertinere, qui à Curia sunt prima sortitione damnati.

VIII.

CRIMINIS veniam à Principe (vt assolet) impetratam, disquisitioni esse obnoxiam, nūquam, (quod nouerim) venit in controuersiam. Sed de iis quæ Principibus, viris, fœminísve, imperii sui vrbes primùm aduentantibus, dari solent, addubitatum est. ET magis esse placuit vtrunque veniarum genus eodem iure cēseri. Prid. Nonas Decembr. M. D. XVII.

Aduentitias criminū venias, etiā in disquisitionē venire.

IX.

VBI extra ordinem quæri cœptum est de crimine, nec causam inficialiter constituendam, nec ab instituta quæstione, ne latum quidem vnguem recedēdum esse placuit, donec ea numeris omnibus sit absoluta. Consultum extemporale, pomeridianum, VII. Cal. Septemb. M. D. XXX.

Cœptā de crimine quæstionem esse perficiēdam.

X.

Amplianda-rum ratio cu ſtodiarum.

CVSTODIAS ampliari non placere, niſi antea quæſtio, qualiſcunque de crimine habita fuerit, Actori publico edatur, íſque interpelletur, velítne diuerſum quicquam allegare. Sic enim reorum puniendorum rationes difficilius poſſe conturbari. XVI. Cal. Febr. M. CCCC. XCVII.

XI.

Teſtes vt debeant cum reis cõmitti, & ab eis refutari.

AD VII. Cal. Sept. M. D. XXX. pomeridiana ſeſſione, placuit teſtes cum reis commiſſos, non commentariis, ſed extemporaria oratione reprehendi oportere: ipſóſque reos teſtium nomina rogari, quibus reprehenſiones ſperent ſe probaturos. Quod in legem poſtea tranſlatum eſt, anno M.D. XXXIX, ſed multò certè quidem acerbius. Sic enim ferè habet,

Quæſitor reum & vnumquenque teſtium, ſeorſum ab aliis, altrinſecus coràm ſiſtere iubeto.

Iis compoſitis, vtrunque ad iuſiurandum adigito.

Reum rogato, habeátne quo teſtem reprehendat, quibúſque reprehenſionem approbet.

Eius rei diligenter eum admoneto: illi enim poſthac integrum id nunquam futurum.

Quæ legis acerbitas tandem in eum recidit, qui tum nihil tale cogitans, eam ſuaſerat Principi, alioqui, poſt hominum memoriam, mitiſſimo clementiſſimóque. Cùm enim publicum legis Iuliæ repetũdarum iudicium in eum exerceretur, & teſtes, quibus ipſe premebatur, repeti placuiſſet, ac committi: venit è montibus Aruernis Iohannes Cebierius, Carladæſii ſecundarius Iuridicus, quo tũ vtebar familiariſſimè, & à quo, fide bona, hoc habui. Hunc oblatum, vt ille ſemel, iterum ac tertiũ oculis colluſtraſſet, dixit, tam ſibi notum eſſe, quàm qui minimè: eámque ob rem in ſe non eſſe, vt vel locupletem haberet, vel refutaret. Tum dati Recuperatores, Quanquam tu, Nomophylax, de capite & fortunis cauſam è cuſtodia dicis: tamen pro tua adhuc apud nos integra fide ac magiſtratus dignitate, haud difficile perſuaſum habemus, te nihil diſſimulare, nihil ementiri, nihil affingere. Sed hîc profectò eſt Adraſtia quædã, quídue aliud, quod, quàm fatum, vitare nequeas magis. Noris, non noris hominem, ſtat

eũ te nunc ipsum refellere oportere: neque id vnquã tibi postea licitũ fore. Est enim verbis apertissimis, lege cõprehensum: quam, quis te melius nouit, qui eã suggessisti, cõcepisti, obsignasti? Ecquis aspernabitur idem ius sibi dici, quod ipse aliis dixit, vel dici effecit? Ecquis, quod ipse in alterius persona æquũ esse credidit, in sua ipsius valere non patiatur? Qui in magistratibus quid decreuissent, eodémne ipsis priuatis erat iure parendum? Sentio (inquit) & certè faber cõpedes, quas fecit, ipse gestat. Excipe Scriba. Agnoscit Cancellarius legem, Principis quidem autoritate latam, sed cuius asperitatẽ ab eo, quanta maxima potest animi submissione deprecatur. Quam, si pro sua genuina clemẽtia non tẽperauerit, quis capitis accersitus, quãtumuis innocẽs, calumniatorũ insidias vnquam se speret euasurum? Itaque Principem omnium humanissimũ orat atque obtestatur, vt testis nomen edi, larémque iubeat, daríque tempus ad percontãdum, sítne ille, cuius ipse fidem possit insectari. Quod apud Principem iudicésue quid valuerit, equidẽ nescio: sed, nisi maximè fallor, magna admodum ratione nitebatur. Quî enim fieri potest, vt eum, qui nec de facie quidem aut nomine notus sit tibi, vt primùm oblatus fuerit, coarguas & insecteris? cuius tamen si qua ratione mores exquirantur, fortasse nemo vsquam gentium extiterit intestabilis magis, nemo vnquam fortasse magis cõflatus fuerit ac subornatus. Res me hercule dignissima, cui Amplissimus Ordo, pro summa sua in omnibus æquitate, aliquando consultum esse velit.

XII.

PETRVS Annonarius, lege Iulia, de adulteriis coërcendis & stupro interrogatus, innocẽtiæ suæ causas reddidit, & repetitos ac commissos testes, quantum potuit, insectatus est. Cùm autem ea quæ dixerat, probare studuisset, disceptatum est, an Mariæ Petræ, quæ stupri reum postulauerat, testes non modò ad illius purgationẽ faciẽtes, verumetiam eos, quibus insectationes suas probare cõtendisset, reprehendere quoque liceret: quòd tametsi iure, nostri tamen fori moribus receptum non esset. ET quidem licere placuit. Quis enim non facilè crediderit, eum, cui capitis periculũ intẽditur, quibuslibet testibus, etiam diobolaribus, si aliter nequeat, liberare se velle? Placitum pronuntiatum. v. Cal. Septemb. M. D. XLV.

Testes à reo nominatos, ad probandas testium in se productorum refutationes, etiã refutari posse.

X.iii.

De dolo malo, Tit. II.

I.

Fucus, in eremodiciali tessera subnotanda, Regio Subcognitori factus, seuerè acceptus.

IACOBVM Aurylium, quòd Regio Subcognitori eremodicialis tesseræ subnotationem per dolum abstulisset: tessera infecta facta, octies vicenis assibus, instaurando tabulæ iudicialis simulacro attributis, mulctari placuit: præter id, quanti partium intererat Subcognitorem, in tessera subnotãda non fuisse deceptũ: quo nomine in Aurulium, quãdo vellent, agi posset. XVIII. Cal. Iul. M.CCCC.LII. Quod exemplum non tam vt axioma proponimus, quàm vt priscæ illius seueritatis monimẽtum. Quæ pudoris & modestiæ magistra, simul atque vel tantillum intermittitur: statim obrepit indulgentia, petulantiæ ac intemperantiæ mater, scelerúmque penè omnium designatrix.

II.

Mendacium in supplice libello deprehensum, non leuiter animaduersum.

IOHANNI Guiberto, quòd in supplice libello verum non exposuisset, mulcta irrogata, ísque, quoad numerasset, munere abstinere iussus. Prid. Id. Iul. M.CCCC.LII. Vidimus adhuc tyrones, dum Iohannes à Selua Curiæ habenas moderaretur, Causidicum inter orandum mendacem deprehensum, è vestigio mulctatum. Cognitorem, qui diploma, tametsi parum ad rem faciens (puta veniam comperendinatæ prouocationis) ementitus fuerat, comprehendi tamen ac duci iussum. Quibus animaduersionibus, & veritatis veluti retinaculis, si semper vsi fuissemus, non, vt aliquando vidimus, scatuissent non modò libelli supplices ac diplomata, sed & ipsæ causarum actiones, quibus sæpenumero controuersiæ dirimuntur, ac forenses omnis generis scriptiones, mendaciis & commentitiis ac sycophanticis thematis: quæ quantas miseris litigatoribus molestias exhibuerint, vix est enarrare, sed ne cogitare quidẽ.

III.

Antigraphã, hoc est, commentitii contractus testationem, tertio non nocere.

SOLVTO morte matrimonio, Seia fundum, à Sempronio viro suo, pactis dotalibus oppigneratum, persequebatur. Defendebat Caius, fundi possessor, olim Sempronio fundum se dedisse quidem, sed dicis tantùm gratia, fortunatiores ille nuptias vt consequeretur:

id antigrapha & illum agnouisse, cauisséque se aliter donatione non vsurum. À Seïa referebatur, ea per dolum malum clam se facta, nihil obesse: Caïum aut decepisse, aut decipere volenti & operam & rem suam accommodasse: dolum suum nemini patrocinari: alterũ alterius fraude lædi nõ oportere. PLACVIT antigrapham eatenus valere, quatenus per illam pactis dotalibus non officeretur. Placitum à Riantio, de eiusdem argumenti quæstione ad Luparam Lutetiæ respondente, citatum, III. Non. Apr. die Iouis ante Liberalia. M. D. XLIX.

IIII.

PLVTEVM in Basilica ἐμποǫικῶν modica præsenti pecunia, & annuis assibus quadraginta pridem redemptum, Sempronia Mæuio quadragies vicenis locauerat. Postea Mæuius ægrè ferens rem minimo comparatam, tanti se, nec nisi conductam habere: Regii Thesauri Procuratori annuorum triginta (vt vocant) francicorum, pro assibus quadraginta, fert conditionem. Ille protinus accipere, postulare, vt ferenti res permitteretur. *Quod & iudicibus placuit*: sed appellatæ Curiæ contrà, & certè meritò. Quotus enim quisque erat, qui Mæuium animosè, dolo malo, & contra locationis fidem fecisse non animaduerteret? Sed Principis rebus ita consultum est, Pluteum auctionatum, ac vltimo licenti addictum iri. Ex tempore VI. Id. Iun. M. D. LI.

Conductor, locationis interuersæ damnatus.

De iniuriis & famosis libellis,

TIT. III.

I.

VETERIS comœdiæ, cuius Susarion Megareus inuentor fuisse traditur, tanta fuit mordacitas, vt quoslibet etiam nominatim perstringeret. Quod cùm & ipsis comœdis inuidiosum, & omnibus perniciosum esse compertum habuissent: lege lata factum est, vt à nominibus temperaretur: atque ita noua Græcis comœdia, Latinis satyra nata, & ea fortasse Gallis, quam vulgò Bazochiam appellant, si rem ipsam, verbíque etymologiam spectare libuerit. Βάζω enim loquor est Homero, vel dico: & χέω, fundo, & χῦδος, prodigus, effusor.

Satyras à Bazochiis non edendas, nisi quas ampliss. Ordo cõprobarit.

Vnde pragmaticæ nationis amanuenses, non à Basilica (vt quidam voluerunt) Basilicanos, sed Βαζοχείους, hoc est, verborum funditatores, σπερμολόγους, dicaces, appellatos existimauerim. Quorum ingeniis semper hæc libertas cõcessa fuit, vt in communem hominum vitam salibus impunè luderent: sed licentia in rabiem exeunte, & vetere comœdia redintegrari incipiente, necessarium fuit Amplissimum Ordinem parteis suas interponere. ITAQVE IX. Calend. Septembr. M. CCCC. XLII. Bazochios aliquot, eius criminis compertos, carcere ieiunióque coërceri placuit, & pane aquáque permissis, cæteris omnibus interim abstinere. Vetitũ præterea satyras amplius ne ederent, nisi quas ab ipso Ampliss. Ordine comprobatas Actuarius subnotasset.

III.

Idem.

ΒΑΖΟΧΕΙ'ΟΙΣ βαζοχέειν, τουτέστι, νέαν τὴν κωμῳδίαν ἄγειν, nisi petita Curiæ venia, non licere. VI. Non. Maias M. CCCC. LXXV.

IIII.

Bazochii ne quem, suis iocis, nomine, notísue prodant.

AD XIIII. Cal. Maii, M. D. L. de Bazochiorum rebus summam in controuersiam adductis, placuit penulam pignori abreptam, quòd amanuensis, cuia esset, Bazochianæ militiæ nomen dare noluisset, esse restituendam. Dare nomen cogendum neminem. Prohibitum ne quem suis iocis, nomine, notísue proderent: quòd si secus facerent, scirent pœnas corpore se daturos. Vetitum etiam ne quis ante IX. Cal. Maias, summùm, & sextam pomeridianam, tympano iuuenes ciêre auderet. Cætera, moniti medium tenere.

De furtis, Tit. IIII.

I.

Furtũ, quanlibet exiguũ, in max. Curiæ tribunali patratum, suspendio mulctari.

ΒΑΛΑΝΤΙΟΤΟΜΟΣ in Curiæ Curia, mediis altercationibus, ἐπ' αὐτοφόρῳ deprehensus, & in cancellorum aream inductus, legibus interrogatus, & testib' commissis obrutus atque oppressus, furtum audax illud quidem, sed ignobile, nempe assium sexaginta tantùm, plebeii hominis tenuitatem, resti luere damnatus est. X. Calend. Febr. M. D. XLIX.

De falsis, Tit. V.

I.

FALSI persequendi formulæ primordia, forensibus omnibus notissima, hæc sunt: vt, qui crimen obiicit, id primùm inscriptione profiteatur: postea falsi postulatus, id quod falsum esse dicitur, proferat: deinde falsi themata accusator edat: de quibus tum demum inquiritur, cùm ad rem facere pronuntiata sunt. Sed hoc non esse perpetuum ego didici. PLACVIT enim testes anticipatione rogatos, aliis etiam solennibus omissis, repetendos, cúmque reo nihilominus esse committendos. Ex tempore, ad exhedram rerum capitalium, VIII. Id. Mart. M. D. XLIX. Litigatoribus Luca Loduneo, & Iacobo Chasteo.

Solennia formulæ persequendi falsi aliquando prætermissa.

II.

REGII signi adulteratorem, eundémque Regii Amanuensis chirographi imitatorem, tessera sanctitatis mulctari non placuit: sed priuilegiarii *criminis ergô, ingentis pecuniæ damnatum ad* Pontificem relegari, è custodia eius non antè emittendum, quàm ære mulctatitio se liberaret. VIII. Id. Apr. M. CCC. LXXXV.

Regii diplomatis adulteratio, quòd ad priuilegiarium crimen attinebat, animaduersa.

III.

LODOICVM Chabotium & circa testes & circa tabulas, falsi cõpertum, parum esse visum est XV. millibus librarum (quas vocant) Parisiẽsium mulctari, nisi etiam iudicati, quod iusta de rerum controuersarum possessione abstulerat, iacturam faceret, & lis ex integro iudicanda pronuntiaretur: quanquam neque testes, neque tabulæ ad rem quicquam facerent, vt exitu tragœdiæ commonstratum est. Nam postea Iohannes Castillionius, Chabotii ex sorore nepos, iisdem copiis, quibus ille, instructus (falsis illis reiectis) nihil dissimile iudicatum expugnauit. Placitum primum pronuntiatum XIIII. Cal. Iun. M. CCCC. LXIX. Alterum VIII. Id. Iul. M. CCCC. LXXII. Tertium M. D. XV. Cal. Septembr.

Falsi compertũ mulctari, etiãsi quod fasum esse dicitur, non sit litis decretorium.

Falsis instrumentis reiectis, causa rursus cognita, nihilominus idẽ iudicatum.

IIII.

NON solùm qui in actis causæ adulterandis aliquid admiserit, causæ iactura plectitur, sed & qui falsam protulerit autoritatem. Cuius rei exemplum in Baptistam Belloregardium à Curia editum

Etiam eum, qui falsum instrumentum protulerit, causæ iactura plecti.

est, XIX. Cal. Sept. M. D. XL. Duas enim autoritates ab eo prolatas, dum alteram falsam, alteram falsi vehementer suspectam pronuntiaret, atque vt tales in iure lacerandas esse decerneret: hominem, receptitii criminis nomine, quòd alteram fabricasset, fabricaríue curasset, & vtraque vsus fuisset: ad calamitosam exhomologesim damnauit, ducenaria fraude mulctauit, ei Francia biennium interdixit, & Villenauxii primatus, quóde agebatur, iure casso, quòd ad possessionis causam pertineret, Harpocratem esse iussit.

V.

Idem.

HOC exemplo, quod in hoc à me, Bertrandi Belcierii Cognitore, prolatum erat, Classium inquisitoriarũ primaria fortassis adducta, Carolum Liuennium, secundum quem, canonicæ Themolatii præfecturæ vindiciæ fuerant dictæ, postea falsi pariter condemnatum, omni tandem possessionis iure cassum pronuntiauit, iustámque præfecturæ eius possessionem Belcierio addixit, IIII. Non. April. M. D. XLIX, ante Liberalia. Sed hoc in placito est, quod in illo non sit inuenire. Petebat Belcierius, vt in hunc iam falsi condemnatum, idem iuris, quod in illum, de possessione statueretur. Excipiebat hic, falsi pœnas alio iudicio, se dedisse: neminem ex eodem crimine bis esse puniendum. E' diuerso Belcierius, id quod petebat, falsi pœnæ esse partem: iudices, illo iudicio, solidam irrogaturos, si falsi quæstio, iustæ possessionis litem morata fuisset: quod & classem illam, hoc placito, ita existimasse videmus.

De Adulteriis, Tit. VI.

I.

Stuprum à famulo, altũ dormiẽti dominæ illatũ, morte multatum.

VT sapiens ille, ita me hercule, & sapientissime, Scurrile (inquit) vinum, tumultuosum temetum, & quisquis eo decipitur, desipit. Et quòd olim Romanis fœminis vini vsus ignotus fuerit, optima ratio traditur, ne scilicet, in aliquod dedecus prolaberentur: quia proximus à Libero patre intemperantiæ gradus, ad inconcessam venerem esse consueuit. Porrò si vinosa mulier cauponem maritum nacta sit, quid aliud est, quàm igni materiam comparasse? Cauponis institor (vt quidem ferebatur, nam criminis, de quo dicturi sumus,

quæstionem inspicere non licuit : neque quicquam cuiquam imponere, nobis est animus) cùm dubiæ existimationis dominam, vino captam, posito pudore, mentéque subalienata, interim aperto sinu mamillas, interim ad ignem accedentem, crus ostendere deprehendisset: cœpit de illa constupranda cogitare. Accidit vt cùm à cœna caupo, satis multa nocte, personatus aleator obambularet, domina conscenso cubiculo vinum edormitura, semel, iterum, ac tertiùm institorem ad se venire iussum, nonnullis de rebus compellaret. Ille & dominum abesse, & dominam vino madere animaduertens, vt eam iacêre, ac somno, vt vino, sepultã esse existimat, redit, ac comprimit dormientem. Cui si satis fuisset semel expleuisse animum, poterat id quidem ignoratum præteriri: sed iuuenis intemperantia fecit, vt illa paulò pòst repetito congressu euigilans, & aduentantis mariti strepitu commota, maximum clamorem ederet. Tum famulus fugere, ac se foras proripere. Domina cum marito, vt venit, de famuli procacitate, stupróque ab eo sibi illato grauiter expostulare. Maritus extemplò persequi, ac vbique locorum venari fugientem. Quo ad pontem molitorum dormiente reperto, is continuò ad domini genua prouolutus, & crimen ingenuè fassus ac deprecatus, in vincula coniectus est. Ex quibus lege Iulia de adulteriis coërcendis, & stupro interrogatus, nihil vnquam inficiatus est, nihil vnquam aliud, quàm summa cum simplicitate, ætatis vitium & oblatam occasionem incusans, perstitit veniam petere. Cùm autem dominus, domináque intellexissent famulum, alioqui commẽdabilem, in maximo vitæ discrimine versari: eos illius misertos, accusationis ita pertæduit, vt quem ad supplicium depoposcerant, ad ἀμνηστίαν efflagitarent. Sed tam rerum capitalium Legatus, quàm appellatæ Curiæ Conscripti, quanquam res non indigna miseratione videretur: eam tamen ad exemplum pertinere rati, ideóque nihil de legum acerbitate minuendum existimantes, famulum ad furcas damnauere tandem. Placitum pronuntiatum * Maii M. D. LI.

De raptu, quem in parentes appellant, TIT. VII.

I.

Matrimonii cognitionē sustineri, donec de raptu sit iudicatū.

ETIAM Curiæ decretis olim receptum erat, vt si quam, per matrimonium, quis rapuisse diceretur: Pontificius iudex de matrimonio, profanus de raptu cognosceret: neque alter alteri moram afferret vllam. SED postea placuit, matrimonii cognitionem sustineri, quoad de raptu iudicaretur. Par enim esse, vt de eo quod præcesserit, prius quæratur, hoc est, de calliditate, fallacia, machinatione, quam is, qui vis illatæ appellatur, adhibuerit, vt simplicem, credulā, imbecillam (satísne fuisset tātùm fœminam dicere?) circunueniret, falleret, deciperet. Fœminam (inquam) cui si per huiusmodi præstigias prouidere licuisset, quam nomini suo, familiǽque labem inureret: nunquam commisisset, vt suum in se, suósque proderet officium: neque vt ille, qui verè nuptias facit (consensum appellamus) interueniret. Cæterùm iusta matrimonii peragere, eíque viro misceri, qui de raptu causam diceret, forsan postridie vltimo supplicio afficiendus (præterquam quòd parum conueniret, nec admodum conduceret) triste quidem esset ac verecundum. Et reo eius criminis comperto, damnato, mactato, quid amplius de matrimonio quærendum est?

II.

Raptus, an de iuuene, vt de puella dici possit: in quos, & qualiter facinus animaduertendum.

SED si qua iam matura viro, & (vt inquit ille) iam plenis nubilis annis, vel suopte marte, vel etiam alterius auxiliis, adolescentem & genere & opibus se longè clariorem ac potētiorem, clam curatore, clam moderatore expugnauerit: & ad vxorem se ducendā ita pellexerit, vt & pacta, inconsulto adolescenti valde iniqua, publicè perscriberentur, & futurum matrimonium præsentibus iniretur verbis: videamus, sítne raptus, quódue aliud criminis genus: cui, vel quibus illud adscribemus: & ad quem, vel quos spectet illius persequutio: déque iis omnibus Ampliss. Ordo quid constituerit. PVELLA noxæ litíque exempta, innominatum crimen ita vindicari placuit. Pacta omnia, infecta facta atque inducta: præter quàm quòd ad matrimonii probationem, apud suum eius rei iudicem, possent

conducere: cuius adeundi, & matri & filiæ facta est potestas. Mater, cuius artibus res acta fuisset, & Principi & curatori & moderatori, pecuniæ damnata. Consultores, cautores, quòd ei operam dedissent: publici pactorum perscriptores, quòd iuuenem celassent, quid præsentanea sponsalia sibi vellent, quid donatione, vt erat propter nuptias facta, comprehenderetur: pecunia etiam pro cuiusquè personæ admissíque qualitate mulctati. Placitum pronuntiatum III. Non. Iunii. M. D. XXXV.

III.

RAPTVM, quem in parenteis appellant, placuit crimen esse translatitium, non Regiæ cognitionis. Itaque Aluillarios eiusmodi raptus insimulatos, fori præscriptione summotos, cùm ea de re Curiam appellassent, ad sua iura esse reiiciendos. XV. Calend. Mart. M. D. XLIX. Raptum in Parentes, crimē esse trãslatitiū, non Regiæ cognitionis.

De pœnis, Tit. VIII.

I.

AMBIANIS more maiorum comparatum esse dicebatur, si cui in vrbe, plures citra cædem, membrúmue mutilatum, manus attulissent: & vnus crimen in se reciperet, cæteros absolutum iri. At mos & damnatus est, & vetitum ne eius in posterum commemoratio à quoquam vsurparetur. III. Calend. Decembr. M. CCC. LXXXIX. Morem, de sociis, vno crimen in se trãsferẽte, liberãdis, antiquatũ, nec amplius vsurpandum.

II.

REORVM criminis compertorum, quacunque alia ipsi pœna puniantur, tamen perpetuæ memoriæ facti, infamiæ, exemplíque causa, ædes interdum dirui receptum est, & in Sauœsium, Consilii Prætoriani decreto editum, IX. Cal. Sept. M. CCCC. IIII: quòd eius familia in Academicos, diuæ Caterines, Lutetiæ publicè supplicantes, impetum fecisset, & ex eis nonnullos vulnerasset. Cuius rei etiam aliquid habetur in Curiæ commentariis. Ædes ob crimen dirui.

III.

ET iure ciuili, & constitutionibus Principum (quantùm mihi assequi licuit) non nisi vltimo supplicio crimen maiestatis expiatur. Maiestatis crimen non semper morte multari.

inuenimus tamen mitius actum cum Nicolao Orgemontano, Petri Orgemontani Nomophylacis filio, olim Curiæ Conscripto, tum autem diacono, sacris beneficiis onustissimo. Ei enim eius criminis comperto, ex arce Antoniana in auditorium Sodalitii Parisien. adducto: & exinde plaustro in forum venalitium euecto, atque ad cõiuratorum obtruncationis spectationem adacto: postea exaugurato, ac omni tam sacro, quàm profano ordine moto, in posterúmque prohibito: deinde ingentis pecuniæ, erga Principem damnato: reliqua quidem facta est vita, sed planè miserrima, pane videlicet ac frigida, perpetuo in carcere transigenda. Sed nostra in Gallia mulctarum irrogationes in arbitrio iudicantium sunt positæ. Prid. Calend. Maii, M. CCCC. XVI.

IIII.

Explosa vulgò iactata sententia, Qui non habet in ære, luat in corpore.

VTRIVSQVE iuris interpretibus inter se discrepãtibus, æquúmne ac bonum esset, reum, erga priuatum noxæ persecutorem, pecuniæ damnatum, inopia laborare cõpertum, atque adeò iudicatum facere non potentem, corpore coërceri: quandoquidem, ipsa iuris regula, in pœnalibus causis benignius est interpretandum (quod & Christianum est) pro summa Curiæ æquitate ac religione, Christianam (hoc est) humaniorem sententiam sequi placuit. Reum scilicet, antequam bonis cederet, custodia non esse liberandum. IIII. Cal. Apr. Anno à Martinalibus. M. CCCC. XXVII.

V.

Æris mulcta ieiunio commutata.

LIBELLVS supplex à Gulielmo Curtableto, sartore, in Iohannem Portanum, Curiæ Conscriptum editus, contumeliæque damnatus, suum autorem eò perduxit infamiæ, vt publica palinodia, Deo, Principi, Iustitiæ, Conscripto, læsa ipsius existimatio sarcienda esset: & recantatori, quem egestas ære mulctari non sineret, menstruum ieiunium, pane interim & frigida tantùm alendo indiceretur. Quibus recitatis, Cõscriptus statim professus est, honoraria pœna per se temperari licere: quod hominis clementiæ, modestiæque nunquam satis (meo quidem iudicio) commendatum ituræ datum est, nullo reliquæ animaduersionis præiudicio. VIII. Cal. Iun. M. CCCC. XXIX. Sed (quæso) à numaria pœna, quæ si ex rei facultatibus redigi possit, irroganda est, ad eam genii fraudationem

deſcendere, éſtne corpus afficere? éſtne eum qui ære (quod dicitur) nequit, cogere vt corpore luat: quod ſuperiore decreto, ipſi Curiæ diſplicuiſſe videmus? Eſſe quidem videri poteſt. Sed (vt interim omittamus, quod & canonica eſt ea pœna) ita eſt afficere, vt potius reficere ſit intelligendum, ſiue corpus, ſiue animum ſpectes. Τῆς μὲν γὰρ ἐγκρατείας ἴδιον (vt Philon ait) ὑγεία καὶ ἰσχύς: ἀκρασίας δὲ ἀσθένεια, καὶ νόσος γειτνιῶσα θανάτῳ. Et Baſilius magnus, ὅσον ὑφαιρεῖς τῆς σαρκὸς, τοσοῦτον ποιεῖς τῆς πνευματικῆς εὐεξίας, τὴν ψυχὴν ἀποστίλβειν. Et rurſus, ὁ τῇ σαρκὶ προσθέμενος, τὸ πνεῦμα καταγωνίζεται: καὶ ὁ τὸ πνεῦμα κα-ταταξάμενος, καταδουλοῦται τὴν σάρκα· ταῦτα γὰρ ἀλλήλοις ἀντίκειται. ὥστε εἰ βούλει ἰσχυρὸν ποιῆσαι τὸν νοῦν, δάμασον τὴν σάρκα διὰ νηστείας. Cæterùm planè minus eſt ieiunio coërceri, quàm ad calamitoſam bonorum ceſſionem carcere compelli: niſi ſi quis eſt, qui honori gulam præferri maluerit.

Pœnis fiſcalibus creditores præferri, TIT. IX.

I.

SI quis ob aliquod admiſſum facinus, cùm erga Principem, tum priuatum, noxæ ac maleficii perſequutorem, pecuniæ condemnatus fuerit: in ea exigenda, priuatum Principe fore potiorem. Prid. Calend. Iul. M. CCCC. I. In pœnalib⁹ iudiciis, priuatus Principe potior.

II.

REM ſuam perſequentibus, pœnæ exactionem poſtponi, Imp. Antoninus Marcello reſcripſit, & ita Curiæ placuit. v. Calend. Iun. M. CCCC. VII. Anglo enim poteſtate facta Digonem abducendi, vt iuſto ac legitimo bello à ſe captum: ipſóque Digone litis impendia, quódque Anglus damni accepiſſet, rependere damnato, & ob effractum carcerem ære mulctato: additum eſt, Anglum Principi anteponendum. Idem.

De cadaueribus punitorum,

TIT. X.

I.

Maiestatis damnatorũ sepulturam ferè nunquã, aut ægerrimè concedi.

QVOD ex Vlp. & Marcello, vel (vt alii volunt) Martiano, cap. I. & II. Tit. De cadaueribus punitorum, lib. Pandect. XLVIII. traditum est, eorum corpora, in quos animaduertitur, non aliter sepeliri, quàm si à Principe fuerit petitum & permissum: & nonnunquam non permitti, maximè maiestatis causa damnatorum: vsurpatum inuenimus in persona Iohannis Maresii, Regii Causidici, quem Liuius noster, Paulus AEmilius, lib. IX. De rebus gestis Francorum, tum facũdia clarum, tum disertissimum appellat. Is maximis Reip. temporibus, anno M. CCC. LXXXIII. quo, Lutetiæ, Carolus VI. de trecentis ciuibus sumpsit supplicium, alios bonorum parte dimidia mulctauit, reuulsas vrbis catenas in Luparam sustulit, magistratus municipales abrogauit: is (inquam) maiestatis quoque insimulatus, etiam obtruncatus est. Anno verò M. CCCC. VI. ad V. Id. Maias, eius ossa legi, decreto Curiæ permissa, condíque in sacello, quod ille ad diuæ Caterines excitauerat, dotaueràtque. Ex quibus duo hæc (bona venia) colligimus. Alterum, maiestatis damnatorum sepulturam ferè nunquam, aut certè ægerrimè concedi. Quid enim est, tãto temporis interiectu, illam impetrasse: quam, pro hominis alioqui dignitate, ab eius necessariis & propinquis, vix est qui animo præsumat tandiu neglectam fuisse? Alterum, Curiam, ea in re, Principis partes sibi vindicantem, vnius forsan Accursii autoritate, illud Euangelicum vsurpantis, Ioseph petiit à Pilato corpus Iesu. Quanquam hoc non attulerit Accursius, vt probaret id ad magistratus autoritatem pertinere: sed vt ostenderet non modò cognatis animaduersorũ, verumetiam quibuslibet petentibus indulgeri. Quod autem ipse contrà censuerit, à Principe impetrari debere, constat ex eius in titulum illum glossematis, quibus semel atque iterum hoc apertè declarat.

Ab autore inter excudendum addita

QVAEDAM, QVAE SIC SVIS REPONENTVR LOCIS.

Ad tit. Ecclesiastic. pot. ac Iurisdictionem, &c. lib. II. inter VI. cap. & VII.

NON potest (inquit Venuleius) improbus videri, qui ignorat, quantum soluere debeat. Sed (quæso) quis ille videri potuerit, qui sanguine clarissimus, dignitate Lugdunens. Archiepiscopus, & Galliarum primas, multis non modò millibus numûm, sed & massis (vt ferebatur) præditus aureis, modicam pecuniam soluere damnatus, aduersus iudicatum sic obduruisset (Franciscum dico Rohanium) vt ne teruncium quidẽ à se auferri pateretur? Sanè ab Ordine Amplissimo is esse visus est, in quem, veluti refractarium & legibus ac magistratibus non parentem (quæ & improbitas quædam Pædiano est) hoc exempli edendũ esset. PLACERE vt eius pignerata re prædiaria, ea sequestris cõmendaretur, qui eum, vniuersa cum supellectile (quandoquidem hoc iandiu perfugio, omnes omnium Ecclesiæ ministerio consecratorum ordines abutuntur, vt eorum cuicuimodi mobilibus manum iniicere, nefas esse ducamus) laribus & focis compellerẽt excedere. Fuit postea in quem, eo genere morbi, nec leuius laborantem, hæc autoritas è Curiæ tabulis repeteretur, IIII. Non. Maias, M. D. XXXVII. Stephanus Dous, videlicet, sacerdotiis quidem tenuissimus, sed cùm ære, tum latifundiis amplissimus, & qui ea de causa, Galliæ sacerdotum ditissimus appellabatur.

Sacris addictum, pecuniæ damnatum, refractarium, pignerata re prædiaria, compelli, vniuersa cum supellectile, laribus & focis excedere.

Ad cap. I. tit. De euictionib. lib. IX.

CVM Iohannes Guesleus Calcarius, Iuriscõsultus, Caterinæ Augustæ à libellis, vir sanè doctissimus, & cuius consuetudo est mihi longè suauissima, in hoc cap. incidisset: me monuit, videndum esse, adductúsne Vlpiani locus, non satis expẽsus, cùm alios multos, tum ipsos etiam iudices egregiè fefellisset. Enimuero fuisse vnum, esséque alterum Iuriscõsultos, hac ætate percelebres, qui dicerent, ídque

multis ac magnis argumentis, etiam si nihil amplius in venditione, expressiúsve venditor receperit, quàm vt ne teneatur re euicta: nihilominus tamen, vt pretium reddat, non teneri, nisi siquid dolo fecerit, puta, si sciens alienum vendiderit: in eóque Iulianum disertè ab Vlpiano esse reprehensum. Tum ego Pandectas omneis, quas haberem, & nostratium emendatiores, & peregrinas, hoc est, recèns è Noricis & Florentinis editas, atque etiam veteres manu scriptas excutere. Sed fortasse qua sum ingenii & doctrinæ imbecillitate, hoc in loco compertum adhuc non habeo, in quo Vlpianus Iulianum reprehendat. quin (nisi me planè fallit receptissimæ ópinionis autoritas, & Ordinis Amplissimi prærogatiua sententia) mihi videre videor Vlpianũ, qui tertia plus parte autor est tituli, De áctionibus empti, suos ad edictum commẽtarios persequuturum, existimasse, hac potissimùm in parte, Iuliano præ cæteris (vt fecit) vtendum esse, neque id quidem iniuria. Is enim erat, qui magnæ vir autoritatis, ante annos ferè centum, Hadriani videlicet temporibus, omnia Prætorum edicta, memoratu digna, in vnum collegerat, & sub titulis congruis posita, fuerat interpretatus. Sed & venit in mentem, emptionem & venditionem esse bonæ fidei contractum, ex quo certa quædam, etiam si de iis nihil conuenerit, tamen præstanda sunt, atque in primis euictio: qua qui se cupiat liberatum, magni refert generaliter, an expressè id agat. Nam si venditor apertè pronuntiet, per se hæredémque suum non fieri, quo minus rem habere liceat, posse defendi, ex empto eum in hoc quidẽ non teneri, quod émptoris interest: veruntamen vt pretium reddat, teneri. Et si æquè in venditione comprehẽdatur, nihil euictionis nomine præstatum iri: pretium quidem deberi, re euicta, vtilitatem non deberi. Hac enim (puta generali) conuentione, bonæ fidei contractum non pati, vt emptor rem amittat, & pretium venditor retineat. Si verò nominatim receperit, vt numos accipiat, quanuis merx ad emptorem non pertineat (veluti cùm futurum iactum retis à piscatore emimus, aut indaginem, plagis positis à venatore, vel pantheram ab aucupe: etiam si nihil capit, nihilominus emptor pretium præstare habebit) eum tum denique, non aliter, liberatũ iri. Quæ sunt omnes Iuliani sentẽtiæ ab Vlpiano adductæ, quas, cùm ipse dicit, CONTRA

DICENDVM ERIT, non eum mihi videtur arguere, sed potius emptori consulere, vt si venditor recipiat, se numos accepturum, etiam si merx ad emptorem non pertineat: contrà esse excipiendum, NISI FORTÈ SCIENS ALIENVM VENDIT, vt est in libris Florentinis. Tunc enim secundum aliam illic suprà relatam Iuliani sententiam, ex empto eum teneri, quia dolo facit. Nec erat illa sententia, GENERALI CONVENTIONE, RE EVICTA, NON TENERI, ET NIHILOMINVS PRETIVM DEBERI, vna vnius Iuliani sententia. Nam triginta ante eum plus minus annos, M. Antistius Labeo idem ferè censuerat, lib. IIII. Posteriorum à Iaboleno epitomatorum, quod est quinquagesimum cap. eiusdē tituli De actionib. empt. Sic enim ait, Bona fides non patitur, vt cùm emptor, alicuius legis beneficio, pecuniam rei venditæ debere desiisset, antequam res ei tradatur, venditor tradere compellatur, & re sua carere. Possessione autem tradita, futurum est (vt rem venditor æquè amitteret, vtpote cùm petenti eam rem, *emptor exceptionem rei venditæ & traditæ obiiciat*) vt perinde habeatur, acsi petitor ei neque vendidisset *neque tradidisset*. Quod caput video multis negotium exhibuisse. Hæc nanque verba, EMPTOR EXCEPTIONEM REI VENDITAE ET TRADITAE OBIICIAT, VT PERINDE HABEATVR ACSI, quæ in nostris manu scriptis, atque aliis nostratibus penè omnibus habētur libris, Francisc. Taurellius admonet in Hetruscis desyderari, eáque se addidisse, vt conmodius ac perfectius sententia redderetur. Habent ii, REM VENDITOR AEQVÈ AMITTERET: illi longè diuersum, nempe, AMITTERET, quod tamen glossematarius est amplexatus, nihil non subaudiēdum esse docens, quod detortum videri possit. Et quænam lex illa esset, cuius beneficio, emptor pecuniam rei venditæ debere desiisset, ab interpretibus est indubitatū. Idem glossematarius, aut alius, quisquis ille fuerit, de in integrum restitutione minoris, vel iniqui iuris impetratione accipi voluit, quorum alterum verius esse putauit Albericus. Mihi verò, si post eos dicere fas est quod sentio, neutrum valde probatur. Nam quòd pertinet ad in integrum restitutionem, constat eam ab edicto manare, quo Prætor, tutelam minorum suscipiens, eis pollicitus est

auxilium, & aduersus captiones opitulationẽ. Iniqui verò iuris impetratio, nihil aliud, nisi priuata iniuria est, quam aliquo postulante infert alii magistratus, vel qui potestatem habet. Igitur neque hoc, neque illud aut est, aut satis rectè lex appellari potest. Itaque putarem Labeonem, cuius ea est sententia, de ea præ cæteris, si quæ sunt aliæ huiusmodi leges, sensisse, quæ nouis de tabulis conficiendis interdum rogaretur, ab illo Hebræorum Iubileo fortasse deducta, & ab AEgyptiis (vt tradunt) ad Græcos, & ab iis ad Romanos trãslata : quam ille, iuris optimus sacerdos, sic execrabatur, vt ne nominandam quidem existimaret. de qua Liuius, de Nabide Lacedæmoniorum Tyranno, cùm Argos occupasset, loquens, dicit, Aduocata cõcione, rogationem promulgauit, vnam de Tabulis nouis, alteram de Agro viritim diuidendo, duas faces, nouantibus res, ad plebem in optimates accendendam. Sed & si M. Tullium audire libuerit, Qui populares (inquit) esse volunt, ob eámque causam aut agrariam rem tẽtant, vt possessores suis sedibus pellantur, aut pecunias creditas, debitoribus cõdonandas putant: labefactant fundamenta Reip. Et post alia quædã, Habitẽt gratis in alieno, quid ita? vt cùm ego emerim, ædificauerim, tuear, impendam, tu, me inuito, fruare meo? quid aliud est, nisi aliis sua eripere, aliis aliena dare? Tabulæ verò nouæ quid habẽt argumẽti, nisi vt emas mea pecunia fundũ, & eum tu habeas, ego non habeã pecuniã? Cuiusmodi lege, si eam post cõtractã emptionẽ & venditionem, pretio nõ soluto, ferri contigisset: dici poterat, illud emptorem desinere debere, &. venditorem, eúmque creditorem (is enim est etiam, cui ex quacunque causa debetur) vel fundum vel pecuniam amittere. At verò cùm lex bonæ fidei contraria, & (vt ille dicebat) labefactans Reip. fundamenta, ad contractus ea fide præditos non esse producenda videretur: inuenta est ratio, qua venditori consuleretur, si, videlicet, res tradita non esset, vẽditor id facere, atque ita re sua carere nõ compelleretur: si verò tradita esset (quandoquidẽ alioqui venditionis ac traditionis exceptione, stricto iure, venditor summoueri posset, atque ita fundum amittere) ne quid legi derogatum putaretur, fingendum esse, eum neque fundũ vendidisse neq; tradidisse, sícque illi eũ condicere licere, quasi sine causa esset apud emptorem. Ex quibus relinquitur (meo qui-

dem iudicio) ea verba, VT REM VENDITOR AEQVÈ AMITTERET, VTPOTE CVM PETENTI EAM REM, EMPTOR EXCEPTIONEM REI VENDITAE ET TRADITAE OBIICIAT, parenthesi fuisse includenda: VTQ; particulam, pro quòd, quoniam, quandoquidem, fuisse accipiendã, quemadmodũ ex Terẽtii Phormione obseruatũ, est inuenire: vt sit illa, quam diximus, parenthesis sententia, Quandoquidem alioqui rem venditor æquè amitteret, ac tradidit illius possessionem: nisi si quis omnino contraria, ídque eadem oratione maluerit dixisse Labeonem. Et hoc fortasse iuris artificiũ, vt æquitatis videlicet ratione, factum pro infecto habeatur, illud est, de quo sensit Vlpianus, tit. De exceptione rei venditæ & traditæ, libro
„ Pandect. XXI. Siquis (inquit) rem emerit, non autẽ fuerit ei tradita,
„ sed possessionem sine vitio fuerit nactus: habet exceptionem contra
„ vẽditorem, nisi fortè iustam causam habeat, cur rem vindicet. Nam
„ etsi tradiderit possessionem, fuerit autem iusta causa vindicandi: re-
„ plicatione aduersus exceptionem vtetur, veluti si pretium solutum
„ non fuerit: quia (vt ille idem ait, De tributor. act.) res à me venditæ
„ non aliâs desinunt esse meæ, quanuis vendidero, nisi ære soluto, vel
„ fideiussore dato, vel aliâs satisfacto: itaque eas vindicare possum. In summa, quæcunque inter eos vel codices vel interpretes fuerit dissensio, omnes tamen in eam vel Iuliani vel Vlpiani sententiam conuenere tandem, bonæ fidei contractum non admittere, vt generali conuentione, quæ lege latius non est interpretanda, emptor rem amittat, & pretium venditor retineat: vel è contrario, rem habeat emptor, & venditor vel rem vel pecuniam amittat, quorum par atque eadem est ratio. Secus autem si nominatim conuenerit, venditorem ad pretii restitutionem non teneri. Tum enim emptorem donasse videri, atque adeò petere non posse, per regulam, qua dicitur, Cuius per errorẽ dati repetitio est, eius consultò dati donatio est.

Ad tit. De sequestratione lib. IX. inter I. & II. cap.

Rem sequestro commendatam, neutri litigatorum esse locandam.

QVIBVS contigit ac libuit veterum sequestrorum rationes expendere, ii me hercule satis compertum habent, huiusmodi homi-

nes, hoc in publico munere, vt plurimùm ita versari solitos, vt accepti paginæ (nequid peius interea dicam) expẽsi paginis vix vnquam responderent. Rectè igitur à Francis. Valæsio primo constitutum est, res controuersas, sequestrorum custodiæ commissas, ei, certa pensione formáque locatum iri, qui supremus omnium liceretur. Sed litigatores essẽntne cum cæteris omnibus admittendi, an verò ab hasta summouendi, nec semel aut iterum venit in disceptationẽ. ET perpetuò placuit omneis omnino litigatores arceri, siue familiæ erciscundæ ageretur, siue de retinẽda possessione interdictum esset, siue etiã vxor, mortuo marito, in eius domo se manendi ius habere contenderet. Neque enim satis esse cautum, si, ne litigatores ad rixas & arma deueniant, res controuersa illi à Prætore permittatur, qui vicerit licitatione. Sed cùm iudicis officium sit, lites non modò sententia dirimere, verumetiam deminuere: eum modis omnibus, atque in primis sequestratione, si res ita tulerit, conari oportere, vt litigatores de re controuersa moribus deducti, sic tædio & deductionis & litis afficiantur, vt ipsi vel per se, vel honoraria amicorum opera, aut litem componãt, aut positis omnibus fori præstigiis, ambo eam vrgeant, & ad calculos, quanta maxima fieri possit, diligentia perducant. Inter cætera huius argumenti placita, tria extant celeberrima. Primum, pronũtiatũ arestis Septembribus, M. D. XXVII, litigatoribus Gabriele Allegreo, equestris ordinis, & Comite Iuïgnia. Secundum, arestis Andræanis, M. D. XXXVII, Ambigentibus Iohanne Briconneto, Antoniíque Mallii vidua. Tertium, VI. Id. Febr. M. D. XLIII. disceptantibus, vidua Iohannis Pradalis, Stephano & Iohanne Pradalibus.

Ad cap. II. tit. De auctionib. publ. lib. XI.

POSTREMA illa, quam diximus, lege, dedit operam Princeps Opt. Max. vt auctionum rationes, tot, tantísque remoris impeditæ, ad aliquem portum tandem appellerent. Studuit ille quidem, ea in re, suis hominibus commodare: sed valde vereor, ne res omnino ex illius animi sentẽtia nõ succedat. Legis eius cap. X. ferè sic habetur:

» Intercessiones, quæ de rebus auctioni suppositis, earúmue parte
» eximenda auferendáque, vel de prædiariis oneribus erunt cõceptæ,

" separatim, antéque omnia iudicanto: cæteras omneis post so-
" lénem rerum addictionem, ad pretii distributionem reiiciunto.
" Tum si cui, præstandæ autoritatis nomine, res inuentæ fuerint ob-
" noxiæ, nec dum vlla illi mota sit controuersia, cuius causa auto-
" rem laudare habuerit: alii creditores post eum collocati, in eius
" locum succedentes, suum quisque ordine recipiunto: si tamen
" fideiussoribus, nexúque cauerint, se, quod recepturi sint, euictio-
" ne consequuta restituturos.

Quæ si ex hominum commodis & vtilitate metienda sunt, vt ferè fit in rogandis legibus & recipiẽdis, vix melius fieri potest, quàm si veterem (quod ad nostrum institutum pertinet) auctionum rationem hac cum noua conferamus. Sed antequam id facimus, hoc vnum oportet teneamus, auctiones, creditorum gratia, in debitores esse comparatas, non huiusmodi hominum causa, qui cùm auro forulos omni festinatione compleuerint: nihil aliud spectant, quàm si quis egregiè prædiatus, ære alieno sit oppressus, cuius prædia auctionibus inuolent, præsertim pactitiis: quibus debitores, satis alioqui obstrictos, obstringant etiam vehementius, & habeant plerunque miserius. Veterum moribus, auctionum fabula ad catastrophen perducta, si quid esset exemptoriæ intercessionis, id primum omnium conficiebatur: postea ipsarum auctionum controuersia: deinde cæteræ intercessiones. Si quid eximendum videretur, eximebatur: reliquum, ritè factis auctionibus iudicatis, suis cum oneribus addictum iri iubebatur, puta, iuribus primariis, hoc est dominicis, sumptibúsque auctionariis, autoritatibus, euictionibus, & aliis, quæ debita comperta fuissent: ídque quo quisque intercessorum loco, numeróque habitus fuisset. Tum si cui erat in animo liceri, is sibi ex ordinis creditorũ constitutione (quod discussionis iudicium forensibus appellatur) post dominica iura, sumptúsque auctionum, de quibus nihil vnquam decedit, tantum in se oneris recipiebat, quanti fundum, qui proscriptus erat, æstimasset: vt (verbi gratia) si debitum antiquius, centum aureorum vectigal perpetuum fuisset, ex iis decem in licitationem insumpsissem, alius viginti, alius quinquaginta, alius totos centum aureos, ac præter eos, euictionem, & sic de aliis oneribus: nec ad numariam

licitationem antè veniebant, quàm ea omnia licitãdo exhausta fuissent. Qua ordinis constituendi & licendarum rerum ratione, quibus præstatio autoritatis, euictióque, vel aliud id genus iudicatum fuisset: certi erant, si quis eos lacesseret, ad res auctionatas & addictas se redituros, atque ita suum recuperaturos. Nunc autem exemptoriis intercessionibus confectis, atque aliis, quæ realium onerum appellatione, noua lex coniicienda relinquit, litibúsque de autoritatis, ac euictionis præstatione iam motis: eiusdẽ generis aliæ, quæ quando futuræ sint, nemo est qui præsentire queat, omnes sunt ad pretii distributionem, & à rebus ad fideiussiones ac repromissiones, hoc est, à certo ad incertum relegatæ. Certè quidem libenter ac confidenter, AD INCERTVM, dixi, cùm Vlpiani, tum etiam Pauli sententia fretus: quorum primus, libro secundo fideicõmissorum, tra-
„ dit scripsisse Mœcianum, Si seruo suo rogatus sit, cum libertate quis
„ hæreditatem restituere: eum à seruo suo non posse cogi adire hære-
„ ditatem, nec si quidem paratus sit quis domino cauere de indemni-
„ tate, & serui pretium offeratur. Enimuero non oportere, sub incerto
„ cautionis, cõmittere se aditioni hæreditatis. Alter, libro duodecimo
„ ad edictũ, Vtique, inquit, etsi pupillo cautum sit, melius dicitur rem
„ suam restitui pupillo, quàm incertum cautionis euentum eum spe-
„ ctare. Et ipse idem, libro secũdo fideicõmissorum, Dicẽdum est, ait,
„ vt hæres qui suspectam dicat hæreditatem, non sit cõpellendus adi-
„ re, si incertum sit, an absens procuratori mandauerit, vt desyderaret
„ restitui hæreditatem, quanuis ei caueatur: propter fragilitatem cautionis. Quamobrem cùm quis, cohæredis sui pignoribus captis, eorum auctionibus, duobus inter cætera nominibus intercessisset, vno, euictæ partis earum rerum, quæ familiæ erciscundæ iudicio ei obuenissent: altero, præstãdæ autoritatis cùm reliquæ portionis hæreditariæ, tum certorum prædiorum, quæ ipse à cohærede comparasset: peterétque vt si contingeret eum à creditoribus, qui in eius locũ, ea lege, si seruaretur, succederẽt, eorúmq; fideiussoribus, lapsis postea facultatibus, suũ recipere nequiret, ei ad primarias hypothecas regredi liceret: ius & æquum non mihi modò visus est postulare, sed & multis aliis doctissimis ac grauissimis viris, à quibus & hæc in primis addebãtur. Iure, compertissimo videlicet pignoris vel hy-

pothecæ obligationem, vt consensu contrahi, ita etiam dissolui, nec nisi eo modo nexum eius euanescere: túmque demum liberari pignus, si solutum sit debitum, vel eo nomine satisfactum: at iis cessantibus, proculdubio pignus tenere. Pro re hæreditaria iam euicta, numeratione solui non posse, inuito intercessore: sed tantum ex cohæredis rebus auctionatis, pro hæreditaria illius portione sumendum, & intercessori tribuendum, quantum ei fuisset ablatum: ídque ex natura familiæ erciscundæ iudicii. De his autem rebus, quæ nec essent euictæ, nec vlla dum mota controuersia, in præsentia neque solui, neque satisfieri commodè posse. Non est enim præsagire an, aut quando futura sit controuersia: résne totæ, an earum pars euincatur. Itaque nihil tutius, nihil congruentius esse, quàm si id quod tam multis antè seculis placuisset, etiã nunc à nobis retineretur, videlicet, vt res, suis illis cum oneribus addicerentur. Ait quidẽ Marcianus satisfactum videri, si pro hypotheca fideiussor datus sit, vt ea liberetur: sed hoc ita demum, si conuenerit. Et (vt inquit Vlpianus) qui non admittit sactisfactionem, sed solutionem desyderat (quod & genus omne *securitatis complectitur) culpandus non est*. Imò verò in satisdatione, nisi conuenerit, non vtimur (*inquit ille*) Atilicini sententia, qui putabat, si satis alicui daretur certæ pecuniæ, recedere eum à pignoribus debere. Dixerit alius, quod antea creditori erat voluntarium, lege noua factũ est necessarium, vt, velit nolit, sit ei, ex illius præscripto, satis accipiẽdum. At certo certius est, Regem Opt. Max. nunquam in animum induxisse, vt quicquam cuiquam, alius augendi gratia tolleret: huic aut illi, hoc est admodum paucis caueret, cæteros periculis obiiceret: iis excidiũ, illis præsidium compararet. Vix est enim, aut ne vix quidem, vt quicquã ad euersionem Reip. cuius ille curam gerit, magis pertineat. Ex quo credibile est eum non ægrè laturum, si nos ea lege, quam nec ipse rogauit perpetuam (est enim velut in fiduciæ concepta speciem, interea dum res melius constitueretur) aut ipsi non vtamur, quemadmodum multæ tum veteres, tum nouæ in desuetudinem abierunt: aut eam sic accipiamus, vt nihil, aut quàm minimùm habeat iniquitatis. Emptiones & vẽditiones quædã sunt publicæ, quædam priuatæ. Publicas voco, quæ fiunt proscribente addicentéque magistratu. Earum,

aliæ quidem voluntariæ, & (vt diximus) pactitiæ : aliæ verò necessariæ. Priuatæ quæ sint, & quibus numeris alias exuperent, nemo est vsque adeò rerum imperitus, vt non intelligat. Et hæreditatum & rerum communium diuisiones, atque etiam permutationes, quis adeò est stupidus, vt nesciat multò plures esse, quàm publicas venditiones, siue volũtariæ sint, siue necessariæ? Hæc cùm ita sint, nisi eam legem, vt dictum est, accipiamus, quibus tandem vsui esse potest? Sanè non nisi emptori & venditori : huic, quòd fortasse maioris res sua veneat: illi, quòd ipso velut interprete Mercurio, statim sibi comparet fundum, in securitatis arce collocatus, cæteris omnibus, quibus euictio, etiam ex familiæ erciscũdæ iudicio deberetur, interim summotis, & ad fortunæ ludibria planè reiectis. Si à fundo in fundum ius hypothecæ transferendum est (quod noua lex velle videtur) planum est id fieri oportere nihil deteriore creditoris conditione : quod in nostra specie esse non potest. Si enim qui in locum reiectorum successerint, dato fideiussore, iam tum erãt in ære alieno: certum est eos nihil per hoc suis offecisse creditoribus, quin ii semper primas sibi vindicent : atque ita fiet vt ius hypothecæ vetustissimum, puta quod seculum excesserit, ad anniculum, imò verò fortassis ad nihilum redigatur, prioribus succedentium creditoribus vniuersum eorum patrimonium exhaurientibus. Memini virum & iurisprudentia & longo rerum vsu peritissimum, mihi narrare se, ante huiusmodi legem, in cõsilium adhibitum ac rogatum quanam ratione prædiorum auctiones & addictiones quàm citissimè confici possent: post aliquot dies respondisse, se nullam aliam inuenisse, quàm huiusmodi tralationem & fideiussorum dationem: sed nec eam certè quidem satis tutam, quo certè nihil verius esse potest. At (inquiunt obærati) nunquam alioqui futurum est vt vendamus, atque ita nos liberemus. Succinunt emptores, Pretium numerauimus: siquis sua interesse putet, illud persequatur : nos in tuto esse oportet. Et oportet quidem, sed post eos qui tempore sunt priores, atque adeò iure compertissimo potiores. Numerauit emptor, sed hodie : illi fortasse ante annos triginta aut numerauerunt, aut aliter contraxerunt. Debitores autem vel frugi sunt, vel decoctores. Si frugi, vt inter viros bonos bene agitur, ab iis vendentibus neque

auctiones neque addictiones poſtulantur. Si contrà, & huiuſmodi cautiones emptor adhiberi velit, ideóq; res minoris veneat, illis ipſis imputandum eſt. Alioqui enim foret, vt patrimoniorum euerſores & optimi patreſſamilias æqua lance penderentur, quod recta Reip. conſtituendæ ratio non patitur. Quinetiam ſi rem penitus introſpiciamus, obæratis ipſis non modò non prodeſſe noua lex, verùm (niſi maximè fallor) etiam obeſſe poteſt. Nec enim in eis eſt, vt cùm primùm res eorum addictæ ſunt, ipſi ære alieno ſe liberent: cùm earum pretia non illis numerentur, ſed apud officium, aut aliò deponantur, tantiſper dum de creditorum interceſſionibus & eorum ordine, nihil minore quàm antea negotio, diſceptatur: obærato interim neque pretio, neque prædiis, vel per ſequeſtrum, potiunte, ſed & ære alieno, ſaltem quòd ad pēſitationes attinet, in dies ingraueſcente: vt ferè nihil aliud inde conſequamur, quàm ſi cupidus aliquis, obærati cuiuſpiam fundum affectauerit, is, intra paucos dies, voti compos efficiatur, & poſtea ſecurus, velut è ſpecula, tragœdiam ſpectet, quam obærato, eiúſque omnis generis creditoribus excitarit.

Ad tit. De ſacris ſodalitiis, &c. inter IIII. & V. cap.

AEDITVORVM munera, tametſi magna ex parte circa res ſacras eorum cura verſatur: nihilominus tamen vel eo profana eſſe conſtat, quòd vbique ferè gentium profani homines ad ea deliguntur. Quamobrem cùm ad pontificium Nouioduni iudicem Rotuniani in ius vocati fuiſſent, vt in eius verba iurati, ineundæ prouinciæ ab eo caperent auſpicia (quod & ille maiorum moribus comparatum vſurpabat) & à vocatione in ius, hi, abuſum cauſati prouocaſſent: rectè atque ordine prouocaſſe pronuntiati ſunt. Ex tempore, IIII. Non. Decemb. M.D.XXXIX.

Æditųos inſtituere, non eſſe Pontificis.

Ad tit. De poteſt. ac iuriſdict. Eccleſ. lib. II. inter ipſum tit. & I. cap.

POTEST quidem Archiepiſcopus prouincialem Epiſcopum in ius ad ſe vocari iubere, in eúmque ius dicere: ſed neque per Iu-

Archíepiſcopum in prouincialē Epiſcopum animaduertere nō poſſe, niſi per ſeipſum adhibitis aliis prouincialib. Epiſcopis.

ridicum, quem officialem appellant, neque per vicarium quacunque præditum potestate. Quî ergo? Sanè per semetipsum & alios prouinciales Episcopos, quos in consilium adhibere habet necesse. Cuius contrarium cùm Senonēsis Archiepiscopus in Niuernensem & Trecensem Episcopos vsurpasset, & ii abusum causati prouocassent: è forensi prælio superiores euaserunt: ille, anno M. D. L: hic, LIII. Laudabat Anna à Terreriis, Chappeanus, oraculi basilicani nunc facilè princeps, cùm Gulliel. Pellicerio, Nitiobrigum antistiti, viro omni genere doctrinæ nunquam satis celebrādo, cum aliis de iure responderet.

Ad tit. De Principe, lib. III. inter V. & VI. cap.

Vsucapionē procedere aduersus Principem, etiam impuberem.

IN cōputandis, circa res Principis, vsucapionis tēporibus, is prima fronte videri potest, subditis suis lōgè deteriore esse conditione. His enim tempus minoris ætatis, citra controuersiam subducitur: illi verò nequaquam. Sed hoc tam variè, quòd ii res suas, id ætatis, nisi per tutores aut curatores, vel his autoribus, nequeunt administrare. Ille autem quandocunque ei regnum obueniat, nulla (vt diximus) ætatis habita ratione inauguratur, & de agnatorum gentiliúmque sententia, Remp. administrat: & semper cùm suum, tum etiam publicum actorem habet, in potestate cuius sit quando agat. Quæ fuit eorum penè omnium sententia, qui Principi Druydes aduersus Niuernensium Ducem vindicanti iudicarunt, vt mihi narrabat vnus ex eis F. Briconnetus, Curiæ conscriptus, vir integerrimus: quorum placitum pronuntiatum est IIII. Non. Maii M. D. LI.

Ad tit. De offic. Præfecti vrbi, &c. lib. VI. inter X. & XI. cap.

Conquisitores vrbani suas regiones incubare, & secum viatores habere iussi.

PRID. Id. Iul. M. D. XIIII. iussi sunt Conquisitores vrbani eas incubare regiones, quibus erant adscripti: & malis hominibus exigendis, secum viatores habere. Ex quibus incessit animus hîc aliquid addendi, quod si non nostris hominibus, propterea quòd eis hæc (vt puto) satis aperta sunt: tamen extraneis nihil non luminis afferet, & vtrosque fortassis legisse non pœnitebit. Vrbem videlicet re-

giam (*Lutetiam* intelligo) duodecim portis patentem, in ſedecim regiones iam olim fuiſſe diuiſam. Sedecim regionibus ſedecim miniſtros ciuiles fuiſſe adſcriptos (quos etiam nunc Regionarios appellant) totidémque Conquiſitores, quibus longo pòſt tempore, ſedecim alii ſunt additi: illos, mandatorum, quæ à V̄ VIRIS Rei vrbicæ conſtituendæ acciperent, exequutionem, ſuis in regionibus, per ſuos quinquagenarios ac decuriones curaturos: hos, ſuas frequenter regiones obituros, & de omnibus quæ aduerſus ciuium ſalutem, ciuitatis incolumitatem, vitæ hominum quietem ac tranquillitatem admitti dicerentur, omni ſtudio ac ſolertia conquiſituros, atque adeò malos homines vel metu vrbe fugaturos, vel comprehẽſuros, ducturos, ducíve iuſſuros, iure ac legibus interrogãdos, atque ad furcas, ſi res ita poſtularet, damnandos, aliáve pœna plectendos. Furcas (inquam) quas totidem columnis cõſtare, adhuc eſt conſpicere, quot vrbem regionibus, quot miniſtris ciuilibus, quot primariis Conquiſitoribus, totidémque quacunque trabibus, quot portis vrbs ipſa concluditur: vt ſiue id rerum cõſonantiæ, fato contigerit, ſiue *de induſtria factum eſt, dici poſſit, boni aliquid ominis* portendiſſe. Eſt enim in duodecim triplicatus, & in ſedecim quadruplicatus, numerus quaternarius: ex quo, velut ex radice pullulat, vel quaſi ex fundamẽto, numerus conſurgit omnis: quo mundi elementa eſſe diſtributa nemo eſt vſque adeò rerum humanarũ rudis, vt neſciat: quo muſica omnis harmonia comprehenditur: qui omnibus in diſciplinis (vis dicã & artificiis?) primas ſemper obtinet. Et, ſi cui altius conſcendere libuerit, quo Deus Opt. Max. יְהוָה ſuũ illud nomen, antiquis ineffabile, conſtare voluerit: qui denique nobis & diuinæ Triadis & eiuſdem Monadis præbet ſignificationẽ: quæ cùm adeſt hominum inſtitutis, adeſt omnia perficiẽs, omnia complens, omnia elegantia donans, & inter ſe conſonantia, ſecum faciens conſonatiſſima.

Ad tit. De minorib. XXV. ann. lib. VII. inter II. & III. cap.

CREDITORI, debitum à tutore minoris per viatorem repoſcenti, reſpondit tutor, ex rebus minoris ſe non habere, quo id Publicam prædii pupillaris addictionem

non ideò minus aliquando valuisse, quòd per tutoris mēdacium, mobilia pupilli excussa nō fuissent.

æris alieni posset dissoluere. Quod viator vt audisset, prædio minoris manum iniecerat: quod postea, seruatis cæteroqui solennibus, vltimò licenti fuerat addictum. Vnde maior factus quum prouocasset, dicebat tutorē viatori egregiè imposuisse: quòd tum temporis, è prædiorum suorū fructibus longè longéque plus percepisset, quàm quod esset nomini expediendo necessarium: sibi dolum tutoris officere non debere. ET nihilominus addictionem valere placuit: potestate tamen prouocatori facta (vt ab eo postulatum erat) prædium suum recipiēdi, si intra certum diem, addictionis pretium sumptúsque legitimos numeraret. Cæterùm si quid sua interesset, ad tutorem illi esse redeundum. Ex tēpore, pomeridianis actionibus, IIII. Cal. Decēbris, M. D. XXXIX. Quod credibile est magna ex parte à lege Valæsia, de Iudiciis, emanasse: quæ paulò antè lata, palàm in Curia recitata fuerat atque in acta publica regesta, videlicet VIII. Id. Sept. quæ proximæ fuerant. Cuius LXXIIII capite ferè sic habetur,
" Si debitori, vel in personam, vel in prædia, manus iniecta sit, & de in-
" iectione quæratur, recténe atque ordine facta fuerit: mobilium dis-
" cussionem ne exigunto. Et si ad hominem (vt dicitur) eiúsve larem,
" solutio imperata sit: nihil præterea desyderanto.

Nec enim antea tutoribus, nonnunquam lucri sui gratia tale quidpiam asseuerantibus, temerè credebatur. excutiebatur an pupillus pecuniam haberet vel in numerato, vel in fructibus conditis, vel in mobilibus, vel in mouētibus. In eam rem iubebantur tutores edere rationes, itémque synopsin pupillarium bonorum: neque antè ad prædiorum distractionem deueniebatur, quàm si nihil aliud esset, quo æs alienum commodè posset extenuari. Et si quid obreptum fuisset: non modò in personam, aduersus tutores, sed & in rem, pupillo manebat actio. Quibus fortasse regustatis, Amplissimum Ordinem inuenies minoribus postea magis consuluisse.

Ad tit. De priuatis Vectig. lib. VII. inter II. & III. cap.

Vtile per inutile non vitiari.

PRAESENTI partim pecunia, partim prouentibus numariæ pensitationis, alia, etiam numaria, pensitatio vendita erat ac constituta. Hanc venditor dicebat in totum esse nullam: nempe fœnera-

titiam. Exiguum enim fermentum (vt diuus Paulus ſcribebat Corinthiis) maſſam totam fermentare. Defendebat emptor, pro ea ſaltem parte valere, qua ipſe numeraſſet. vtile nanque per inutile non vitiari. PLACVIT penſitationis conſtitutionem eatenus valere, quatenus eſſet ab emptore numeratum. Ex tempore, pridie Id. Quintil. M. D. XLVII.

Numariæ pẽſitationis cõſtitutionem, pro ea parte valuiſſe, qua fuiſſet numeratum.

Ad finem tit. De commiſſa inter coniuges rerum communitate, lib. VIII.

SANZAEIAM Nocarrius in ius vocauerat, mariti litem agnituram, ſuſcepturámque vel ex aſſe, propterea quòd coniugum nobilium ſuperſtiti, mobilia omnia moribus acquiruntur: vel ex ſemiſſe, propter cõmiſſam inter quoſcunque cõiuges huiuſmodi rerum communitatem. Dicebat Sanzæia id quidem ſibi iuris, moribus eſſe delatum: ſed ſe non agnoſcere, neque eo in præſens tempus vti velle. Si nõ agnoſcis (inquiebat Nocarrius) & hac te lite, Sanzæia, cupis explicatam, oportet vt iam nunc eo iure te abdices. Quaſi verò (referebat Sanzæia) non tibi, Nocarri, ſatis eſſe debeat, quòd mariti ex me filium hæredémque habes, quî cum tibi liceat experiri, vt etiam interim me rerum incertam cogas in ſcopulum impingere. PLACVIT Sanzæiam feciſſe ſatis, neque in eas anguſtias eſſe redigẽdam, vt quod ei mores detuliſſent, in præſentia vel admittere, atque adeò litem agnoſcere, vel reiicere, & ſic ea ſe liberare teneretur.

Eſſe aliquãdo cur quis nõ teneatur, in tempus præſes, id agnoſcere vel repudiare, quod ſibi iure vel moribus ſit delatum.

Ad tit. Familiæ erciſc. lib. VIII. inter ipſum tit. & cap. I.

EA pars iuris Monteforti moribus conſtituti, quæ primigeniorum mentionem habet, ferè ſic loquitur,

AEdes ſeptáque, ſi qua erunt, aut ſi nulla ſint, quatenus ab ædibus, capi volatus patet, quæ cùm beneficiaria tum primaria pater vita functus habuerit, filiorum natu maximi ſunto præcipuum.

Cæterarum rerum, quæ beneficii ius ac nomen retinebunt, is ipſe alterum ſemiſſem, alii ſimul omnes alterum habento.

Contigit vt huiuſcemodi rerum in Moyſenii hæreditate nihil eſſet,

Ædes ſeptáque beneficiaria filiorũ natu maximo deberi, etiã ſi nihil aliud ſit in beneficio.

præter vnicas ædes & septa, quæ natu maximus vni sibi vindicabat. Dicebant fratres id iuris municipii sui sic esse accipiendum, si quid esset, præter ædes & septa, cuius natu maximo semisse dato, ipsi alterum semissem consequerentur. Alioqui se nihil habituros, non secus atque si vel nothi vel exhæredes essent, quo vix quicquam esse posset inhumanius. Quibus natu maximus, Quòd præter eas ædes & septa nihil sit beneficiariũ, si est, viri fratres, quod doleatis, & ad hanc controuersiam adducamini: non est certè quidẽ cur lætari debeam, qui, si quid Deus Opt. Max. dedisset amplius, tãtundem vnus, quantum vos omnes eram capturus. Quin & fieri potuit vt prædia non nisi plebeïa pater nobis relinqueret: quod si accidisset, possem vestra, non alia, ratione defendere, præcipuum ex rebus plebeiis mihi esse constituendum. At cùm nullius culpa res aliter successerit, quod sors, vel iniqua tulit, ferendũ est. PLACVIT Tribunalitiis secundum natu maximum esse pronuntiandum, quod factum est VIII. Cal. Iun. M. D. LV. Andr. Tiraquello litis enarratore. Quæ res nõnullis tam magnæ visa est controuersiæ, vt dicerent eam pluteum iudicum, decem & octo vel viginti dies occupasse, adductis à censentibus & diuini & humani iuris sententiis omnibus, quæ ad rem vel tantillum facere viderentur. Alii contrà eam vsque adeò leuem existimarunt, vt nodum potius in scirpo quæsitum esse, quàm quiduis aliud opinarentur. Vides, (vt alibi diximus) quàm non sit omnibus idem gustus, quàm sit suum cuique palatum, quàm diuersæ sint hominum sententiæ.

Ad finem tit. De gentilitia redhibitione lib. IX.

Etiam legitimis sũptib. imputari, quod ex priuilegio non soluerim.

QVERQVETANVS, Regis à secretis, gentilitia redhibitione conuentus, respõdit nihil se morari redhibitionem, si modò ei, cum fundi pretio, legitimi etiam sumptus restituerentur, ac præter cæteros dominica iura, quæ nostri homines quintana vocant ac subquintana. Dicebat gentilis, Querquetanum nihil hoc nomine numerasse: & regulariter, non soluti non esse repetitionem. Quibus Querquetanus, Non equidem inficior à me nihil esse numeratum. Sed hoc (quæso) quî factum est? Priuilegiis, à nostris Imperatoribus,

ſuis Amanuenſibus irrogatis,eſt apertè comprehēſum, ſi Regiæ clientelæ prædia ſibi comparent,eos ad huiuſmodi iurium ſolutionem non teneri. Cæterùm recta ratio non patitur, vt tuis, aliúſve cuiuſquam commodis cedat, quod mihi in gratiæ ac beneficii loco poſitum eſt. Itaque perinde habendum eſt,atque ſi Querquetanus numeraſſem. At (inquiebat gentilis) Titianæ eſt,non Regiæ clientelæ, noſter hic fundus. Quod Querquetanus cùm audiſſet, Quod (inquit) à me de clientela dictum eſt, diuinatio non eſt,meum neque commētum. Eſt in tabulis ipſius venditionis expreſſum:quibus ſtari oportet, ſaltem interea dum, ſi res altiorem indaginem poſtulare videatur,contrarium luce meridiana clarius apparebit. PLACVIT quidem de clientela eſſe inquirendum : ſed interim & venditionis tabulis haberi fidem, & gentilem Querquetano dominica iura rependere,non ſecus atque ſi ab eo numerata fuiſſent. Extempore, x. Cal.Quintil.M. D. XL. Marilliaco & Riantio cauſam orantibus.

In legitimis ſumptib⁹ reſtituēdis, de prædii conditione, ſtari tabulis venditionis, donec aliud conſtet.

De locatione & conductione, tit.inter V. & VI. lib.IX.

D. GERMANI, Altiſſiodorenſis Lutetiæ nuncupati, Sodalitium nouam certi prædii ſui cōtraxerat locationem,tum demum locum habituram, cùm veteris locationis tempus omnino præteriiſſet. PLACVIT huiuſmodi locationem eſſe nullam. Nam per rerum naturam fieri nō potuiſſe,vt dum eam ſodalitium meditaretur, perſpectum haberet,quanti prædium, poſt exactum prioris locationis tēpus,locari poſſet. Ex tēpore,prid.Non. Decemb. M. D. XXXIX.

Longè anticipatā prædii Eccleſiaſtici locationem eſſe nullam.

Ad finem tit.De vindiciis,lib.IX.

REGVLARE eſt, vindiciarum iudicium, aliúdve in ſpeciem fiduciæ conceptum, in ſummam litis omen non facere. Sed iam ſemel atque iterum,aut fortaſſe pluries,hanc regulæ exceptionem adiici placuit, Niſi,videlicet,ſi quid amplius ſit à litigatoribus eorúmve altero,in iuſtæ poſſeſſionis iudicio aliáve ſumma lite prolatum. Huius rei primum,quod nouerim,exemplum editum eſt inter Guitardas ſorores Annámque Leſtrangeam, Alberto litis enarratore : alte-

Iudicium in ſpeciem fiduciæ cōceptū, in ſummam litis,omen aliquando facere.

rum inter * placito prioris exempli pronuntiato, IIII. Cal. Iul. M. D. LV. Posterioris *

Ad tit. De Iudiciis, lib. XI. inter I. & II. cap.

Restitutionis in integrum minoris, qui onerosam hæreditatem adierit, cuius sit iurisdictio.

ADITA per minorem XXV. annis hæreditate, & postmodum onerosa comperta: is apud prouinciæ suæ præfectum, Regio diplomate præditus, vocatis creditoribus, postulauerat in integrum restitutionem. PLACVIT de ea re, nō postulantis, sed hæreditatis, prouinciæ præfectum fuisse adeundum, hoc est, eius in qua defunctus domicilium habuisset. Ex tempore, XVIII. Cal. Ian. M. D. XXXIX. Reburtio & Marilliaco causam orantibus.

Ad tit. De Iudiciis lib. XI. inter IIII. & V. cap.

Causidicos, si à iudicib⁹ in consilium adhibeātur, sacramento esse rogādos, an alterutri litigatorum fuerint à cōsiliis.

HIS omnibus, quos iure iurando Principi obstrictos, Præfectus vrbi, Suppræfectúsve publicè habet à consiliis, liti iudicādæ operam dare nequeuntibus: quòd vel à litigatoribus reiecti, vel morbo alióve casu essent impediti: quid aliud ab eo desiderasses, quàm vt nobiles aliquot sui fori causidicos (quod fecerat) in consilium adhiberet? QVIA tamen eos sacramento non rogasset, fuissént ne alterutri litigatorum à consiliis, perperam iudicatum fuisse pronuntiatum est. Ex tempore, III. Non. Feb. M. D. XL.

Ad finem tit. De Iudiciis, lib. XI.

Si alternantē aleam dirimēdo, altera sentētiarum vno, vt antea, calculo, superior existat: hunc calculum alteri cōiungi, sicque aleam dirimi.

ERAT veteribus receptissimum, vt iudicibus in duas sententias ex diametro contrarias abeuntibus, controuersia in æquilibritatem incidisse diceretur: nisi censentium pars altera duobus calculis alteram superasset. Venit postea Guliel. Poyetus, Nomophylax, qui inter cætera remedia breuiandis litibus à se comparata, opt. Principi, Francisco Valœsio, I. legem suasit, qua calculus vnicus æquilibritatem impediret. Sed tandem Henrico II. Aug. Imperatori nostro visum est & tutius & sanctius esse, vt periculosa huiusmodi nouitate reiecta, veterum mores, qui tandiu placuissent, repeterentur, atque id quidē (meo iudicio) rectissimé. Sed si vsque adeò anceps sit alea,

vt vna in classe, calculi vno minus adæquauerint, & deinde in alia prorsus idem cōtigerit, hoc est, vtraque in classe vna eadémque sentētia vno calculo præualuerit: rem infectam esse dicemus, de eáque rursus aliam classem esse adeūdam? an verò duos huiuscemodi calculos cōiungi oportere, atque ita suo fato fungi controuersiam? ET magis esse placuit, vt ii duo calculi coniungerentur. Perinde nanque habendum esse, atque si vtriusque classis Conscriptis vnà iudicantibus, eorum pars altera duobus calculis altera superior extitisset.

Ad tit. De appellationibus, lib. X I. inter V. & V I. cap.

QVÒD maiorum minorúmve gentium iuridici maiores, quorum alteros regios, alteros non regios ac pedaneos prouocationum iudices nostri homines vocāt, suos non nisi annuos, bimos, trimos conuentus agunt (quas sessiones appellant) multi existimauerunt, prouocatores necesse non habere, suas prouocationes exercere, nisi tum denique quum à iuridicis sui cōuentus indicuntur. Sed Curiæ consulto, quod *Regiæ procurationis Triumuiris postulantibus* factum est, V. Id. Decēbris, M. D. X L I I I I. hic error sic profligatus est. PLACERE, iis licitum fore, secundum quos minores iuridici pronuntiassent, post tempora exercendæ prouocationis, conuentibus non expectatis, desertoribus dicere diem. TEMPORA autem sic esse accipienda, vt vbicunque definita non essent, summùm tota trium mensium intercapedine cōcluderentur. Ex tempore, Bucheratio & Longouallio causam orantibus.

Prouocationum desertorib. diē dici posse, iuridicis conuentibus non expectatis.

Ad tit. De re iudicata & effec. iudic. lib. X I. inter ipsum tit. & cap. I.

EX iis, quibus, vel de lana (quod aiunt) caprina, litigare contigerit, vix è millibus vnum aut alterum inuenias, qui tragœdiam non excitet, vel (vt ait Plautus) det turbellas, sacra cōmoueat: si perscripta, subnotata, & apud officium deposita sententia, iudicúmque honorariis à se numeratis (quæ victoriæ ferè semper est arrhabo quædam) ei ab actuario, eiúsve amanuensi vel mussitatum fuerit, eum è forensi prælio superiorem euadere: & postea, re sub incudem re-

Sententiam perscriptam, subnotatā & recitandam officio commendatam, inde nō esse reuocādam, neque rē iudicatam ex eodē instrumento retractandam.

uocata, candida in nigrum versa comperiat, & se nihil minus quàm in triumphũ ab hoste ductũ iri. Quod cùm vinitori cuipiã à quibusdam magistratibus, ex iis quos Præsidales appellant, vsuuenisset: querela per prouocationẽ in Curiam inducta, XVI. Cal. Ian. M. D. LV, ex tempore pronuntiatũ est fore quidem, vt ab ea litis instrumentum dispiceretur: sed interim placere, vt verbum aliquod ardẽs, quod in mãdato, agnoscẽdæ querelæ gratia à vinitore dato, & in oratione pro eo ad Amplissimum Ordinem habita, vsurpatum fuisset, expungeretur. Cæterùm placere, magistratibus vetari, posteaquam eã, quam essent de lite dicturi sententiam, perscriptam, enarratoris chirographo, eiúsque, qui iudicio præfuisset, connotatam, semel emissam, officio commendassent: inde vnquam ne reuocarent, néve rem iudicatam ex eodem instrumento retractarent. Ferè nanque perinde esse, atque si nulla interposita mora (ex periculo dicam, an ex breuiculo?) esset recitata sententia. Sed quando in Periculi & Breuiculi mentionem incidimus, si mihi per tuam, Lector, humanitatẽ, à proposito digredi licet, quæso te, quid tandem ex varia ista lectione cõstituendum existimas? Budæus noster in prioribus annotationibus in Pandectas, de Plinii Secũdi sententia tradit, pronuntiare eos, qui memoriter dicunt: recitare verò, qui de scripto: síque accipiendum lib. vii. Codicis, in titulo, De sententiis ex periculo recitandis. vbi tamen Periculo corruptè legi, dicit esse facilius intelligere, quàm quomodo emendari debeat, comminisci. Nos enim dicere, De scripto recitare & ex scripto. Et paulò pòst subiungit, legendum fortasse, De sententiis ex breuiculo recitandis. Quarum sententiarum postremam amplectitur Alciatus, dispunctionum lib. i. breuiculum masculino genere, à breui, diminuta forma deducẽs, hoc est, à schedula seu scriptura, pictatióve: proferens etiam Imperatores Valentinianum, Valẽtem & Gratianum Fortunatiano, rerum priuatarum
» Comiti, rescribentes, inter chartulas confiscati, breuem quendam
» inuentum asseuerari, qui nomina debitorum continebat: cùm ta-
» men neque pecunia credita probaretur, neque cautionibus, ea quæ
» breui inserta essent, ostenderentur: & quæ sequuntur, in titulo, De conueniendis fisci debitoribus, lib. x. Codicis. Rebuffus, ad caput, Quod iussit, tit. De re iudicata, lib. xlii. digestorum, Ex libello legen-

dum esse putat. Præcipua Budæi sententia, præter eos autores, quos Latinitatis vindices & assertores (puta Liuium & Tranquillum) laudat acerrimos, vel ex nostri illius tit. de Sententiis ex periculo recitandis, cap. iii. probari potest. Quo iidem Imperatores ad Probum, » Præfectum præt. scripserunt, statutis generalibus se iussisse, vt vni» uersi iudices, quibus reddendi iuris in prouinciis permiserant facul» taté: cognitis causis, vltimas definitiones de scripti recitatione pro» ferrent. Quod Rebuffus attulit, atque id quidem scitè, desumptum est (vt ille ipse scribit, & palàm est) ex eiusdem tit. cap. ii. quo constat eosdem Imperatores paulò antea eidem Probo rescripsisse, à se con» stitutum esse, vt iudices, quos pronuntiandi necessitas teneret, eas ex » libello partibus legerent: quod Tranquillus in Claudio vsurpauit, vt & ipse Budæus antè monuerat. Sed interim & Budæus & Rebuffus (quod, vt ipsi melius nòrunt, non temerè faciendum est) integram tollunt dictionem. Alciatus verò paulò religiosior, de postrema illa Budæi senteñtia, quam vel ex verbis eius suspectam illi fuisse manifestum est, priores duas controuersæ dictionis syllabas expungit, seruans posteriores, atque ita pro periculo, *breuiculo restituit*. Qua voce, eorum autoritate, memini me vti, titulo De fructibus, & in rem litémque impēsis, cap. xix. sed an satis rectè, mehercule compertum adhuc non habeo. De breui quidē dixit Alciatus, non defuturos qui existimarent barbaram esse vocem: qua tamen nihil frequentius essei in scribarum Romanorum archiuis, & cuius plerunque meminisset Lampridius & alii huius monetæ autores. Sed de breuiculo, à breui, diminuta (vt ille inquit) forma deducto, neque ipse autorem profert, neque vsquam memini me legere: quanquam per analogiam formari posse non dubitem. Adiecit ille, sed perfunctoriè & veluti πάρεργον quoddam, fortasse dictionē huiusmodi ad experientiam memoriæ esse referendam, ἀπὸ τῆς πείρας, id est, à tentamento, vt in diuinatione in C. Verrem, Asconius Pædianus interpretatur. Quod ego quidem certè (tantorum virorum pace, tuáque Lector, dixerim) sequendum magis puto. Nam Plauto, Terentio, Ciceroni, Tacito, Sallustio & aliis, periculum pro experimento, est vsurpatissimum, & periclitari pro tentare & experiri. Nec tantùm facere periculum dicimus, quod omnium est frequētissimū, sed & audere

» periculum, & periculo compertum esse. Tacitus lib. ix, Neque periculum in aperto audebant. Sallustius, Catilinæ bello, Tunc verò periculo atque negotiis compertum est. Quod quàm veteri nostræ lectioni conueniat, perfacile est deprehendere ex adducto cap. ii. illius tituli, De sententiis ex periculo recitandis. Sic enim habet, Non subitas, sed deliberatione habita post negotium, sententias ponderatas sibi antè forment: & emendata statim in libellum, secuta fidelitate conferant: scriptásque ex libello partibus legãt. Sed nec sit eis postea copia corrigendi vel mutandi: exceptis iis quibus licentia conceditur, etiam per officium & eos qui ministerium suum eis accommodant, sententias diffinitiuas recitare. Breuis vel breue (vt interim demus Latinas esse voces) atque etiam breuiarium, quod à Tranquillo & Plinio inuenitur vsurpatum, opus est cõcisum, quódque (vt ipse autor est Budæus) vulgò Borderellum vocant: quo nomine, quis vnquam est appellaturus sententias illas, quas (vt dictum est) habita deliberatione, ponderatas, iudices sibi antè formauerint, & emendatas in libellum, secuta fidelitate contulerint, vt scriptæ ex libello partibus legantur? Eiusmodi (vt ita dicam) ponderationes, præformationes, emendationes, & fidæ in libellum collationes, quid aliud esse possunt, quàm eius sententiæ, quam quis pronuntiare habeat, periculum, tentamentum, experimentum? Nobiscum etiam facit vetustorum omnium codicum fides, non modò Iustinianei, sed & Theodosiani, cuius & ipse submonuit Alciatus: Theodosiani (inquam) circiter cxliiii. annos ante Iustinianeum conscripti, nisi nos fallunt, qui eum à tineis & blattis vindicatum ediderunt, & annos ab exactis regibus nobis per Consules digesserunt. Nec facilè credendum est, in Theodosiano fuisse hallucinatum, & inde hunc tituli errorē in Iustinianeum defluxisse: cùm in illo etiam inuenias » eosdem Imperatores, Clearcho, Præfecto vrbi ita rescripsisse, Parere » sublimitatem tuam nostris legibus conuenit, vt in omnibus nego- » tiis, ex periculo promatur deliberationis plena sententia: ídque vi. Calend. Ian. Antonio & Syagrio Consulibus, anno post aliud rescriptum fere xi. quod fortasse in Iustinianeum codicem visum est non esse transferendum, quòd illud, & anterius & amplius, satis esse deberet. Et quî fieri potest, vt ex breui vel breuiario, quod (vt diximus)

opus concisum est & imperfectum, aut ex breuiculo, quod minus est, plena, hoc est, integra & iusta recitetur sententia?

Ad tit. De re iudicata & effectu iudiciorum, lib. XI. inter V. & VI. cap.

FIDEIVSSORE cauerat Bellaia, res controuersas, quas ex fiduciario iudicio erat habitura, Castilionio se restituturā, si summæ litis iudicio ita decerneretur. Dicebat Castilionius huiuscemodi fideiussione non satis esse cautum: quòd fideiussor nō expressisset, Bellaiam res nihilo deteriores restituturam, neque iis, quàm bonus quisque paterfamilias aliter se vsuram. PLACVIT fideiussionem valere quidem: sed Bellaiam effecturam, vt fideiussor apud acta profiteretur, se, quod Castilionius desyderabat, fideiubēdo intellexisse. Placitum pronuntiatum prid. Id. Octobr. M. D. XXXVI. Hospitali litis enarratore.

Eum qui fideiussorē dedit, si postuletur, efficere teneri, vt fideiussor præcidat quid fideiusserit.

Ad tit. De raptu, quem in parenteis appellant, inter II. cap. & III. lib. XII.

„ OPORTET (inquit Iustinianus) vt quicunque vxorem ducere „ voluerit, secundum leges & antiquam consuetudinem, parentes, vel „ alios quos decet, petat: vt cum eorum voluntate legitimum fiat „ coniugium. Parentum autem appellatione non tantùm patrem, auum, proauum, & deinceps omneis superiores: sed & matrem & auiam & proauiam contineri Caius tradit. Qui verò sint illi quos petere deceat, quæque lex & antiqua consuetudo, quibus hoc sit inductum: satis est deprehendere ex ea lege, quam decem vel nouem plus minus annis supra centesimum, ante Iustinianum, rogauerant „ Honorius & Theodosius iunior. Si patris (inquiunt) auxilio puella „ sit destituta, matris & propinquorum & ipsius quoque requiratur a„ dultæ iudicium. Si verò vtroque orbata parente, sub curatoris de„ fensione constituta sit, & fortè inter honestos competitores matri„ monii certamen oriatur, & quæratur cui potissimùm puella iun„ genda sit: Si ea, cultu verecundiæ, animum suum aperire noluerit, „ coram positis propinquis, iudici deliberare permissum est, cui me-

Raptus in parenteis matri non ideò minus condemnatus, quòd filiam oppidò volētem, etiam de propinquorum sententia, duxisset vxorem.

lius adulta ſocietur. Sed & ſi res altius repetenda eſt, Imp. Seuerus & Antoninus longè antea reſcripſerant, ſi de nuptiis puellæ quæreretur, tum demum Præſidis prouinciæ neceſſarium eſſe arbitrium, cùm inter tutorem & matrem & propinquos de eligendo futuro marito non conueniret. Conſtat igitur in copulãdis puellæ nuptiis, non modò ſpectandam eius voluntatem, non modò adfinium autoritatem, ſed & matris interuenire debere. Itaque cùm ex Argiuo monte quiſpiam & puella & propinquis in ſuam ſententiam pertractis, puellæ matrem contempſiſſet, recentiorũ canònum & Pontificiorum aliquot reſcriptorum indulgentia fretus, (quibus raptor non dicitur, cui puella, parentibus etiam reclamãtibus, conſenſerit: imò verò nec raptor raptam ducere prohibetur, ſi placere incipiat, quod antea diſplicuerit) íſque ducta puella, matrem facinus indignè ferentem, verborum contumeliis laceraſſet: raptus quidem ac iniuriarum condemnatus eſt, ſed molliore fortaſſis articulo tractatus, quàm par eſſet, pro huiuſmodi mali contagione, quam in dies hac noſtra facilitate latius manare nemo non videt. Eum enim per legem extrema commeritum, cùm Principi tum matri & honore & ære mulctatum, vtraque Præfectura, ſua videlicet Argiuomontana, & noſtra Pariſienſi, triennium exulare placuit. Quinetiam puellam, quæ, ſi ex legis præſcripto agendum erat, bonorum raptoris amiſſione plectenda fuerat (vtpote quæ raptum meditanti, aurem præbuiſſet, ſéque cõiugio illius inquinaſſet) ſic eſt animaduerſum, vt illi à matre culpa ſuppliciter eſſet deprecanda: non omnibus quidem ſpectantibus, ſed iis tantùm, quos ad certum numerum adhibere, matri collibuiſſet. VII. Id. Aug. M. D. LIIII.

Ad finem tit. De pœnis, lib. XII.

Ad tempus militare dãnatum, ciuilis interim muneris prouentum non amittere.

PVBLICVS Lutetiæ œnopola (quod eſt politicum munus) cædis à ſe perpetratæ venia, ſexennium Principi cum veteranis militare damnatus, ſuis à ſynœnopolis quorundam fructuum inter ſe communium petebat partem. Defendebant ſynœnopolæ, ad militiam in ſexennium damnatione, vt politicum munus, ita & eius fructum interea temporis ablatum videri. Intentionis firmamentum ſic

tum sic œnopola constituebat, principali venia quasi secum esse transactum: de politico munere suo, aliisve bonis nihil actum: pœnam sibi irrogatam, contra veniæ fidem non esse porrigendam. PLACVIT nihil obesse damnationem, quin petitam fructuum partem œnopola consequeretur. Ex tempore, Lodoico Bernagio Iohannis Bernardi Victriaci, prouocatoris causam orante. V. Id. Octobr. M. D. LV.

Ad finem tit. De Curiæ Causidicis, lib. V.

VII.

CALEND. Mart. Titius, Non. Mæuius (exempli gratia) cùm in Curialium Causidicorum ordinem admissi, sacramento dixissent: Mæuius aut iustæ echemythiæ impatiens, aut fortassis florentibus Causidicis subsellia personare conspicatus, atque adeò parum confidens, se primas sequentem, in secundis aut tertiis posse consistere: non ita multò pòst ad suos Syluanectum se recipit, eiúsque loci addicit subselliis. Titius autem Curialis fori molestias paulò æquiore animo ferens, sícque in eo aliquantò plus Mæuio versatus: tandem vel iisdem, quibus Mæuius, vel aliis permotus rationibus, eôdem se contulit, eidem muneri operam nauaturus. Quam cùm aggressus fuisset: inter eos incidit controuersia, vter vtrum in subselliis anteuerteret. Dicebat Mæuius palàm esse, ad Syluanectense forum se Titio venisse priorem. Cui Titius, Maximè id quidem Mæui. Sed nónne hoc quoque verum est? Nos videlicet, eodem anno, Lutetiæ apud Ampliss. Ordinē, Martiis me Cal. te verò Non. huiusmodi militiæ dedisse nomen? Et te, qui illic aliquandiu fueris, quî fieri potest vt lateat, eũ, qui semel summa in Curia Causidicus, sacramento dixerit, in omni, saltem Curialis ditionis foro, quando libuerit, causarum patrocinium posse suscipere? De quo cùm prouinciæ illius Præfectus secundum Mæuium pronuntiasset, victus Titius Curiam appellauit. In qua, posteaquam vtrinque oratum fuisset, hoc quoque à Regiæ procurationis Triumuiris est additum, Ampliss. Curiæ Causidicos & Cognitores optimo iure generales appellari. Eos quippe esse, qui omnibus, siue prima siue secunda, aut alia quauis sortitione, ius ab ea petentibus postulent ac patrocinentur. In cuius ver-

Curiæ Causidicos, ad quæcunque subsellia se conferant, suum inter se ordinem conseruare.

ba,cùm eius rei cauſa ſemel iurauerint: poſſe eos & apud Principē, & omnibus in tribunalibus ac ſubſelliis dicere, conſulere, aduocationem præbere, perinde atque ſi ab omnibus magiſtratibus ac iudicibus, & maioribus & minoribus, eſſent allecti, iuréque iurando adacti. Quis enim eum venientem non admittat, quis dicentem nō audiat,quem Ampliſſ.Ordo(Areopagiticus alter σὺν δώδεκα θεοῖς, aut eo fortaſſe maior) ſua ſententia cōprobarit? Obtruſit aliquis, ad rem præterea facere, quòd Titius apud Syluanectenſis prouinciæ Præfectum poſtulaturus,nouo(vt Mæuius) ſacramento non dixerat. Quod ſi feciſſet,poſſe defendi, noui ſacramenti ordinem ſequendum eſſe, proinde quaſi vterque iureiurando ſummæ Curiæ dato ſe ſoluiſſet, & militiam apud eā à ſe profeſſam deſeruiſſet. Ego verò apud me tacitus adiiciebā, iampridē Martinalibus,inſtaurando ſolenni iureiurando, me tyronem audire ſolitū, principem Actuarium, eiúſve amanuenſem, Cognitores ex albo inclamaturum, ſic
» auſpicantem, Sequuntur nomina Procuratorum generalium in
» Curia Parlamēti. Et poſt omneis inclamatos,ſic legentem,Ordina-
» tiones Procuratores generales in Parlamento iuratos,tangentes: & in illis,eos paſſim generales appellatos.De Cauſidicorum catalogo, an eius titulus generalium etiam mētionem haberet, certè quidem non memini:ſed ex antè dictis planum eſt nihil eſſe,ea in re,cur diuerſum aliquid habere debuerit. Quî factum eſt, vt aliquando nonnullos nequiuerim non demirari, qui Auguſtæ Procuratorem (vt eſt) generalem,non modò ne apud ſe quidem ſcribi paterentur, ſed & vbicūque ægrè ferrent appellari: quaſi verò vſurparet (vt alias interim rationes omittamus) quod Curialibus aliis omnibus & Cauſidicis & Cognitoribus tam apertè conueniret. Sed ad rem. PLACVIT & Titium & Mæuium eo loco ac numero in prouinciæ ſubſelliis eſſe,quo antea in ſummæ Curiæ tribunali fuiſſent. Ex tēpore, Villierio prouocatoris deſyderium exponente, VI. Cal. Feb. M.D.LV.

DE III. ET IIII. CAP. TITVLI, DE HAEreditatibus, quæ ab intestato deferuntur, libro VIII. pars literarum Iohannis Imberti, Iurisconsulti doctiss. ad Lucium.

ADNOTAVIMVS in his tuis lucubrationibus, in titulo, *De hæreditatibus, quæ ab intestato deferuntur*, tertium & quartum caput inter se pugnare: neque aliter posse conciliari putamus, nisi in priore accipias bona, de quibus agebatur, in his regionibus sita fuisse, quæ ius scriptum adhuc retinent: secundum quod, hæres gradu propinquior vniuersam obtinet hæreditatem. In posteriore verò, bona ibi fuisse posita, vbi moribus prædia ad stipitem, vnde processerunt, debent reuerti. Quocirca tuam ea de re sententiam mihi rescribas vehementer optauerim.

PARS LITERARVM LVCII AD Imbertum.

QVÒD attinet ad tertium quartúmque caput tituli, *De hæreditatibus, quæ ab intestato deferuntur*, mecum planè sensisti: ea nanque placita (bona venia dixerim) inter se pugnare semper existimaui, vt quæ ex diametro, quod dicitur. Id me hercule, illa atque alia colligenti mihi ac disponenti, negotium non modicum exhibuit, parúmque abfuit quin alterutrum reiicerem. Sed visum est tandem esse temperandum, duabus potissimùm rationibus, quæ tibi forsan non improbabuntur. Altera, quòd vel Principem, vel Curiam ipsam, quodammodo agere viderer, si ex duobus eiusdé placitis, quæ eadem in specie contraria viderentur, vno admisso, aliud explodere, quod fortasse verius esset & sanctius. Altera, quòd vtroque prolato atque expenso, compertum habeat lector, siquid huiusmodi controuersiæ inciderit, propter eam iudicum dissensionem, anceps admodum fore iudicium: ideóque ea in controuersia dirimenda, honoraria potius amicorum opera esse vtendum, quàm per tot anfractus & miserias, aleam iudicii subeundam. Optima est illa quidem tua conciliatio ex iuris scripti, morúmque differétia, nec enim aliter, mea quidem sententia, possunt illa consistere: sed nihil erat

quod in morũ disputatione versaretur. Erat ius merè cõtrouersum: de quo non ita pridem, cùm nobilissima in lite, multæ vtrinque Curiæ ipsius prolatæ fuissent autoritates, iùdices in diuersa transierunt: nec dum (quòd nouerim) satis est ipsa res constituta. Quod cùm primùm factũ, nobísque cognitum erit, nos dissentanea illa nostra etiam constituemus.

FINIS.

Τῷ βασιλεῖ τῶν αἰώνων, ἀφθάρτῳ, ἀοράτῳ, μόνῳ σοφῷ Θεῷ, τιμὴ καὶ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

Index Latinogallicus verborum et loquendi generum selectiorum, quæ in Placitorum libris habentur.

A

F

L

M

N

Syngrapham

V

ERRATA SIC CORRIGITO.

Pag.23.versu 2.Biturigi.
Eadem pag.vers.5.Biturigem.
Pag.46.vers.11.in fine, dele Iacobo Viola, & repone Nicolao Vallensi.
Pag.47.vers.3.dele XXX.
Pag.55. aphorismo vel epitome 1.tit. de Vectigal.publ. lege premendas.
Pag.70.secundo vers.epitomes,dele non.
Pag. 83. versu 21. adde XVI. Cal. Decembr. M. D. VI.
Pag.90.vers.12.corollarium.
Pag.101.vers.11. adde Pelleueo litis enarratore.
Pag.131.vers.20.ante Cal.Ian.pone *
Pag.132.vers.18.&19.expunge ob rebellionem.
Eadem pag.vers.25.dele rebellionis, & repone criminis.
Pag. 137. versu 26. expunge XIX. & repone XVIII.
Pag.141.vers.29.pertinent.
Pag.152.vers.15.lege species.
Eadem pag.vers.17.certæ.
Pag.157. vers.3.Bouotia.
Pag.170.vers.31.propius sobrino, vel (vt aliis placet)sobrinus,hoc est,consobrini filius.
Pag. 180. versu 24. adde XIIII. Cal. Ian. M. D. LIII.
Pag.193.vers.20.Hallotio.
Pag.213.vers.3.epitomes capitis 1. de testib.sine optione,testem sacramento adigi posse.
Pag.215. vers. 3. epitomes cap. 6. de testib. eius refutandi gratia.
Pag.225.vers.21.controuersiis.
Pag.259.vers.25.commodius.
Eadem pag.vers.27.admitteret.
Pag.262. vers.3. ad finem, dele X. & repone VI.&XVI.
Pag.264.vers.4.ad finem,nequire.
Eadem pag.versiculo vlt.iure compertiss.
Pag.290.vers.45. in prima colũna, *Pour Quartiniers*, lege *Commissaires du Chastellet*.

EXCVDEBAT CAROLVS STEPHANVS TYPOGRAPHVS REGIVS, PARISIIS, ANN. M. D. LVI. X. CAL. APRIL.

A 2A 3A 4A 5A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z a b c d.

Omnes sunt terniones, præter 5A & a & d duerniones.

Luci
Phil. op.


calibrite
colorchecker CLASSIC
mm